
BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B
J
C
36499
I

CIVITAS
SVPRA MONTEM
JN QVADRO POSITA
Pro amplitudine incolatûs Vniuersarum in orbe terrarum Gentium
CLARITATE
Semper
CONSPICVA.
SEV
QVÆSTIO,
De inuenienda cognoſcendaq; vera in terris
DEI ECCLESIA.

Authore
JOANNE NOSKOWIC S. Th: Doctore,
Decano Foraneo Coſtenſe, Parocho Woneſcenſe.

POSNANIÆ,
Typis Viduæ & Hæred: ALBERTI REGVLI, Anno Dñi. 1663.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMI.



Vrbs dum, quadratæ quæ ſcribitur eſſe figuræ
Vittato ambiri Præſulis orbe cupit:
Quidquid tota velit contra clamare Matheſis,
Circulus ad quadrum iam magis aptus erit.

ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO
PRÆSVLI & DOMINO,

D. ALBERTO THOLIBOWSKI,

Dei & Sanctæ Sedis Apostolicæ Gratiâ
EPISCOPO POSNANIENSI,
DOMINO & PATRONO
Clementissimo
SVBIECTIONEM & REVERENTIAM.

PERILLVSTRIBVS REVERENDISSIMIS
& Admodum Reuerendis Dominis,
Dñis Cathedralis Ecclesiæ Posnaniensis
PRÆLATIS, CANONICIS,
DOMINIS & PATRONIS
plurimùm Colendis
HONOREM ET PERPETVAM FELICITATEM.

SPONSAM CHRISTI *veram in terris Ecclesiam, cunctarum gentium plenitudine semper esse conspicuam, omnium Orthodoxorum vnanimis ac perpetuus testatur & euincit consensus,* PRÆSVL ILLVSTRISSIME *ac* REVERENDISSIME DOMINE, DOMINE ET PATRONE CLEMENTISSIME. PERILLV-

STRES, REVERENDISSIMI, & ADMODVM REVERENDI DOMINI, DOMINI & PATRONI REVERENTER COLENDI. *Eam siquidem ipsius Sponsi sacratissimo Oris firmamento Ciuitatem supra montem positam, quæ ob fulgorem suum, longè latèq; diffusum, latere nullatenus possit, accipimus. Verumtamen in illa inuenienda, cognoscenda & discernenda, non mediocris labor & difficultas, dùm non per ea symbola & signa quæritur, quæ ipsam visibilem & claram, etiam manibus palpabilem, ac sensibus externis perceptibilem exhibere possunt. In eam impingunt tàm frequenter quàm turpiter, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, fabricatores mendacij & cultores peruersorum dogmatum, qui resistunt veritati, vulpes vaferrimæ, contra vineam Domini Sabaoth debacchantes hæretici. Sanè verò, cùm extra veram Dei Ecclesiam nulla sit salus, nihil Deo acceptum, sola est per quam sacrificium libenter Dominus acceptat: & quisquis alibi colligit, non conseruat sed spargit: summoperè laborandum est, vt quæ sit ista vera Dei Ecclesia, inter tot sectas Paganorum, Iudæorum & hæreticorum, ad omnium notitiam deducatur; quam cùm cognouerimus, ab ea ceu magistra omnis veritatis, quæ nunquam errare possit, in dubijs fidei certi securiq; solidabimur. Illa est enim Vrbs fortitudinis, columna & firmamentum veritatis; illa mulier quæ de medio turbarum, sectarum scilicet Gentilium, & hæreticorum extollens vocem, sola vero & sincero cultu Dominum veneratur: illa lucerna lucens, quæ posita super candelabrum, errantibus viam monstrat veritatis: & ne multa: illa Ciuitas supra montem in quadro posita, Romanam appello semper Pontificiam Ecclesiam, cui nunc præsidere feliciter* ALEXANDRVM VII. ROMANVM PETRVM, *integræ mentis gaudio lætamur. Atq; hujus Ciuitatis Sanctæ, quæ à Cœlesti peregrinatur in terris, vmbratilem me duntaxat (non quâ par est) penicillo agresti delineasse speciem, non eo inficias.* TIBI *verò* PRÆSVL ILLVSTRISSIME, DOMINE ET PATRONE CLEMENTISSIME, *Qui Diuinâ dispositione in Culmine Dignitatis Ecclesiasticæ resides, nempè ad clauum regendæ & gu-*

bernan-

Matth: 5. vers. 14. Philipp. 2. vers. 15. Ambros. lib: 7. in Luc.

2. Tim: 3. v. 8. Iob. 13. ver. 4. Cant: 2. v. 15.

August: de Vnitate Ecclesiæ, cap: 19. Gregor: lib: 35. Moral: in Iob. cap. 6. Cyprian: lib: 1. epistol: 8.

Isai 26. v. 1. 1. Tim: 3. v. 15. Luc: 11. v. 27. & ver. 33.

Matth. 5. v. 14. Apoc: 21. v. 16.

August: Enchir: cap. 67.

Actor: 20. ver. 28. Cant 4. ver. 4.

bernandæ Ecclesiæ Dei à Spiritu Sancto vocatus & positus, quemuè inter propugnacula & turres Ciuitatis Dei grauissimè constantissimèq; Cant. 8. consistentem intueor. TIBI inquam DOMINO MEO ET PATRO- ver. 9. NO CLEMENTISSIMO, TVOQVE SENATVI AMPLIS- Isai 54. ver. 12. SIMO PRÆLATORVM & CANONICORVM, TOTIQVE VENERANDO CAPITVLO ECCLESIÆ CATHEDRALIS POSNANIENSIS, DOMINIS item & PATRONIS MEIS, hanc Ciuitatem supra montem in quadro positam, seu tractatum de Exod: 18. ver. 21. inuenienda, cognoscenda & discernenda vera Dei Ecclesia, in quorum Num: 11. humeris corpus ejus gestatur, apperto. Et quanquam indignum qui mani- v. 16. 17. bus tantorum contingatur, multis tamen nominibus debitum, dedicatum & consecratum esse volo. TE inprimis PRÆSVL ILLVSTRISSIME, DOMINE & PATRONE CLEMENTISSIME, Summus Ecclesiæ Fundator & Rector, participem ipsius gubernationis effecit, id est super Posnaniensem Petri Cathedram regendam, Tuæq; Splendore Prudentiæ illuminandam, Virtutum summarum, Vigilantiæ & Pietatis decore exornandam atq; consecrandam constitutum voluit. Nec immeritò sanè. TVAM siquidem ILLVSTRISSIMAM CELSITVDINEM vt Sidus resplendens, ac inter Hyadas rutilum Oriona conspicimus in Ciuitate Dei, in Ouili sibi commisso per frequentes Ecclesiarum visitati- Iob. 9. ones, per Ordinis Ecclesiastici restitutionem, ac deprauatorum morum ver. 9. correctionem, in prauitate hæreseon procul abigenda, profliganda, & ad internetionem vsq; extinguenda, indefesso zelo noctes diesq; peruigilem. Nouimus etiam TVI AMPLISSIMI SENATVS in portando tecum onere, ornandaq; Sponsa CHRISTI robur pectoris animiq; constantiam semper inuictam. Taceo vlterius ob eloquendi pe- Exod. 26. v. 1. cap. nuriam, hæc solùm titubante calamo, non assentationis astutiâ, sed ve- 36. v. 1. ritatis amore, vt omnes intelligamus, ab vnoquoq; nostrûm, Summam TVÆ ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINI deberi reuerentiam, honorem & obedientiam. Equidem me à scribendo deterrebat illud Tullij. Quidquid literis mandatur, id commendari omnium Tusc. 2.

 erudi-

eruditorum lectione decet; parcendum calamo & chartæ ſuadebant locupletes & accuratæ grauiſſimorum Theologorum, etiam in noſtro Poloniæ Regno, de hoc argumento tractationes, Confundor in Illuſtriſſimo Cardinali Hoſio, erubeſco in Stanislao Sokolouio, atq; in alijs ſexcentis viris Doctiſſimis mente totâ deficio, qui vnus ruricola ad ea poſſe me aliquid adijcere præſumam. Aſt amantium crebræ admonitiones calcar admouebant, impellebant deſiderium emittendi, ſi quid de tenuitate mea & penuria, ad aliorum exuberationes gazas apponere valerem, addebat animum ipſum opus ante omnia grauiſſimorum Theologorum iudicio examinatum &

1. de Orat. approbatum. Subleuabat etiam diffidentem illud Arpinatis, Quibus inquit naturâ minora ſunt data, tamen illud aſſequi poſſunt, vt his quæ habeant modicè & ſcienter vtantur: ob idq; ego in hoc tractatu non volo mineruam docere, nec ligna in ſiluam portare, ſed duntaxat

Rhut. 2. ✠ 2. xat ſpicas poſt terga metentium colligere, ex eiſq; paruulis quantùm

Thren. 4. ✠ 4. licuerit, panem præparatum frangere; Eccleſiam videlicet per ſigna ipſius propria & notas inſeparabiles indicare. Maximè verò corruptiſſimo hoc ſeculo, quo per irruptionem hoſtilis hæreſis, proh dolor! tam ſunt deprauati mores hominum, qui caſtigatione meliores ſperabantur, vt obliti omnis æquitatis eſſe videantur: antiqua longo vſu

Pſal. 86. ✠ 5. probata & publico commendata faſtidiant, noua ſemper (vt hæreſi vſu venit) expetant. Nam & Eccleſiam aliam vanæ mentis ho-

Gal. 1. ✠ 6. mines cuperent, antiquæ à Deo fundatæ authoritatem pro nihilo ducentes: aliud Euangelium, aliam fidem, aliud ſacerdotium, deniq; alium Deum: vt metuendum ſit in hac rerum confuſione, ne aut in Angliam degeneremus, vel ſicut Vngaris contra Sacerdotes inſurgentibus, & Eccleſiam Catholicam Romanam ſemper Pontificiam deſerentibus malè ceſſit, idem & nobis eueniat. Sed vlteriùs taceo, in quo mihi digitus ori ſuperponendus. Tu ô Paſtor animarum PRÆSVL ILLVSTRISSIME, in excelſa conſtitutus ſpecula, caſtam oculorum per Tui pectoris circuitum giras ſemper aciem, & quoſcunq; conſpicatus fueris lupos, perſequeris, comprehendis, & extermi-

minas;

minas; testes sunt tacente me Tuæ Diœcesis fines, quos iam magna ex parte hæresi eripuisti, & recuperatas Ecclesias ritu Catholico consecrâsti. Extinctis antiquioribus hæreseon monstris, Ebione videlicet Cerintho, Valentino, Marcione, Ario, Manichæo, Sabelio, Macedonio & alijs, duo portenta noua, duo immanissimi cyclopes, Lutherus cum Caluino sunt exorti, quos vt locustas in fœtenti fumo abyssi ascensuros super terram, in sua Apocalipsi Ioannes prænuntiauit: Apoc. 9. ver. 3. hi tàm iniurij contra Christi Sponsam veram Ecclesiam, vt dicerent totam errare posse, imò errasse, iamq; totam ex oculis hominum euanuisse, & solùm sub scamnis delituisse, aut in solis infantibus remansisse, donec ipsi ad eam reformandam vocarentur: nempè reædificantes Iericho anathematizatum, qui impia dogmata antiquorum Iosue 6. ver. 26. hæreticorum à Sanctis Patribus anathematizata & iam sepulta 3. Reg. 16. ver. 34. ex cineribus reuiuiscere deposcunt. Nam quis post antiquos hæreticos, non anathematizet impudentiam & plus quàm insanam vocem Lutheri, qui vniuersam Ecclesiam cum Sanctis Patribus & Doctoribus, cum tanta multitudine & consensu omnium nationum parui pendit? de abroganda Missa initio sic habet, Profiteor aduersus eos, qui clamaturi sunt, quòd contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, &c: Et in libro contra Regem Angliæ, non erubescit Catholicos scommatico vocabulo asinos Thomisticos proscindere, eosq; nihil habere quod producent, nisi multitudinem hominum & vsum antiquum, tanquam in his parum sit positum. Contemnit mille Augustinos, non curat Cyprianos. Deniq; de Missa priuata, Hîc non moramur inquit, si clamant Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres. Quæ dùm ita geruntur, TV PRÆSVL ILLVSTRISSIME Tuam tuendo florentem vineam, vulpes istas apprehendis astutas, propulsas, & ne demoliantur quod cœlitùs plantatum est, vigilanter obseruas. Cuius ego pedibus, prouolutus, exiguum hoc, qualecunq; est Xeniolum, debitæ subjectionis meæ symbolum offerro. Etenim has vigilias meas, alteri quàm ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINI VESTRÆ, DO-

MINO & PATRONO MEO CLEMENTISSIMO, *ejusq́ʒ* AMPLISSIMO SENATVI, *ſubditus & cliens conſecrare ſummum nefas exiſtimaui. Accipe igitur* PRÆSVL ILLVSTRISSIME DOMINE & PATRONE CLEMENTISSIME, *pari benignitate, ſub Tuo Patrocinio Tractatum, à Tuo ſubdito & cliente in lucem editum, qui etſi tenuis eſt, &* CELSITVDINE TVA *indignus, eſt tamen ex reuerentiali affectu humiliter oblatus. DEVS autem OPT: MAX:*
2.Tim: 4. ILLVSTRISSIMAM CELSITVDINEM TVAM, *Pontificem*
ver: 8. *Eccleſiæ, Senatorem Reipub. Polonæ, in annos plurimos, ſaluum inco-*
1. Petr. 5. ver. 4. *lumemq́ʒ conſeruet, ac demùm pro tot tantisq́ʒ in Eccleſiam & Rem-*
Apoc. 21. *publ: collatis laboribus & meritis, repoſitam coronam immarceſcibilem, in Ciuitate Cœleſti, Summus Paſtor retribuat.*

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Celſitudinis Veſtræ,

Humillimus Subditus

& Cliens,

JOANNES NOSKOWIC S. Th. D.

Ad Lectorem beneuolum.

POST editum Tractatum de potestate Clauium Ecclesiæ sub titulo IVDICIS ECCLESIASTICI: Lector Humanissime, induxeram in animum inprimis, Catecheses de tribus Virtutibus Theologicis (de quibus doctrinam plebi cathechizando in propria Ecclesia proposueram) styli officio designare: nisi ea, quæ in M. S. maxima ex parte iam continebantur, hostis tempore dispersionis, cum reliqua libraria supellectili mea rapuisset. Videbar itaq; mihi, si id ipsum resumpsissem actum agere, quod nolui: Sed ad quæstionem præsentem de inuenienda & cognoscenda vera DEI Ecclesia (quam ante annos viginti quinque, publicæ disputationi proposueram, dùm Insignia Doctoratûs Theologici, in Alma Cracouiensi Academia prensarem) animum flecti vehementer sensi. Eam nunc operosiùs quàm tunc, additis & mutatis non paucis, sub titulo CIVITATIS SVPRA MONTEM IN QVADRO POSITÆ, explicandam assumpsi. Atq; opusculo huic istiusmodi titulum præfixi, cujus rationem inspectâ ipsâ tractatione non erit difficile cognoscere. [a] Ciuitas est inprimis ipsa Ecclesia, quo titulo in scripturis tàm veteris quàm noui testamenti passim installatur: in ea enim populi ab Oriente & Occidente, Meridie & Septemtrione, sanctissimis legibus & institutis, tanquam conciues in vnitate aduocati continentur. Supra montem Ciuitas describitur, quia abscondi non potest, verùm omnibus aspectabilis & clara. In quadro posita, [b] tùm quia Ecclesia Christi inexpugnabilis; vt enim corpus tetragonum quomodocunq; proijciatur, semper firmum stat, ita [c] Ecclesia nullis turbinib⁹, nullisq; procellis cedit, & nec portæ inferi præualebunt aduersus eam. Nec mirum, siquidem Ciuitatis istius solidissima sunt in Apostolis & Prophetis fundamenta: muri inuictissimi Martyres, quorum robur pectoris nullius vnquam hostilitatis arietes confringere valuerunt: propugnacula ex argento facta sonoro, Doctores ad-

a Psal: 45. ver. 5. Ps:47 v.9. Ps.86. v.3. Ps.58. v.7. Prou. 9. versu 3. Cát: 3. v. 2. Matth: 5. ver. 14. Hæbr: 12. ver: 22. Apoc: 3. versu 12. Cap. 21. v: 2.

b Matth: 16. ver. 18.

c Ps: 86.

uersus diaboli ejusq; mancipiorum, hæreticorum scilicet versutias personâtes. [d] Tùm quia quatuor orbis partes suâ amplitudine replet, mittens palmites vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines. Tùm quia clarissimis quatuor notis, in Concilijs expressis, quarum axplicandarum præsens negotium, illustratur. Sunt porrò certæ causæ, quibus ad opus istud aggrediendum & prosequêdum sum impulsꝰ; [e] inprimis quidem gloria DEI, ad quam omnia nostra ordinare oportet: deinde fuga otij, quod multam semper docuit malitiam. Quamuis autem curâ animarũ occupatus, tùm administratione Ecclesiasticæ, & aliquãtula domesticæ rei, id tamen tempus quod superabat, malui honestæ occupationi literariæ, quàm otio aut ignauiæ mancipare. Et quia plurimi à vera aberrãt Ecclesia, non pauci etiam alioquin fideles peruertũtur, non putaui superuacaneum eniti ad exhibendam aliquo modo errantibus veram DEI Ecclesiam. Non præsumendo aliquid de proprijs viribus & ingenio, sed totum in confidẽtia Diuini auxilij, inhærendo sententiæ Majorum, à quorum tramite, ne latũ quidem vt aiunt vnguem recedendum semper existimaui. Etsi quidem minùs eruditè, facundiâ etiam ipsâ vacillante, quidquid est, pro tua summa humanitate & prudentia Lector Erudite mihi condonabis. Neq; enim à me tanto iam tempore ab Academicis laribus elongato, & rure inter aggrestes occupationes domicilium possidẽte, aliquod ãplioris sapiẽtiæ & industriæ expectari debuit exercitium. Cujus obtẽtu cõmendari non est mirandũ, [f] insertũ consuetudini Virorum Magnorum, non minùs eruditione quàm pietate & morum grauitate Illustrium, quibus tanquam rutilis syderibus, nunquam desinit illuminari & exornari Almæ Cracouiensis Academiæ Firmamẽtum. Postremùm Lector Erudite, hæc mea qualiacũq; sunt, æqui boniq; consulas: si probaueris aliquid vtilitatis cõtinere, totum ad gloriam DEI, à quo omne bonum, refeꝛatur, sin iudicaueris minùs discreta, tuâ prudentiâ imbecillitati meæ condescendas & defendas, Vale.

APPRO-

versu 1. Ephes. 2. v. 20. Matt: 16. versu 18. Apoc: 21. versu 14. Cyprian. lib: 2. epistol: 6. Psal. 18. ver: 4. 5. Cant: 8. v. 9.

d Gen: 13. ver. 14. Genes: 28. versu 14. Malach: 1. versu 11. Matth: 8. ver. 11. Psal: 79: ver: 12.

e 1. Cor: 10. versu 3. Coloss: 31. versu 17. Eccles. 33. ver: 29.

f Orichouiꝰ contra Staucar: fol: 21.

APPROBATIO

Ex Commissione Illustrissimi Domini Lociordinarij.

NOS infra scripti Sacræ Theologiæ in Collegio Posnaniensi Societatis IESV Professores, probauimus librũ, cujus titulus CIVITAS SVPRA MONTEM IN QVADRO POSITA, ab Admodum Rńdo D. IOANNE NOSKOWIC S. Th. D. Decano Costensi, Parocho Wonescensi, ex receptæ doctrinæ principijs solidè, dilucidèque elaboratum, & dignum censemus, vt ad Majorem DEI Gloriam, dissidentium institutionem in publicum typo prodeat. Datum in Collegio nostro Posnaniensi, die 16. Septembr. 1660.

P. Thomas Młodziánowski Soc: IESV *S. Th. Professor,* mpp.

P. Albertus Zeroński Soc: IESV *S. Theologiæ Professor,* mpp.



ELOGIVM

Ad Authorem.

VRbs quæ non humili supereminet ardua monte,
Quadratoq; implet, mœnia structa situ;
Hanc Tua ceu viuo pingunt monumenta colore,
NOSKOVI *meritos inter habende viros.*
Hîc licet illius veracem cernere formam,
Hîc, vbi quærenda est, discere nemo nequit.
Hinc simul, aduersæ fraus subdola cernitur vrbis,
Hæresis occulto quam struit exitio.
Ergo Diuinis firmatam legibus vrbem
Qui quærit, legat hunc (dux erit ille) librum.
At Tibi suscepti merces hæc esto laboris,
Vt patrio, Ciuis, sidera iure petas.

II.


NOmen Apis Tibi si dedero, tua facta probabunt
Consilium: nam Tu, quod facit illa, facis.
Jlla legit varios sua condens munera flores,
Tu relegis Veterum florida scripta Patrum.

III.


QVi sibi nasutus NOSKOVI fortè videtur
Deponet nasum, cùm tua scripta leget.

Accinebat Ioannes Noskowic Ecclesiæ
Collegiatæ S. Mariæ Magdalenæ Posnæ Decanus.

TRA-



TRACTATVS
SEV
QVÆSTIONIS
De inuenienda & cognoscenda vera DEI ECCLESIA:
Conclusionum, Articulorum, Corollariorum, & Membrorum,
ELENCHVS.



QVÆSTIO.

V. Propter visibilitatem, aspectabilitatem, claritatem, & amplitudinem, CHRISTI in terris Ecclesiæ veræ: illius inueniendæ, cognoscendæ, & discernendæ

causâ: ſigna, ſymbola, & notæ, non ex intrinſecis & eſsentialibus, ſed ex qualitatibus extrinſecis, cum Eccleſia tamen recurrentibus & reciprocis, ſint ſumēdæ & petendæ, nec-ne?

CONCLVSIO I.

Viſibilis, aſpectabilis, clariſsima, & ampliſsima Eccleſia vera, colligitur expreſſè Diuinis ex literis. *fol.* 11.
ARTICVLVS I.
An Eccleſia vera, debeat eſſe Viſibilis, aſpectabilis, & clara? 11.
ARTICVLVS II.
Vtrùm amplitudo ſit Eccleſiæ tribuenda? 16.
ARTICVLVS III.
Vtrùm prædicta in ſcripturis ſint palàm expreſſa? 20.
COROLLARIVM I.
Patrum vetuſtiſſimorum teſtimonijs firmatum eſt, ſcri-
pturam

pturam clariùs loqui de Ecclesia quàm de Christo, non secùs ac testamentum de herede quàm de testatore. 21.

MEMBRVM I.

Vtrùm scripturæ clariùs de Ecclesia quàm de Christo loquantur? 21.

MEMBRVM II.

An conuenienter scripturæ clariùs de Ecclesia, quàm de Christo loquantur? 28.

COROLLARIVM 2.

Non committitur vllus circulus, cum scriptura de Ecclesia, & hæc contra de scriptura testatur. 29.

MEMBRVM I.

An non committitur circulus, dùm scriptura per Ecclesiam, & reciprocè Ecclesia per scripturam probatur? 30.

MEMBRVM II.

An hæc reciproca in orbem demonstratio fuerit agnita Patribus? 33.

COROLLARIVM 3.

Nihil derogat aspectabilitati & claritati Ecclesiæ, quòd tanquam articulus fidei credatur: ideoque sophisma esse illud, Quod creditur non est visibile. 35.

MEMBRVM I.

An de Ecclesia debeat esse articulus fidei? 35.

MEMBRVM II.

An deroget aspectabilitati Ecclesiæ, quòd ipsa sub fidem cadat? 37.

MEMBRVM III.

An sit hoc sophisma. Quod creditur non est visibile? 38.

COROLLARIVM 4.

In Ecclesia Christi in terris vera, sicut in Christo ipso rediuiuo, aliud creditur, aliud videtur: sensu enim comprehenditur symbolum, fide internum mysterium. 40.

MEMBRVM I.

Vtrum per fidem sensus & ratio perficiantur? 41.

MEMBRVM II.

An sit conueniens hæc comparatio: In Ecclesia vera, sicut in Christo rediuiuo aliud creditur, aliud videtur? 43.

COROLLARIVM 5.

Nullatenus sequitur ex dictis Corollarij præcedentis figmentum hæreticorum, suos errores defendentium, aliam esse Ecclesiam visibilem, aliam inuisibilem: etenim præter visibilem nulla est alia. 44.

MEMBRVM I.

Vtrum præter visibilem Ecclesiam, sit admittenda alia inuisibilis? 45.

MEMBRVM II.

Cur hæretici fingunt inuisibilem Ecclesiam? 49.

CONCLVSIO II.

Sumuntur & petuntur symbola veræ Ecclesiæ, non ex essentialibus illius. 52.

ARTI-

ARTICVLVS I.

An ſit aſſignare in vera Eccleſia aliud eſſentiale, aliud accidentale? fol: 52.

ARTICVLVS II.

Vtrum Eccleſia per ſigna & notas cognoſcatur? fol: 54.

ARTICVLVS III.

An ſymbola Eccleſiæ ex eſſentialibus illius ſint petenda? fol: 56.

COROLLARIVM I.

Proximè ad demonſtrationem hæc collectio accedere videtur, notas omnes vel à ſubſtantia, vel accidentibus illius deſumendas eſſe, quia in re vnaquaque præter eſſentiam illius & accidentia nihil ineſt: ideoque rectè ſequitur, Non ſumuntur ab eſſentia, Ergo ab accidentibus. 58.

MEMBRVM I.

An Eccleſiæ notæ rectè ex accidentibus petantur? 59.

MEMBRVM II.

An Collectio dicta ad demonſtrationem accedat? 60.

COROLLARIVM 2.

Quoniam eſſentiæ rerum, per ſe obſcuræ & abditæ ſunt, ideo notarum rationem habere non poſſunt. 61.

MEMBRVM I.

An quia eſſentiæ abditæ ſunt, ob hoc rationem notarum habere non poſſunt? 62.

MEMBRVM II.

An notæ Ecclesiæ omni obscuritate vacare debeant? 63.

COROLLARIVM 3.

Essentiæ rerum, eam ob causam vestiuntur accidentibus, vt ad cognitionem earum perducant. 64.

MEMBRVM I.

An Essentiæ innotescant per accidentia? 64.

MEMBRVM II.

An Essentiæ sine adminiculo accidentium sint adhuc cognoscibiles? 65.

MEMBRVM III.

An Ecclesia per notas ex accidentibus extrinsecis petitas sit cognoscibilis? 66.

COROLLARIVM 4.

Imperita est consequentia illa, veritas fidei, & vsus sacramentorum ab Ecclesia inseparabilis est, Ergo est nota Ecclesiæ; multa enim sunt inseparabilia, quæ notarum rationem non habent. 68.

MEMBRVM I.

An veritas fidei sit ab Ecclesia separabilis? 68.

MEMBRVM II.

An veritas fidei sit propria Ecclesiæ? 74.

MEMBRVM III.

Vtrùm veritas fidei sit nota Ecclesiæ? 76.

MEMBRVM IV

An Ecclesiæ sit proponere & explicare fidem? 77.

MEMBRVM V.

An Eccleſia proficiat in fide? 81.

MEMBRVM VI.

Vtrùm ſit vna fides Eccleſiæ & Synagogæ? 85.

MEMBRVM VII.

An Sacramentorum vſus ab Eccleſia ſit ſeparabilis? 89.

MEMBRVM VIII.

Legitimus vſus Sacramẽtorũ, ſitne vera nota Eccleſiæ? 93.

MEMBRVM IX.

Sacramenta ſuntne propria Eccleſiæ? 95.

COROLLARIVM 5.

Purum DEI verbum, & legitimus Sacramentorum vſus, conſtituunt eſſentiam Eccleſiæ; ideo notarum rationem habere non poſſunt, aliàs enim idem ſui nota dici & conſtitui poſſet. 97.

MEMBRVM I.

An purum Dei verbum ſit nota Eccleſiæ? 97.

MEMBRVM II.

An purum Dei verbum Eccleſiæ conſtituat eſſentiam? 99.

MEMBRVM III.

An legitimus Sacramẽtorũ vſus, ſit de eſſentia Eccleſiæ? 112.

MEMBRVM IV.

An repugnet aliquid ſui notam conſtitui? 114.

CONCLVSIO III.

Quibus notis inuenitur & iudicatur vera

CHRISTI in terris Ecclesia, ijsdem & cognoscitur, & discernitur ab ijs congregationibus, quæ tales non sunt. 115.

ARTICVLVS I.

An detur certa ratio inueniendi & iudicandi veram Ecclesiam? 115.

ARTICVLVS II.

An inuētâ Ecclesiâ protinus cognoscatur & discernatur? 117.

ARTICVLVS III.

An inueniendæ veræ Ecclesiæ sit certus locus? 118

COROLLARIVM I.

Nota seu signum, non alio fine instituitur, nisi vt ducat in cognitionem rei alterius, sitq; ad tollendam dubitationem sufficiens argumentum, habens quatuor proprietates, Euidens, Recurrens, id est, vbi illud est, ibi rem necessariò esse oporteat, & contra; vbi non est, nec rem quidem esse, Non commune, sed proprium, Non in penetralibus abditum, sed in aperto positum. 121.

MEMBRVM I.

Vtrum notæ Ecclesiæ debeant esse sufficientia argumenta, ad eam cognoscendam? 122.

MEMBRVM II.

An quatuor illæ proprietates sint de ratione notæ? 123.

Co-

COROLLARIVM 2.

Intrinſeca rei, omnibus hiſce proprietatibus carentia, non enim ſunt euidentia, non in aperto poſita, nec ipsâ Eccleſiâ clariora, notæ & ſigni rationem habere non poſſunt. 126.

MEMBRVM I.

An intrinſecis Eccleſiæ conueniant ſupradictæ proprietates? 126.

MEMBRVM II.

An intrinſeca Eccleſiæ, quia carent illis quatuor proprietatibus, ob id notarum rationem habere non poſſint? 127.

COROLLARIVM 3.

In argumentis hæreticorum, probantium verbum DEI ſcriptum, & legitimum vſum Sacramentorum, eſſe teſſeras internas demonſtrantes Eccleſiam veram, petitionis principij committitur fallacia. 129.

MEMBRVM I.

An ſit fallacia petitionis principij, ſcripturam & legitimum vſum Sacramentorum, aſſerere teſſeras internas Eccleſiam demonſtrantes? 129.

MEMBRVM II.

An purum Dei verbum ſcriptum, & legitimus Sacramentorum vſus, ſint apud hæreticos? 132.

COROLLARIVM 4.

Quia hæretici in aſſignandis notis Eccleſiæ ſunt incon-

stantes, manifestè ostendunt apud se non esse veram Ecclesiam. 237.

MEMBRVM I.

Quæ hæreticorum in assignandis notis Ecclesiæ inconstantia? 137.

MEMBRVM II.

Cur hæretici non eas Ecclesiæ notas assignant quas Catholici? 139.

COROLLARIVM 5.

Itaq; insulsè Lutherus Orationem & Psalmodiam, item mœstitiam internam; Caluinus & Magdeburgenses alacritatem ad patiendum, inter notas Ecclesiæ veræ recensent. 142.

MEMBRVM I.

An Oratio & Psalmodia possit Ecclesiæ nota censeri? 142.

MEMBRVM II.

An mœstitia interna indicet clarè veram Ecclesiam? 144.

MEMBRVM III.

An alacritas patiendi euidenter ostendat veram Ecclesiam? 146.

CONCLVSIO IV.

Propter visibilitatem & aspectabilitatem Ecclesiæ veræ, petuntur ac sumuntur notæ eius, ex qualitatibus, non quibuscunq;,

sed

ſed ex ijs, quæ cum Eccleſia recurrunt & reciprocantur. 149.

ARTICVLVS I.

An quia viſibilis Eccleſia, ideo notæ ipſius ex qualitatibus ſint petendæ? 149.

ARTICVLVS II.

An ſit neceſſe, huiuſmodi qualitates reciprocas eſſe cum Eccleſia? 152.

COROLLARIVM 1.

Hæreticum eſt ſentire & docere, Eccleſiæ veræ notas, non ab exterioribus, ſed ab ijs, quibus Eccleſiæ ſubſtantia continetur, ſumendas eſſe & petendas. 154.

COROLLARIVM 2.

Vt teſtimonium de teſte, Scriptura de ſcriptore, inſtrumentum de notario non iudicat, ita ſcriptura ſeu verbum DEI ſcriptum, non de Eccleſia, ſed contra, Eccleſia de verbo DEI ſcripto fert teſtimonium. 156.

MEMBRVM I.

An ſcriptura de Eccleſia iudicare poſſit? 157.

MEMBRVM II.

An & cur ſcriptura ſit obſcura? 161.

MEMBRVM III.

An ſpiritu priuato omnia dubia in ſcriptura definiri poſſint? 167.

MEMBRVM IV.

Quæ ſit norma explicandi ſcripturæ & fidei difficultates in Eccleſia? 172.

MEMBRVM V.

Cui defferendum ſummum ius interpretandi ſcripturæ & fidei dubia? 178.

COROLLARIVM 3.

Notis ſeu teſſeris expreſſis in Nicæno, Conſtantinopolitano & Romano concilijs, Vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica, cæteriſque in hiſce contentis, inuenitur & diſcernitur vera Eccleſia à falſa. 183.

MEMBRVM I.

An vnitas ſit Eccleſiæ tribuenda? 184.

MEMBRVM II.

An vnitas ſit vera nota Eccleſiæ? 187.

MEMBRVM III.

An vna ſit Eccleſia quæ fuit ab initio mundi & nunc? 194.

MEMBRVM IV.

Vnitas Eccleſiæ in quo conſiſtat? 198.

MEMBRVM V.

An ſanctitas inter veras notas Eccleſiæ cēſeri debeat? 202.

MEMBRVM VI.

Cur Eccleſia dicitur ſancta? 205.

MEMBRVM VII.

An Catholicum ſit vera Eccleſiæ nota? 280.

MEMBRVM VIII.

Vndenam Eccleſia Catholica dicatur? 213.

MEMBRVM IX.

An ex eo cognoscatur Ecclesia vera, quòd sit Apostolica? 216

MEMBRVM X.

Cur Apostolica dicitur Ecclesia? 218.

COROLLARIVM 4.

Numerus notarum Ecclesiæ, arbitrio proprio non est immutandus, ideo doctrinaliter faciunt, qui reliquas omnes à quibusuis authoribus Catholicis numeratas, ad quatuor à Concilijs nominatas reducunt. 220.

MEMBRVM I.

An numerum notarum Ecclesiæ, proprio arbitrio immutare liceat? 221.

MEMBRVM II.

An ad quatuor prædictas reliquæ omnes reduci possint? 222.

COROLLARIVM 5.

Ad quæstionem quâ quæritur, quænam sit vera Ecclesia, Catholicè & verissimè respondetur per notas recurrentes cum Ecclesia DEI, illa nimirum, quæ est Vna, Sancta, Catholica & Apostolica. 223.

MEMBRVM I.

An dùm quæritur, quæ sit vera Ecclesia, per notas responderi debeat? 224.

MEMBRVM II.

An istiusmodi notæ debeãt esse cum Ecclesia recurrẽtes? 225

MEMBRVM III.

Vtrùm singulæ notæ ex illis quatuor, sint sufficientes ad demonstrandam necessariò veram Ecclesiam? 228.

CONCLVSIO V.

Sola Romana semper Pontificia, est vera in terris CHRISTI Ecclesia. 230.

ARTICVLVS I.

An sufficiat credere in genere aliquam esse Ecclesiam? 230.

ARTICVLVS II.

Vtrùm reformata ecclesia, sit vera Christi Ecclesia? 233.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Romana quæ nunc est, sit vera Christi Ecclesia? 245.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Romana Pontificia sit Catholica Ecclesia? 261.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Ecclesia Romana, semper Põtificia sit dicenda? 270.

COROLLARIVM I.

Hæc Ecclesia, demonstrando Romanam Pontificiam, vna eademq; omnino est cum illa, quæ supra Petrum ædificata fuit, & quinquagesimo die à CHRISTI resurrectione Spiritum sanctum accepit. 274.

MEMBRVM I.

An Romana Ecclesia semper sit eadem? 275.

MEMBRVM II.

Quàm conueniẽter Christi Ecclesia Romæ sedẽ fixerit? 277.

MEMBRVM III.

Quomodo intelligi debet, super Petrũ ædificata Ecclesia? 281.

MEM-

MEMBRVM IV.

An Ecclesia omnium simul mysteriorum fidei, in die Pentecostes accepit reuelationem? 285.

COROLLARIVM 2.

In hac Ecclesia Romana Pontificia, omnia dogmata sunt Religionis, etiam quæ scripta non sunt. 290.

MEMBRVM I.

Vtrùm in Romana Ecclesia Pontificia, sit plenitudo dogmatum Religionis? 290.

MEMBRVM II.

Vtrùm in Ecclesia aliqua dogmata Religionis non scripta, sint necessaria ad salutem? 293.

MEMBRVM. III.

Quæ dogmata non scripta, habenda sunt Apostolica? 296.

COROLLARIVM 3.

In sola Romana Ecclesia, quæ semper est Pontificia, omnimodis præcauent Præpositi, ne aliquid tradant posteris, quod ipsi à Patribus non acceperint. 298.

MEMBRVM I.

Quomodo antiquitati in Ecclesia Romana semper inhæretur? 298.

MEMBRVM II.

Cur hæretici nouorum dogmatum fiunt assertores? 302.

COROLLARIVM 4.
Custoditur fides vera in Ecclesia Romana, per Primum Pastorem, & inferiores: ita vt omnes ipsi primo subiecti sint: & ipse Primus Pastor inferiorum ministerium non respuat, vt in omnibus vnitas conseruetur. [304.

MEMBRVM I.
An per Papam custodiatur fides illibata in Ecclesia? 304.

MEMBRVM II.
Quomodo per inferiores custoditur? 307.

MEMBRVM III.
An Papa sine Concilio Generali, possit sine errore dogmata fidei definire? 309.

COROLLARIVM 5.
Itaq; quisquis credit contra vel præter authoritatem Ecclesiæ Romanæ credenda proponentis, nihil credit, estq; infidelis. 313.

MEMBRVM I.
An qui præter authoritatem Ecclesiæ Romanæ credit, sit infidelis? 313.

MEMBRVM II.
An fides Catholica requirat credere se iustum esse? 316.

MEMBRVM III.
An Lutherani & Caluinistæ aliquid credant? 318.

QVÆ-



QVÆSTIO

VTrum propter visibilitatem, aspectabilitatem, claritatem, & amplitudinem, CHRISTI in terris Ecclesiæ veræ: illius inueniendæ, cognoscendæ & discernendæ causâ: signa, symbola & notæ, non ex intrinsecis & essentialibus, sed ex qualitatibus extrinsecis, cum Ecclesia tamen recurrentibus & reciprocis, sint sumendæ & petendæ. nec-ne?

STATVS QVÆSTIONIS APERITVR.

BIPARTITA quæstio ista, fundatur in hypothesi, constat autem antecedente & consequente, vt si concesso antecedente, tale consequens necessariò eliciatur: si videlicet Ecclesia CHRISTI vera est visibilis, aspectabilis, clarissima & amplissima, num signa eius cognoscendæ sint desumenda ex intrinsecis quibus substantia continetur, vel extrinsecis ipsius? Duas proinde partes tractatio continebit, prima in antecedente occupabitur, quod assequi in prima conclusione cum suis corollariis conabor; secunda in consequente expendetur. Quod vt commodiùs & faciliùs expediatur, more scholis vsitato, aliqua notabilia sunt prælibanda, sit proinde.

NOTABILE 1. Quando de inuenienda, cognoſcenda, & diſcernenda,
1. vera CHRISTI in terris Eccleſia tractatio inſtituitur, cùm primis vocabulum ipſum Eccleſiæ, deinde res perſpicienda & explananda: nam & rectè præcipit Tullius lib. 1. offic: d. *Omnis quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur.* Itaq; vocabulum græcum Ἐκκλησία quod Apoſtoli à ſeptuaginta interpretibus ſunt mutuati, euocationem ſeu conuocationem ſignificat, quod S. Cyrill. Cath: 18. annotauit, & rectè ad ſignificandum cœtum fidelium ſub vno Paſtore aſſumitur. Qui enim euocat hunc cœtum, DEVS vnus eſt; & is per quem euocat, vnus CHRISTVS; modus quo euocatur, vna fides; nexus quo euocati coniunguntur vnum corpus, vnus ſpiritus, eadem charitas, eadem etiam ſpes vocationis; finis quo euocati tendunt, vna vita æterna, vt vbiq; ſit vnitas, omnia in ſuo eſſe conſeruans. Rectè etiam populus DEI cœtus dicitur vocatus, quia nemo ad hunc populum ſe adiungit per ſe, & ſuo proprio inſtinctu, niſi DEI vocatione præueniatur, quod eſt primum DEI beneficium. de quo illud Mat: 20. *Vocauit operarios in vineam ſuam.* Et Rom: 8. *Quos vocauit.* 2. Tim: 1. *Vocauit nos.* Porrò Eccleſiæ nomen quandoq; tribuitur populo Ethnicorum, vt Act: 19. de Epheſino populo cultui Dianæ addicto d. *Erat Eccleſia confuſa*; malorum etiam hominum & impiorum concilia, Eccleſia appellantur, vt Pſal. 25. per Prophetam de illis dic. *Odiui Eccleſiam malignantium.* Communi verò & vſitata ſcripturarum conſuetudine hæc vox ad Chriſtianam fidelium tantùm congregationem ſignificandam adaptatur, qui ad lucem veritatis, & DEI notitiam per fidem vocati ſunt. Et quamuis eadem ſit Eccleſia, noui & veteris teſtamenti:

Cyrill: Hieroſ.

2. quoad ſubſtantiam, quia tamen ſtatus noui teſtamenti eſt longè excellentior, ideo populus veteris teſtamenti propriè Synagoga, populus noui teſtamenti Eccleſia dicitur. Ita enim S. Aug: lib. 4. contra Fauſt: cap. 2. *Populus* inquit *Iudæorum Synagoga dictus fuit, quia pecudum more, quibus magis congregari conuenit, terrena tantùm & caduca bona ſpectaret. Chriſtianus autem populus Eccleſia nuncupatur, quia terrenis & mortalibus rebus contemptis, cœleſtes & æternas tantummodo ſectatur.* Cum itaq; nomine Eccleſiæ

Auguſt.

3. principaliter ſignificetur cœtus fidelium, vt S. Paulus toties vſurpat, Roman: 16. *Salutant vos* inquit *omnes Eccleſiæ Aſiæ.* & 1. Corinth: 6. *Qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum.* & cap. 11. *Si quis videtur*

contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. Tamen etiam transfertur ad significandum locum, in quo continetur cœtus ille, vt Iudith 6. *Omnis inquit populus per totam noctem diffusus intra Ecclesiam orauerunt.* Deut: 23. *Non intrabit eunuchus in Ecclesiam Domini.* Iudic: 20. *Cunctæ tribus Israel conuenerant in Ecclesiam populi Dei.* 1. Cor: 11. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam.* Et, *Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Vsurpatur quandoq; pro Senatu Ecclesiastico. vt Mat: 18. *Dic Ecclesiæ.* Atq; hac ratione constituto Ecclesiæ vocabulo, constituendum est etiam, quid sit Ecclesia, hac enim ratione via planior fiet, ad inueniendam & cognoscendam, si compertum fuerit de natura ipsius. Multifariam autem Ecclesia definitur ab Authoribus, nam Thomas Bozius 4. lib: 24. de signis Ecclesiæ cap. 6. Ecclesiam vocat *cœtum vniuersorum, qui Deo sunt accepti.* Quâ notione, non hoc intendit, quòd soli iusti & prædestinati sint Ecclesia, vt hæretici volunt, sed vt ostendat, non esse alibi acceptos Deo nisi in Ecclesia, ita vt extra Ecclesiam, nemo Deo placere & acceptus esse possit. Ioannes à Louanio in expositione Symb: Ioan: Hassals. Apost. cap. 51. dicit. *Ecclesiam esse congregationem hominum, ad hoc conuocatam à Spiritu Sancto, vt ei merita Christi communicentur.* Etiam iste intendit ostendere extra Ecclesiam non esse communicationem meritotum Christi, nec inueniri charismata Spiritus Sancti. S. Thomas in exposit: Symb: D. Thom. Apost. & Concil: Lateran: cap. Firmiter, de Summa Trinitate & fide Concil: Later. Catholica, Ecclesiam *per Congregationem Fidelium explicant.* S. August. August. *Populum fidelem per vniuersum orbem dispersum nominat.* Ex quo patet, Ecclesiam Dei, non posse aliam esse, quàm Catholicam, quæ per vniuersum orbem terrarum diffusa, omnium temporum & nationum populos in se continet: nam inde à prima die, quâ Spiritus Sanctus animos Apostolorum perfudit, ex omni ferè natione, aliqui Christum sunt venerati, vt Act: 2. refert Scriptura. S. Cypr: lib. 4. epist. 9. talem Ec- Cypr. clesiæ adfert notionem, vt sit *plebs sacerdoti adunata & pastori grex adhærens,* quâ notione indicat etiam monarchicum regimen Ecclesiæ. Pos- 5. sumus completam notionem Ecclesiæ, cum recentioribus, vt Bellarm: lib. 3. de Ecclesia cap. 2. & aliis assignare, si dicamus, *Ecclesiam esse* Bellarm: *cœtum visibilem hominum, eiusdem christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, sub vno capite suo Christo, vnoq; vices eius gerente Romano Pontifice.* In hac notione loco generis ponitur cœtus

hominum visibilis, in quo Ecclesia conuenit cum aliis cœtibus, paganorum, Turcarum, Iudæorum, hæreticorum: omnes enim cœtus isti sunt hominum, & omnes visibiles; tametsi aliqui hæreticorum fingant inuisibilem cœtum iustorum, prout infra patebit: ponuntur reliqua loco differentiæ, & primò quidem ponitur professio veræ fidei, per quod Ecclesia differt ab omnibus infidelibus, vt paganis, Iudæis, hæreticis. Ponitur vlterius communio sacramentorum; vnde Ecclesia differt ampliùs, non solùm à prædictis cœtibus infidelium, verùm etiam à cœtu cathechumenorum & excommunicatorum. Ponitur præterea, subiectio ad vnum pastorem, per quod differt Ecclesia à cœtu schismaticorum, qui licet fidem & sacramenta habeant, non tamen subijciuntur vni pastori, vnde nec fidem profitentur, nec sacramenta in Ecclesia, sed extra Ecclesiam percipiunt. Itaq; Apostolus frequenter comparat Ecclesiam humano corpori, in eaq; dicit esse *vnum corpus & vnum spiritum*. Ephes: 4. Et S. August. vocat *viuum corpus*; nam in Ecclesia, corpus sunt externa fidei professio, & sacramentorum communicatio: anima verò sunt interna dona Spiritus Sancti, fides, spes, charitas, &c. [August.]

Not. 2. Posita notione Ecclesiæ, priusquàm aliquid de signis, symbolis & notis ipsius statuatur. videndum est qualis ipsa sit, vt pro conditione ipsius, etiam signa inquirantur. Et hæretici quidem inuisibilem comminiscantur esse veram Ecclesiam, mathematicam ab omni sensu abstractam, in qua soli sint iusti & prædestinati, ita vt qui non est iustus per gratiam, ad Ecclesiam eorum sententiâ minimè pertineat. Huius erroris Wicklefitas, Hussitas, Lutheranos, & alias lues, notat Alfonsus à Castro lib. 1. cap. 6. Lutherus ipse, in lib. de seruo arbitrio, Ecclesiam Christi veram, non illam esse dicit, quæ vulgo dicitur Ecclesia, id est, non Papam, Episcopos, Clericos, Monachos, & cæteram Catholicorum multitudinem, sed Ecclesiam esse, paucos quosdam pios. Et in lib. contra Catharinum, dicit *Ecclesiam esse spiritualem solâ fide perceptibilem*: similiter in lib. de abroganda Missa angulari, *Quis inquit Ecclesiam nobis monstrabit; cum sit occulta, in spiritu, & credatur solùm? sicut dicitur, Credo Ecclesiam sanctam*. Philippus Melanth: & Magdeburgenses, veram Ecclesiam solùm esse in quibusdam piis, electis, & à Deo illuminatis, sicut inquit tempore Christi solùm fuit in Zacharia, Simeone, Maria, Magis, Pastoribus, Anna prophetissa, non verò in Pontificibus, & Sacerdoti-

[Margin: 1. — Hæretici Ecclesia inuisibilem dicentes (handwritten) — Wicklef. Huss. Luther. Alfons. à Castro. — Melanton Magdebur]

bus, eò quòd hi impij, illi autem pij fuerunt. Itaq; veram Eccleſiam dicunt eſſe cœtum exiguum, falſam numeroſiſſimum: idem Brentius in prolegomenis contra Petrum à Soto: idem Caluin⁹ in ſuis inſtitutionibus. Qui omnes idcirco Eccleſiam redigunt ad tantas anguſtias, vt dicant in ſolis, ijſq; paucis electis inuiſibilem eſſe. ne ſi concederent eſſe viſibilem, & ſenſibus expoſitam, viſibiliter decernenti credenda acquieſcere oporteat, à quo illi effugium quærentes, dicunt nunquam viſibilem totam ſimul congregari valere, ad aliquid definiendum; nec eſſe ſtandum iudicio viſibilis Eccleſiæ, quia in ea pauci ſunt electi, qui ſoli ſine errore iudicare poſſunt, & ſæpè maior pars vincit meliorem: ita Brent: in confeſſ. Wirtemberg: atq; hæc eſt hæreticorum mens & ſententia. Catholica autem veritas aliud continet, non in ſolis pijs, iuſtis & electis Dei veram eſſe Eccleſiam, ſed etiam in malis: ſicut olim in arca fuerunt animalia munda & immunda, in ſagena piſces boni & mali, prout Cyprianus, Auguſt: Gregor. & alij interpretantur. Certum eſt itaq; in omnibus, qui fidem publicam legitimè profitentur, Eccleſiam eſſe veram, nec ad hoc requiri aut gratiam, aut interiorem aliquam virtutem occultam, vel in membris, vel in miniſtris Eccleſiæ, præter publicam & legitimam profeſſionem fidei, & vocationem, vt docet Petrus à Soto. Quamobrem cùm viſibilis ſit vera Dei Eccleſia, ex ſententia Catholicorum, talia ſigna & notæ ſunt inquirendæ, per quas certò & infallibiliter inueniri, cognoſci & diſcerni poſſit.

Brent. Caluin. Brent: 3. Cypr: Auguſt: Gregor:

Not. 3. Quoniam Hæretici non conueniunt in Eccleſia cum Catholicis, ita quoq; in aſſignandis notis & teſſeris inueniendæ & cognoſcendæ diſcordant. Hæretica Eccleſia vt iam dictum eſt, inuiſibilis: Catholica viſibilis: propterea illi ejuſmodi notas accommodant, quæ in veram & Catholicam viſibilem Eccleſiam quadrare non poſſunt. Et quemadmodum in nullo articulo conſtanter & vnanimiter conueniunt, ita in aſſignandis notis Eccleſiæ ipſi inter ſe ſunt diſcordes. Nam alij veram notam Eccleſiæ dixerunt eſſe, quod aliqui in confeſſione fidei perſeuerent vſq; ad mortem, quâ notâ ſe conſignare conabantur Caluinus & Magdeburgenſes: ſed fruſtra, quia communis eſt pluribus, vix enim aliqua ſecta extitit, quæ non fuerit gloriata de ſuis martyribus, vſq; ad mortem perſeuerantibus in ſuæ fidei confeſſione: ita enim Montaniſtæ vt refert Euſeb. lib. 5. hiſtor. cap. 18. Donatiſtæ, vt teſtatur Auguſt: epiſt.

3. Caluin: Magdebur: Montan i. Euſeb: Donatiſtæ

Augusti. Anabapt. Bernar.

50. de Anabaptistis, idem dicit Bernard. Serm: 66. in Cant: ostendens *quàm prodigi vitæ fuerint*. Sed istorũ omnium vana & in cassum est gloriatio, non enim pœna, sed causa martyrem facit. *Non qui propter iniquitatem*, inquit August: *& propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt*. Proinde talis nota, nec ipsorum qui de ea gloriantur, Ecclesiam demonstrare potest: non enim ex illa sciri potest, qui sint iusti & electi, ex quibus solis eorum constat Ecclesia. Quibusdam placuit pro nota veræ Ecclesiæ, perfectam populi sanctitatem, innocentiam, & vitæ integritatem assumere, nec aliam esse veram Ecclesiam, nisi in qua omnes verè sint sancti, pij & iusti, cui sententiæ subscripserunt olim Nouatus, Donatistæ, Anabaptistæ, & alij. Et simulatâ quidem pietate, plures hæretici animas decipiebant, Psalliani, Euchitæ, Antropomorphitæ, Ebionitæ, Taciani, Picarditæ, Schenckfeldiani, vt recitat Card: Hosius lib. 1. contra Brent: hac nota consignat Lutherus suam inuisibilem Ecclesiam, in qua solos verè iustos & pios collocat. Verùm nec ista satisfacit, non enim potest certò & infallibiliter ostendere Ecclesiam, cùm non minùs sit communis quàm superior, & præterea minimè nota, sed in abdito recondita. Iam Lutherus in lib. de Concil: & Ecclesia, septem notas Ecclesiæ ponit. Vnam dicit veram & incorruptam Euangelij prædicationem: alteram legitimam Baptismi administrationem: tertiam legitimum vsum Eucharistiæ: quartam legitimum vsum clauium: quintam legitimam electionem ministrorum, qui doceant & sacramenta administrent: sextam orationem publicam seu psalmodiam & cathechismum sed lingua vulgari: septimam mysterium crucis, id est tribulationes intus & extra: quas Lutheri chymeras sufficienter & solidè refutat Doctissimus Bellarm: in lib. de notis Eccl.

In quibus sit Ecclesia (handwritten margin note)

Nouatus Donatistæ Anabapt: Psalliani Euchitæ Antropomô. Ebionitæ Taciani Picarditæ Schenckf. Hosius. Luter: 2. Bellarm.

1\. Not. 4. Notas seu tesseras Ecclesiæ ad duo capita reuocari posse, sicut etiam de signis philosophatur Aristoteles lib. 2. Prior: cap. 27. Et lib. 1. Rhet. cap. 2. ita, vt aliud signum sit necessarium & insolubile, quod Τεκμήριον appellat, quasi finem causæ imponens, quodue pro argumento sumitur vt medium. Aliud quoddam probabile & solubile, quod dicit non habere proprium nomen, à Græcis Εἰκότον vocatur, quod congruum rectè dixeris. Illud insolubile & necessarium est, quod semper infert signatum, & nec deficere contingit, sicut cineres & fumus sunt

signa necessaria ignis: & inordinatè moueri arteriam, signum aduersæ valetudinis: & hoc dicit Arist. *pulcherrimum signum, & scientiam efficere.* cap. 13. de Signo in Rhet: ad Alexandr. Porro illud necessarium non est, sed probabile, quod non indicat necessariò rem, vt pallidum esse, signum est, aliquem timore perculsum: atq; hoc signum loco prædicto affirmat Aristotel. efficere opinionem. Signa ergo seu notæ Ecclesiæ ad hunc propè modum distinguuntur: aliæ enim sunt quæ Ecclesiam necessariò commonstrant, vt sunt illæ quatuor in symbolo fidei expressæ, scilicet, *Vna, Sancta, Catholica, Apostolica:* aliæ verò sunt de genere prædictorum signorum, quæ etsi singula rem necessariò non commonstrent, multa tamen simul collecta, tanquam certa quædam vestigia, ad ipsam Ecclesiam nos deducunt. qualia sunt præsentia Spiritus S. conuenientia cum suis imaginibus in scriptura expressis, conuenientia cum lege naturæ, & alia, quorum plurima explicat Thomas Bozius, libris 24. de signis Ecclesiæ. Et quoniam instituti mei est, potissimum de signis necessarijs Ecclesiæ, agere, ideo. 2. Bozius.

NOT. 5. Siquidem ea necessaria sunt signa & notæ Ecclesiæ, quæ reddunt eam adeo perspicuam & manifestam, vt quilibet possit eam certò & infallibiliter inuenire & cognoscere, idcirco conditiones & requisita huiusmodi signorum & notarum sunt explicanda: quinq; autem requiruntur ad hoc, vt res aliqua dicatur nota & signum necessarium, nam notæ illæ, quas Hæretici suis synagogis solent falsò quidem adscribere, vt potè habere CHRISTI doctrinam & hanc puram, Sacramenta & rectum eorum vsum, quanquam Ecclesiæ propria sint, non sunt adeo claræ & sufficientes ad veram Ecclesiam demonstrandam, vt per eas possit nec exercitatissimus veram Ecclesiam ab adulterinis conuenticulis, quæ has sibi notas arrogant, discernere. Primum ergo requisitum est, vt signum necessarium seu nota, naturâ suâ cognita sit, perspecta & euidens, quod enim obscurum est, illud rei obscuræ, & quæ cognosci debet, nullam lucem adferre potest, quin verò signum rei alicuius obscuræ, non solùm doctis & eruditis, sed etiam indoctis & idiotis cognitum esse debet. Ratio huius est, quia sicut argumenta & demonstrationes pro doctis comparantur, ita signa & notæ indoctis & rudioribus deseruiunt, qui propter imbecillitatem ingenij, intima rerum ingredi non possunt. 2. requiritur vt signum & nota longè sit clarior & illustrior ea ipsa re, quam de- 1. 2.

notare debet, nam si magis ignotum vel æquè obscurum sit, nullo modo poterit nos ducere ad cognitionem eius rei, cuius gratia est comparatum; 3. requiritur in signo seu nota, ne sit communis, hoc est, non debet vlli rei alteri conuenire, præter eam, ad quam significandam ea nota est instituta, nam quod multis conuenit, propria nota seu signum vnius esse non potest, sed est accidens commune; ita enim duos oculos, vel duas manus habere quia multis conuenit, non potest proprium signum esse alicuius singularis personæ: nec pallor in facie, est signum proprium timoris, quia conuenit etiam ægritudini. 4. signum debet esse ἀχώριστον seu inseparabile, ita vt vbicunq; est, ibi rem esse necessariò, vbi verò non est, nec rem esse indubitatum sit; lux enim cùm sit nota corporis lucentis, designat enim corpus lucens, ita connexa est cum corpore lucente, vt vbi sit, necesse quoq; sit esse ipsum corpus lucens, vbi autem lux non est, neq; corpus lucens esse, res est manifesta. 5. Nota non solùm debet esse cognita, sed etiam in aperto posita, & vt se primo aspectu cernentibus offerat, id est, non debet esse in penetralibus rei abdita, sed in ipso ingressu & vestibulo reposita, vt ab ea neminem
3. Aristot: contingat aberrare, *Ecquis enim ab ostio aberret?* vt de principiis communissimis cognitionis. 2. Metaph. T. 1. Arist: pronuntiat Quamobrem cum signa & notas, quibus inueniatur, cognoscatur, & discernatur, vera DEI Ecclesia, quærimus, eiusmodi signa quærimus, quæ eam omnibus exhibeant, & quasi digito demonstrent. quod tunc præstare valebunt, si omnes istas conditiones prædictas habuerint.

NOT. 6. Cùm articuli fidei, qui partim ex scriptura, partim ex traditione
1 habentur, non possint à nobis securè & infallibiter credi, nisi legitimè & infallibiliter ab Ecclesia proponantur, necessariò sequitur Ecclesiam debere habere illas tres conditiones, hoc est, vt sit visibilis, infallibilis, & nota. Et primò quidem debet esse visibilis, nam si esset inuisibilis, non posset nobiscũ visibiliter agere, & articulos fidei proponere. Hoc enim certum est, & indubitatum. tàm fidei articulos proponere, quàm controuersias de rebus ad religionem pertinentibus dirimere, esse officium Ecclesiæ, seu supremi in Ecclesia Pastoris. Non est enim veritati consentaneum, quod passim vociferantur hæretici, solam scripturam esse iudicem sufficientem controuersiarum religionis; cùm verus iudex dici non possit nec debeat, nisi qui inter litigantes, ita pronuntiat suam sententiam vt vterq; litigantium intelligat,

quænam sit iudicis sententia, & vnus cognoscat pro se latam, alter contra se, quod scriptura sola nulla ratione præstare potest: hactenus enim inter ipsos hæreticos lites de religione mouentur, nec per iudicium solius scripturæ componi possunt, nisi claram & euidentem tulerit in hoc negotio Ecclesia sententiam. Deinde, nec iuxta literam, nec iuxta sensum scriptura verus iudex in controuersijs religionis esse potest. Non iuxta literam, quia iudex verus & infallibilis non debet esse causa mali ijs, inter quos iudicat, scriptura autem iuxta literam occidit, 2. Cor: 3. in errores ducit & in hæreses imò quotquot fuerunt & sunt hæretici, propter literam sunt hæretici, vt ostendit S. Hilar. de Synod: lib. vltimo. Non etiam iuxta sensum. quia sæpissimè obscurus est. vt infra patebit. concl. 4. coroll: 2. memb: 2. iudex autem clarè, & citra omnem obscuritatem, sententiam pronuntiare debet. Causatur itaq; visibilis Ecclesia, ex visibili & manifesto iudicio. Infallibile quoq; iudiciũ ipsius esse, communis est sensus omnium recta ratione degentium, cùm sit *columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim: 3. nec *portæ, nec potestates inferorum aduersus eam præualeant.* Matth: 16. eiusq; iudicis & sententiæ, non alia de causa, nisi quia infallibilis, sub anathemate obediendum præcipitur, Matt: 18. Quod si errare posset, non vbiq; sub tàm graui pœna, ad assentiendum ijs omnibus quæ decernit, aliquis obligaretur, Notam deniq; Ecclesiam esse oportet, si enim ignota & occulta esset, omnia nobis ambigua & perplexa manerent.

Hilar.

2.

Not: 7. Doctrinam Catholicorum esse consistentem de tradendis Ecclesiæ veræ & visibilis notis, vt non ab intrinsecis ipsius, sed ab extrinsecis eas petant & desumant. eas nimirum, quæ sunt de genere signorum necessariorum, & eorum quibus causæ finis imponitur, cuiusmodi sunt quatuor illæ in Concilijs designatæ, his enim quinque illæ conditiones expositæ cum primis deseruiunt: sunt enim signa natura sua nota, & euidentia, notioraq; ipsa Ecclesiâ, & quæ ita Ecclesiæ sunt propria, vt non sint vllis cœtibus alijs communia, Sunt præterea ista signa ita in aperto posita, & cum Ecclesia inseparabiliter coniuncta, vt manibus etiam ipsis palpandam exhibeant. 1.

Not: 8. Quamuis istæ quatuor notæ, & si quæ aliæ necessariæ inueniuntur, sint signa euidentia, & cum Ecclesia ita connexa, vt ab ea separari non possint, non tamen efficiunt euidenter verum, ipsam esse veram Dei Ecclesiam, vt notauit Bellarm: in lib de notis Ecclesiæ. cap. 3. ita enim non esset articulus fidei, hanc esse veram Dei Ecclesiam; efficiunt tamen id euiden- 1. Bellarm:

uidenter credibile, quæ duo sunt distincta. Nam euidenter verum id dicimus. quod vel in se, vel in suis principijs videtur: in se, vt sunt prima principia per se nota, de quibus est intellectus: in suis principijs, vt sunt conclusiones, de quibus est scientia. Porrò illud euidenter credibile dicitur, quod nec in se, nec in suis principijs videtur, habet tamen tam grauia testimonia, vt merito quisque credere debeat. Notæ ergo istæ, non demonstrant euidenter verum simpliciter, hanc esse veram DEI Ecclesiam, (nisi a-
2. pud eos qui admittunt scripturas, historias, & veterum Patrum scripta)
ita enim nemo id negaret, sicut nemo negat propositiones à Mathematico demonstratas. Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Et. Diameter quadrati, non est commensurabilis costæ. Sufficit ergo quòd notæ istæ exhibeant euidenter credibile, iuxta illud. Ps. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

1. NOT: 9. Dùm quæritur cui cœtui hominum conueniant adæquatè omnes illæ quatuor notæ, in Concilijs designatæ, protinus se offert Ecclesia Romana, visibilis, semper Pontificia, quæ Romana dicitur à nobiliori loco & parte. quamuis enim hæc Ecclesia sit collectio fidelium, qui toto orbe sunt dispersi, cum Romana tamen communicant, tanquam principali, à duobus gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundata, vt ait Iren:
Iren: lib: 3. cap. 3. Et hic semper est Christiani & verè Catholici hominis character, adhærere Romanæ Ecclesiæ principali. Nam de Ceciliano qui flo-
August: ruit circa annum. 300. August: Epist: 162. ita scribit. *Posset non curare multitudinem conspirantium inimicorum, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctam.* Hæc ea-
2. dem Ecclesia toto orbe dispersa, non solùm Romana, sed etiam Pontificia appellatur. Eo quòd Pontifici Romano subiecta, ab eo ceu Christi in terris Vicario capite regitur, administratur, ac in vnitate conseruatur. Et quamuis aliquando Romana Ecclesia, pro illa particulari accipiatur, quæ Romana Diœcesi continetur. in præsenti tamen sermo est, de Ecclesia Romana, quæ per vniuersum orbem distributa Romano paret Pontifici, de qua illud certum est, quòd quamdiu adhæret Romano Pontifici, nunquam errare in rebus ad salutem necessarijs possit, contra quam portæ inferi præualere non
3. possunt. Hinc August: lib: 1. de Symb: ad Catech: cap. 5. *Ipsa est inquit Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hære-*

ses

ses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest, hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferi non vincent eam. Quod etiam de Romana particulari æquum est sentire, non enim fieri potest persistente Romæ sede Apostolica, vt omnes Romani errent. & Apostatæ efficiantur: iuxta quem sensum Gregor. Nazian: in carmine de vita sua. *Vetus inquit Roma, ab antiquis temporibus habet rectam fidem: & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.* Translata tamen inde sede Apostolica. priuilegium etiam id ipsum inde auferri posse, nemo arbitror inficias ibit, His ita prænotatis, stabilitur. Nazian:

CONCLVSIO I.

Visibilis, aspectabilis, clarissima, & amplissima Ecclesia vera, colligitur expresse diuinis ex literis.

Quanquam apud Catholicos, nihil controuersiæ parit conclusio, verùm quia ab hæreticis multi-formiter vocatur in dubium, ideo pro apertiori declaratione, per articulos examinandam iudicaui, sit.

ARTICVLVS I.

An Ecclesia vera, debeat esse visibilis, aspectabilis & clara?

Tria ista sub eadem ratione simul proponuntur, visibilis, aspectabilis & clara, cùm ferè in idem recidant, in quo valde perplexi & ambigui sunt hæretici, aspernantes visibilem in terris Ecclesiam, inuisibilem sibi quandam & imaginariam præstituentes. Ita Wicklef, Hus, Lutherus, Brentius, Illyricus, Magdeburgenses & alij. Pro quorum sententia hæc possunt proponi argumenta. 1. Quod creditur non videtur. Sed Ecclesia creditur: nam in Symbolo d. *Credo Sanctam Ecclesiam.* Ergo Ecclesia non videtur. Mai: *Illa videntur quæ per seipsa mouent intellectum vel sensum ad sui cognitionem.* vt dicit D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art: 4. c. Sed quæ creduntur, non mouent per seipsa intellectum ad sui cognitionem, multo minus

1. Wicklef. Hus. Luter. Brent. Illyric. Magdeb. D. Thom:

nùs sensum, à quo sunt remotiora, Ergo ea quæ creduntur non videntur. MIN: liquet, nam ad ea quæ creduntur voluntarie & libere per quandam electionem declinat intellectus. Ergo non mouent intellectum sufficienter & per seipsa.
2. 2. Quale caput, tale reliquum corpus: hæc enim proportio naturaliter debet intercedere inter caput & corpus, vt sint homogenea seu similaria & eiusdem rationis. Sed caput Ecclesiæ veræ, nec visibile est, nec aspectabile, scilicet CHRISTVS, in quem nunc non videntes credimus. 1. Petr: 1. Ergo & ipsa Ecclesia nec visibilis est nec aspectabilis.
3. 3. Ecclesia est obscura. Ergo non est clara. ANT: Si Ecclesia non esset obscura, facile ab omnibus cognosceretur, imò iam esset ab omnibus cognita, cùm tamen plurimi in eam offendant nec ipsam cognoscant. Et Confirm: quia fides qua credimus Ecclesiam, ex intrinseca sua ratione est obscura, non solùm ex formali, sed etiam ex materiali, quæ est
August. non apparentium. Hebr. 11. inde S. August. Tract: 40. in Ioan: *Quid est fides nisi credere quod non vides?* Ergo & Ecclesia vt sit obscura est necesse.
4. 4. Prædestinatio est inuisibilis; nam videri non potest qui sint prædestinati. Atqui Ecclesia est prædestinatorum, & saluandorum vsq; adeò vt damnandi ab ea sint alieni: vt seruatur analogia inter corpus Christi verum & mysticum, Christi autem corpus verum, cum omnibus suis partibus saluum est & gloriosum.
5. 5. Domus spiritualis est inuisibilis, sicut & spiritus ipse inuisibilis est, Atqui Ecclesia est domus spiritualis. 1. Petr. 2. *Ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.* Ergo Ecclesia quoq; est inuisibilis. Hæc pro hæretica sententia. In oppos:
6. CONCLVDITVR. Ecclesiam veram, esse visibilem, aspectabilem & claram, est de fide. Ita omnes antiqui Patres & Doctores Catholici.
Origen: Origenes Homil, 30. in Matth. *Ecclesia inquit plena est fulgore ab Oriente vsq; ad*
Cyprian. *Occidentem.* Cyprianus in lib: de vnitate Ecclesiæ. *Ecclesia inquit luce Domini perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit.*
Chrysost: Chrysostomus Homil. 4. in Isaiam. *Facilius est inquit solem extingui, quàm Ecclesiam obscurari.*
Ambros. Ambrosius lib. 7. in Lucam. *Ecclesia inquit non potest tenebris & ruinis huius mundi abscondi, sed fulgens candore æterni solis, luce nos gratiæ spiritualis illuminat.*
Augustin. Augustinus Enchiridij cap: 61. *Ecclesia inquit quæ à cælesti peregrinatur in terris, eo nobis notior est, quòd in illa sumus, & quia hominum est,*
Tract: 2. de epist. Ioann. *quod & nos sumus.* Et in ps: 18. *Deus in manifestatione posuit Ecclesiam suam, non quæ lateat, non velut operta, ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum.*

rum. Et, *Ecclesia in sole reposita est, non est in nocte, sed in die.* Et Hilarius lib: 7. de Trin. *Eam lucem Ecclesia doctrinæ suæ etiam imprudentiæ seculi inuehit, vt licet fidei Sacramentum non suscipiat, tamen aduersus hæreticos veritatem sacramenti à nobis intelligat prædicari.* PATET veritas Catholica. 1. quia Ecclesia vera visibiliter, aspectabiliter & clarè regitur & gubernatur. Ergo est visibilis, aspectabilis & clara. ANT. Patet Act: 20. vbi de visibili & manifesta gubernatione Ecclesiæ dicitur. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Iam videndum quam Ecclesiam regent Episcopi, & quos populos, nunquid eos quos videre non possunt? 1. Cor. 15. & Gal: 1. fatetur Paulus se persecutum fuisse Ecclesiam DEI, nunquid poterat persequi quod non videbat, aut non apparens expugnare materiali gladio? quod Act: 9. fecit. Hilar.

DICES. Regimen illud Ecclesiæ esse spirituale, proinde inuisibile; deinde quantum ad persecutionem; Christum non videbat Saulus, tamen persequabatur, cui Act: 9. dixit. *Saule quid me persequeris?* pari ratione Ecclesiam persequi potuit non videns eandem, sicut dona DEI spiritualia mali persequuntur in bonis. CONTRA. quantum ad regimen & gubernationem, Agentia visibilia visibili modo agunt, quia agunt proportionaliter naturæ suæ. porrò Prælati Ecclesiam regentes sunt homines visibiles, relinquitur regimen etiam ipsorum esse visibile licet effectus regiminis illorum, non necessario visibilis. Quòd verò Paulus dicitur persecutus Christum & Ecclesiam: aliter tamen Christum quem non videbat & aliter Ecclesiam quam videbat. Ecclesiam enim persecutus est, non in alio, sed in seipsa, quando persecutus est homines in Ecclesia visibiles persecutus ipsam Ecclesiam, nec enim aliquid aliud est Ecclesia, quàm cœtus hominum, vt Notabili 1. d. Christum verò persecutus erat non in seipso, sed in Ecclesia, in membris eius: neq; enim Christus resurgens à mortuis amplius moritur, aut persecutionem in seipso patitur, neq; Saulus ipsummet Christum vinctum perducebat in Ierusalem ad principes sacerdotum, sed membra eius, corpus eius quod est Ecclesia, viros ac mulieres, exinde visibilem Christi Ecclesiam persecutus. 7.

DEINDE. In qua Ecclesia visibiliter damnantur schismata & hæreses exortæ contra religionem, illa necessario visibilis est & clara: ita enim respub. necessario visibilis est, in qua visibiliter mali puniuntur, boni præmiantur. Atqui in Ecclesia vera visibiliter damnantur hæreses & schismata: vera enim 8.

Concil: Nicæni. nim Ecclesia fuit in qua visibiliter damnatus fuit Arius in Concilio Nicæno. à trecentis decem & octo patribus, congregatis ex varijs gentibus, vt ex Ægypto. Syria. Cilicia. Phœnice. Arabia. Palestina. Thebaide. Libia. Mesopotania. Persia. Ponto, & alijs mundi partibus, vt memorat Bernard. Lutzenb. Lutzenburg. Vera fuit Ecclesia in qua visibiliter damnata fuit hæresis Macedonij, in secunda Synodo Constantinopoli congregata. Constantinop: II. Vera item Ecclesia quæ visibiliter damnauit hæresim Macarij & Monothalitarum in sexta Synodo Constantinop. Constantinop. VI. Vera deniq; Ecclesia quæ semper visibiliter aspectabiliter & clarè alia hæresum monstra & noua dogmatum portenta anathematizat, vt Wicklef damnatus in Concilio Constantiensi, Lutherus à Leone Decimo & Concilio Tridentino anathematizatus. Constantien: Trident. Ergo vera Ecclesia visibilis est & clara.

9. Præterea. Si Ecclesia non esset visibilis, aspectabilis & clara, non posset à quolibet manifesto inueniri, qui fratrem inordinatè ambulantem velit corrigere, iuxta illud præceptum. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ*, quomodo verò diceres nisi eam inuenires? quomodo autem inuenires si hæc in occulto & inuisibilis maneret? quæ cùm negare non possemus, Ecclesiæ enim munus est, certa præcepta & leges statuere (vt etiam in Tractatu de potestate clauium dixi) quæ ad bonum regimen populi fidelis spectant ordinare, Concilia indicere, articulos fidei proponere, controuersias omnes circa religionem exortas dirimere, vt Notab. 6. d. quæ tamen omnia noninisi visibiliter exequitur.

10. Insuper. Ecclesia vera abscondi non potest, imò lucet omnibus. Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus*: etenim tàm lucerna quàm ciuitas hîc Ecclesiam significant. Iren. hinc Iren: lib. 5. cap. 20. *Vbiq; inquit Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est* ἑπτάμυχος *lucerna Christi baiulans lumen.* Necessariò igitur clara & aspectabilis est vera Ecclesia.

11. Deniq; . Confessio ipsa aduersariorum visibili Ecclesiæ vt testatur, licet enim ipsi latebras inuisibilis Ecclesiæ quærant. vt se in illis abscondant, intelligentes se ad hunc visibilem cœtum non pertinere, quem esse veram Catholicam Ecclesiam nemo pius contradixerit; tamen velint nolint Ecclesiam visibilem agnoscunt & confitentur. Caluin: Melanchthon. Caluinus quidem lib. 4. instit; cap. 1. ex professo disputat de visibili Ecclesia. Philippus etiam

Melanchthon in locis communibus aliquoties repetit Ecclesiam esse visibilem. Et in examine ordinandorum ita ait. ***Ecclesia visibilis in hac vita, est cœtus visibilis, amplectentium incorruptam Euangelij doctrinam, & rectè vtentium sacramentis, in quo cœtu filius Dei efficax est. & multos regenerat ad vitam æternam*** : in quibus verbis apertè ostendit veram Ecclesiam esse visibilem. Sed iam

Ad Argvm: ℞. Ad 1. Mai: distinguenda, Quod creditur non videtur, 12.
concedo ea parte qua creditur, potest tamen alia parte videri nam & baptismus ea parte qua creditur operari ad interiorem mundationem hominis, non videtur ; videtur autem quatenus exterius abluendo homini administratur. Ita Ecclesia qua parte creditur habere veram doctrinam Christi & Apostolorum, non videtur : videtur autem quatenus conflatur ex multitudine hominum. Vnde visibilis Ecclesia, partim cadit sub externos oculos, partim sub internam fidem : & sic patet resolutio etiam probationis.

Ad 2. ℞. Quia Christus in se, nunc est inuisibilis, sedens ad dexte- 13.
ram patris, ideo vt inuisibile caput, inuisibili modo influit in totum corpus Ecclesiæ per communicationem gratiæ & charismatum : quo ad visibilem autem gubernationem & regimen, visibili Ecclesiæ, visibile caput vicarium dedit Petrum, & succedentem ei Romanum Pontificem, in quo ipse est visibilis, Ergo Christus vt inuisibile caput inuisibili modo, Petrus visibiliter Ecclesiam gubernat visibilem, & optimè congruit congeneum caput reliquo corpori, visibili credentium Ecclesiæ, visibilis homo fidelis.

Ad 3. ℞. neg: Ant: Lutherus in lib. de abroganda Missa, Ecclesiam 14.
dicit occultam in spiritu, sed qui potest esse occulta, quæ est in sola posita, id
est in manifestatione, vt S. August: exponit. Ad prob. autem d. ex ea August:
parte, qua Ecclesia clara est, ab omnibus cognoscitur cognitione externa, non ab omnibus autem cognitione interna, id est, non omnes cognoscunt in hac Ecclesia esse veram doctrinam, remissionem peccatorum, communionem Sanctorum. &c. cur hac non agnoscant. prolixè explicat Aug: Tract: 2. in epist: Ioan: ponderans verba prophetæ Ps: 18. Con- August:
tingit verò id illis ex libertate voluntatis ipsorum, qui agnoscentes Ecclesiam, ad illam nolunt conferre fidem suam ; sicut illi Rom: 1. *qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Ad Confirm: d. Fide nos apprehendimus in Ecclesia esse veram doctrinam & alia, sensu verò exter-

ter-

ternam multitudinem populorum, proinde non sequitur. Fides qua apprehendimus veram doctrinam in Ecclesia est obscura. Ergo Ecclesia ex
15. multitudine populi conflata non est clara; est fallacia non causæ vt causæ, cum antecedens nullam veram causam habeat consequentis.

Ad 4. ℞. neg: Min: delirabat enim Hus, vniuersalem Ecclesiam ex solis prædestinatis constare dicens, quod est falsissimum, sicut enim prædestinati, ita & præsciti eandem Ecclesiam in terris complent, quod vel parabolæ Euangelicæ ostendunt; quando in sagena quæ Ecclesiam significat, boni & mali pisces esse dicuntur: ad nuptias Matth: 22. congregati sunt mali & boni, similiter Matth: 25. Virgines prudentes & fatuæ vocantur, & similia. Ad prob: d. Sicut in corpore physico duplices sunt partes, aliæ materiales, aliæ formales, simili modo in corpore mystico. Itaq; sicut corpus Christi physicum seu verum & naturale, totum est saluum & gloriosum cum omnibus partibus formalibus, non tamen cum partibus materialibus, quæ in ipso fluebant & mutabantur, quod in nobismetipsis experimur. Idem de corpore mystico sentiendum, omnes enim partes formales saluabuntur, vt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Euangelistæ, Pastores, Doctores, &c. & ex omni genere hominum, Virgines continentes, coniugati aliqui saluabuntur, non tamen omnes partes materiales, quæ sunt homines singulares.

16. Ad 5. ℞. Est æquiuocatio in ly spirituale, proinde quòd aliquid spirituale dicitur, non continuo inuisibile efficitur. nam Gal. 6. Viros Ecclesiasticos & perfectos, spirituales vocat Apostolus, qui tamen visibiles non minùs ac ceteri ad quos scripsit, fuerunt: & communi vsu loquendi, bona Ecclesiastica, bona spiritualia vocamus, ipsa tamen oculis exposita. Spirituale ergo dupliciter dicitur. Vno modo quoad substantiam, quia videlicet talis est substantiæ, id est spiritualis, quomodo Ephes. 6. Spiritualia nequitiæ dicuntur: alio modo spirituale dicitur, quia ad spiritum ordinatur & pertinet, vel quia spiritus in eo dominatur. Quod ergo primo modo spirituale dicitur, inuisibile est, non autem quod secundo modo, atq; ita Ecclesia domus spiritualis dicitur, quia scilicet ædificatur ex lapidibus viuis, id est hominibus Deo consecratis & ad spiritum ordinatis.

ARTICVLVS II.

V. amplitudo sit Ecclesiæ tribuenda?

Am-

AMplitudo Ecclesiæ attenditur in sui diffusione latissima, ad loca & nationes: & quæritur num ei sit necessariò tribuenda, vel ad certum aliquem in orbe terrarum angulum restringenda, quod olim totis viribus conati sunt conuincere hæretici, Nam Donatistæ in Africa, Maximinianistæ in meridie Ecclesiam coarctare laborabant, vt S. August: refert hæresi 69. Nostra ætate Lutherani & Caluinistæ, dùm singuli suam sectam volunt esse veram Dei Ecclesiam, & de reliquo terrarum orbe perijsse, ac apud se tantum manere, Quorum opinio istis argumentis suaderi posse videtur. 17. Donatist. Maximin: August. Luther. Caluin:

1. Si Ecclesia esset amplissima, id ei semper conueniret, Sed Ecclesiæ non semper conuenit amplitudo. Ergo non est ei necessariò tribuenda. Mai: patet, non est enim ratio, cur propria passio alicui subiecto vno tempore & non semper conueniat, sicut homini risibilem esse aut mortalem. Min: Amplitudo Ecclesiæ ex hoc mensuratur, quòd occupet omnia loca. Sed hoc non semper sibi conuenit; nam in primis Apostolorum temporibus non omnia loca occupauerat, quia non fuit in nouo orbe apud antipodas: deinde etiam his temporibus in multis locis ab infidelibus occupatis, potissimùm à Caluinistis non est Ecclesia, non patitur enim hæc lues veros Dei adoratores apud se consistere.

2. Ecclesiam suam pusillum gregem Luc: 12. Christus nuncupauit. *Nolite inquit timere pusillus grex.* Ergo amplitudo Ecclesiæ non est necessariò tribuenda. 18.

3. Figura & res figurata debent sibi respondere. Sed Ierusalem fuit figura Ecclesiæ, quam Ioanni Apoc: 21. ostendit Angelus descendentem de cœlo, Ergo debent inter se concordare. Atqui Ierusalem non omnia loca amplitudine sua occupauerat, cùm certum & definitum locum habuerit in Iudæa, Ergo nec Ecclesiæ tanta amplitudo necessariò tribuenda. Verùm in contrarium. 19.

CONCLVDITVR. Sicut ad omnes gentes, ita ad omnia loca, amplitudo veræ Ecclesiæ sese extendit, Hæc Conclusio Catholica. Patet 1. ex Patribus, Et quidem Iren: lib. 1. cap. 2. in principio capitis, amplitudinem Ecclesiæ manifestè ostendit. d. *Ecclesia per vniuersum orbem, vsq; ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum.* Et cap. 3. *Hanc inquit prædicationem, & hanc fidem accepit Ecclesia, & diligenter custodit in vniuersum mundum disseminata.* Et commemorat diuersas orbis plagas, in quibus Ecclesia eandem fidem conseruat, vt in Germania, in Iberis, in Celtis, in Oriente, in Ægypto, in Libia, &c. Et lib. 3. cap: 11. *Disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna* 20. Iren:

S. Hieron: *autem & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium, & spiritus vitæ.* S. Hieron: in E-
pist: ad Euandrum presbyterum, in Ecclesia per vniuersum orbem amplis-
simè diffusa, concordem doctrinam ostendit. d. *Non altera Romanæ Vrbis Ec-
clesia, altera totius orbis æstimanda est. Gallia, & Bithinia & Persis, & Oriens &
India & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam*
August. *veritatis.* S. August: diffusè contra Donatistas, ostendit Ecclesiam in vniuer-
so orbe propagatam. Et in lib. de vera religione cap. 7. *Ecclesia inquit est
populus fidelis per vniuersum orbem dispersus.* Et lib: 4. de Symb: ad Catehum:
cap. 10. *Omnes gentes totus mundus est, Ecclesia totum possidet, quod, à viro suo
accepit in dote, quæcunq; congregatio cuiuscunq; hæresis in angulis sedet, concubi-
na est non matrona.* Et ad finem. *Cognoscatur vna sancta & vera Regina Catho-
lica, cui Christus regnum tale dedit, quòd eam per totum mundum diffundens, ab o-
mni macula & ruga mundans, totam pulchram suo aduentu præparauit.* Beda serm:
18. de sanctis. *Catholica inquit mater Ecclesia, longè lateq; per totum orbem dif-
fusa est.* Idem Cyrill. Catechesi 18. Illumin: Optatus lib: 1. de Schismate
Donatistarum. Vincent: Lyrinen: cap: 5. & alij innumeri, quotquot Ca-
tholici sunt, de amplitudine Ecclesiæ sentiunt.

21. DEINDE. Vbi CHRISTVS est efficax Redemptor, ibi eius Ecclesia, Atqui
in vniuerso mundo est efficax Redemptor, Ioann: 11. *IESVS moriturus erat
pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios DEI, qui dispersi erant.* (subau-
di in vniuerso mundo & cunctis gentibus,) *congregaret in vnum.* 1. Ioan: 2.
*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris & non pro nostris tantùm, sed etiam pro to-
tius mundi.* Apoc: 5. *Redemisti nos ex omni tribu, & populo, & lingua, & natione.*
Ergo amplitudo Ecclesiæ extendit se in omnem mundum.

22. PRÆTEREA. Vbi sunt saluandi, ibi est vera Ecclesia, quia extra veram
Ecclesiam nemo saluatur. Atqui in vniuerso orbe sunt saluandi, Matt. 8.
*Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob
in Regno Cælorum.* Et cap: 24. *Congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Am-
plitudo ergo Ecclesiæ omnes mundi plagas tenet.

23. INSVPER. Ecclesia vera, est Catholica. Ergo amplissima; nam in ratio-
ne Catholici tria illa concurrunt, tempora, nationes & loca, vt explicat
Vincent: lyrinensis cap: 3.

23. AD ARG: ℞. Ad 1. Quamuis temporibus Apostolorum non omnia lo-
ca actu occupauerat Ecclesia (neq; enim necessariò debuit simul esse in o-
mnibus locis) semina tamen eius in omnibus locis & gentibus etiam tunc

fuerunt, prædicantibus Apostolis in Oriente, Occidente, Septemtrione & Meridie, id enim eis præceptum erat Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, id est omnibus gentibus, vt Matth. 28. d. *Docete omnes gentes*. Et hoc exponit Apostolus Romanorum 10. dic: *Nunquid non audierunt & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum*. Licet non in speciali, in generali tamen. Quod vero etiam nunc ab aliquibus locis fideles sunt profligati; sufficit amplitudini Ecclesiæ, quod aliquando etiam in illis locis fuerit. Nam vt admonet Driedo lib: 4. de dogmatibus Ecclesiæ, ad amplitudinem Ecclesiæ non requiritur, quod simul sit in omnibus locis & gentibus, ita vt vno tempore in omnibus prouincijs, necessariò esse oporteat aliquos fideles, sed sufficit quod hoc fiat successiuè. quanquam vix reperitur aliqua prouincia, in qua non inueniantur aliqui fideles. Driedo.

24. INSTABIS. Etiam hæresis simili modo successiuè potest peruagari omnia loca, & gentes, nam de Arij perfidia, id S. Hieronymus. d. Arius in Alexandria scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est. Ergo hac ratione amplitudinem Ecclesia etiam hæresis participat. ℞. Quidquid de Antecedente, negatur consequ: Ecclesia enim est amplissima, vna & eadem semper, quibuscunq; in locis & gentibus fuerit; hæresis autem nunquam est vna & eadem, sed diuersissima, diuersis locis & temporibus, de secta in sectam ruit & mutatur: & quantò per plures diffunditur prouincias, tantò in plures diuersissimas degenerat sectas, adeò vt sui mutatione consumatur & intereat, quod etiam de prædicta Arij secta perspicuum est. Hosius lib: 3. contra

25. AD 2. ℞. Etiam pusillus grex successiuè amplificari potest, vt in omnibus locis & gentibus, vnus idemq; sit. Porrò Ecclesiam suam pusillum gregem Christus appellauit, non quòd in vno aut altero tantùm loco, in vno regno, vt olim Synagoga concludi debeat, sed indicat vt exponit Beda, quòd in amplissima etiam Eclcesia sua, paruus sit numerus electorum: vel quòd nos oporteat pusillos esse humilitate. Quia inquit Ecclesiam suam, quantalibet iam numerositate dilatatam, tamen vsque ad finem mundi, vult humilitate crescere. Vel certè magis literaliter, pusillum gregem appellauit eos, ad quos tunc verba fecit, quorum numerus erat exiguus, nam negari non potest, olim paucos fuisse Christianos. Sed quemadmodum lapis ille Daniel 2. paruus ab initio, postea excreuit in montem magnum, qui impleuit vniuersam terram, ita grex CHRISTI fidelium ab initio pusillus, nunc

vniuersam terram implet. Hæc Thomas Bozius. libro 20. de signis Ecclesiæ, capite 1.

26. AD 3. ℞. Figura cum re figurata, debet concordare in figurando, seu in ratione figuræ, non verò in omnibus, aliâs non esset figura, sed ipsa veritas rei: proinde nec Ecclesia in omnibus debet respondere Ierusalem ciuitati; aliâs oporteret ipsam in Iudæa tantùm esse, eosdem ritus & leges habere. Respondet ergo Ecclesia ciuitati Ierusalem quantum ad rationem figuræ, equidem multis rationibus, eâ verò potissimùm, quia sicut sacrificia offerre sub tempus antiquæ legis nefas erat extra Ierusalem, hunc enim suis sacrificijs locum elegerat DEVS. Deut: 12. *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum.* hoc est in Ierusalem; iuxta ea, quæ dicuntur 3. Reg: 8. Simili ratione in sola DEI Ecclesia neque extra eam vsquam, verus cultus, verumquè sacrificium reperitur, quod DEO placere vllo modo possit. Hinc S: Greg: lib: 35. moralium.
Gregor. *Sola est inquit Ecclesia, per quam sacrificium libenter Dominus accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat, sola in qua opus bonum fructuosè peragitur;* de cuius sacrificio Malach: 3. *Placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem.* Id est CHRISTI & Ecclesiæ.

ARTICVLVS III.

V. prædicta in scripturis sint palam expressa?

27. COnstat ex doctrina Patrum & fidei, Ecclesiam esse visibilem, aspectabilem, clarissimam, & amplissimam in vniuerso orbe, & in omnibus gentibus fructificare: sed quæritur an ex scripturis expresse ista colligi possint, maximè quia hæretici ad scripturas tantùm prouocant, nec quidquam prætereà admittendum. Quorum vecordia vt confundatur, etiam de scripturarum arcanis doctrinâ Catholicâ confirmari debet. Sed priusquàm pars affirmatiua proponatur, pro parte negatiua ista argumenta facere videntur.

I. Non haberi ex scripturis Ecclesiã esse visibilem, aspectabilẽ, & claram: si enim ea res ex scripturis expresse haberi posset. euidenter esset verum Ecclesiam esse visibilem, aspectabilem, & claram. Atqui non est euidenter verum. Ergo nec in scripturis expressum. Mai: patet; quia illud euidenter verum, in rebus fidei & religionis, quòd expresse in scripturis continetur; sicut in Physicis illud euidenter verum, quod lumine naturali manifestum est,

vel in se, vel in suis principijs. MIN: Si euidenter verum esset Ecclesiam esse visibilem, aspectabilem, & claram; id ita omnibus pateret, vt nemo in dubium vocare posset. Sed non omnibus manifestè patet, plurimi id in dubium vocant. 2. Non posse colligi expresè ex scripturis amplitudinem Ecclesiæ: quin potius scriptura videtur restringere Ecclesiam ad aliquem angulum terræ, vt in eo latitantem quæramus. Cant: 1. Ostendit Ecclesiam meridionali plaga circumseptam. *Indica mihi inquit vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et Psal: 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Id est, Ecclesiam suam posuit DEVS in Zona torrida in meridie. Ergo ex scriptura non potest expresè colligi amplitudo Ecclesiæ. 3. Scriptura & quoad literam, & quoad sensum, obscura est. Ergo nec amplitudo, nec aspectabilitas Ecclesiæ ex ipsa expresè colligi potest. His positis, iam pro parte affirmante. 28. 29.

CONCLVDITVR I. Ecclesiam esse visibilem, aspectabilem, & claram, expresè colligitur ex Diuinis literis. Ita colligunt Sancti Patres. August: epist: 166. d. *Ecce scripturæ communes ecce vbi nouimus Christum, ibi nouimus Ecclesiam, si Christum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tenetis? si ipsum Christum quem legitis & non videtis, tamen scripturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis & videtis.* Chrysost: Homil: 4. in Isaiam. Ambros: lib: 7. in Luc. Hilar: lib: 7. de Trin: & alij articulo 1. positi. PATET 1. ex ijs scripturis quæ manifestè visibilem, & claram vocant Ecclesiam Cant: 6. *Viderunt eam filiæ Sion*, *Math*: 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neq; accendunt lucernam.* Hinc S: Augustin: de vnitate Ecclesiæ cap: 16. *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum, & de illa dictum est, non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Isai: 2. & Micheæ 4. *Erit mons domus Domini, præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi.* Si verò non esset visibilis, aspectabilis, & clarissimus mons domus Domini, quomodo fluerent populi ad eum? 30. August: Chrysost: Ambros. Hilar.

DEINDE, ex ijs scripturis in quibus actiones visibiles & sensibiles tribuuntur Ecclesiæ, vt iudicare, Matth: 18. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, &c.* Isaiæ 54. *Omnem linguam resistentem sibi in iudicio iudicabis.* Clamare. Galat: 4. *Lætare sterilis quæ non paris erumpe & clama.* Obedire. Hæbr: 13. *Obedite præpositis vestris* & similia. 31.

PRÆTEREA, ex ijs scripturis in quibus Ecclesia visibilibus rebus comparatur. Gen: 6. Arcæ Nóè, Gen: 13. & 15. Semini Abrahæ. Cant: 32.

4. Horto concluſo & fonte ſignato. Luc: 5. nauiculæ. *Aſcendit inquit*
Ambroſ: *in vnam nauim, quæ erat Simonis*, per quam Ambroſ: lib: 4. in Luc: Eccleſiam exponit. d: *Hæc eſt illa nauis quæ ſecundùm Matthæum adhuc fluctuat, ſecundùm Lucam repletur piſcibus, vt & principia Eccleſiæ fluctuantis, & poſteriora exuberantis agnoſcas.* Matth 13. comparatur ſagenæ. Cap: 22. nuptijs, cap: 25. virginibus. Ioan: 10. ouili, Act: 20. gregi. 2. Tim: 2. domui magnæ. &c.

33. INSVPER. ex ijs ſcripturis in quibus Eccleſia corpus appellatur, & fideles qui Eccleſiam conſtituunt membra corporis. Rom, 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus, in Chrſto.* I. Cor: 12. *Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi*, Epheſ: 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius & plenitudo eius.* Ex quibus ſcripturis licet ita colligere. Ex quo fonte alicuius corporis, ſingula membra ſunt viſibilia, aſpectabilia & clara: ex eodem ipſum corpus neceſſariò eſt viſible, aſpectabile & clarum. Atqui corporis Eccleſiæ,ſingula membra, expreſsè ex ſcripturis colliguntur eſſe viſibilia, aſpectabilia, & clara! nempe ſinguli fideles. Ergo ex ijſdem ſcripturis, ipſum quoque corpus Eccleſiæ neceſſariò colligitur viſibile, aſpectabile, & clarum.

34. CONCLVDITVR. 2. Etiam amplitudinem Eccleſiæ expreſsè iudicant ſcripturæ, PATET. I. ex illo Gen: 13. vbi ſub figura amplitudinem Eccleſiæ promiſit DEVS Abrahæ. d. *Leua oculos tuos & vide à loco in quo nunc es ad aquilonem, & meridiem, & orientem, & occidentem, omnem terram quam conſpicis tibi dabo, & ſemini tuo vſq; in ſempiternum.* Et Iacob Gen: 28. *Dilataberis ad occidentem, & orientem, & ſeptemtrionem, & meridiem.* Huc ſpectat illa benedictio Gen: 9. qua Nòé benedicebat filio Iapheth, d. *Dilatet DEVS Iapheth, & habitet in tabernaculis Sem:* ita enim dilatata eſt Eccleſia gentium ex Iapheth oriundarum. Iſaiæ quoque 54. Eccleſiæ ex gentibus congregatæ d. *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hymn: quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magìs quàm eius quæ habet virum dicit Dominus, dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos,*

& clauos tuos consolida. Ad dextram enim & ad læuam penetrabis, & semen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit. psal: 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* Hæreditas enim & possessio Christi, est eius Ecclesia, in omnibus gentibus, vsque ad terminos terræ. psal: 71. *Dominabitur à mari, vsque ad mare, & à flumine vsquè ad terminos orbis terrarum.* psal: 112. *A solis ortu vsquè ad occasum, laudabile nomen Domini.* Vnde August: *A solis ortu vsquè ad occasum, vnius fidei splendore diffunditur Ecclesia.* August:

Deinde ex ijs scripturis in quibus omnes gentes adoraturæ Christvm prædicantur. psal: 21. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium,* psal: 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* psal: 85. *Omnes gentes quascunquè fecisti venient & adorabunt coram te Domine.* Isai: 60. *Tunc videbis, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* 35.

Præterea. ex ijs scripturis, in quibus vocatio gentium prænuntiatur. Gen: 17. Abrahæ patri credentium ex quo Christvs, dictum est *Eris pater multarum gentium,* Gen: 49. *Ipse erit expectatio gentium.* Numer: 24. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israël, & percutiet duces Moab, vastabitquè omnes filios Heth, & erit Idumæa possessio eius, Seir cedit inimicis suis,* Isai: 2. *Fluent ad eum omnes gentes.* Ierem: 16. *Ad te venient ab extremis terræ.* Oseæ 1. *Et erit in loco vbi dicetur eis, non populus meus vos, dicetur eis. Filij DEI viuentis,* Et cap: 2. *Dicam non populo meo, populus meus es tu & ipse dicet, DEVS meus es tu.* psal: 106. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Isaiæ 11. *In die illa, radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isaiæ 43. versu 5. & sequ: 36.

Insvper ex ijs scripturis, in quibus Euangelium prædicandum dicitur omnibus gentibus in vniuerso mundo. Matth: 28. *Docete omnes gentes.* Marci 14. *Prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso mundo.* Et cap: 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Luc: 24. *Oportet prædicari in nomine eius pænitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Act: 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & omni Iudæa, & Samaria, & vsquè ad vltimum terræ:* scripturæ igitur expresse amplitudinem Ecclesiæ dicunt. 37.

38. Ad Arg. ℞ Ad I. Sicut in Physicis, quod est secundùm se notum & euidens, non omnibus secundùm nos est notum & euidens: quod enim in suis principijs est euidens, ijs tantùm est euidens, quibus ipsa principia sunt nota & euidentia: si cui verò ipsa principia sunt ignota, nec illud ipsum potest esse notum & euidens, quod non aliter quàm in suis principijs est notum & euidens. Ita quoquè in rebus religionis, quod in scripturis est expressum, & in doctrina Ecclesiæ manifestum, non potest esse notum, manifestum, & euidens, nisi ei, qui authoritati scripturæ & doctrinæ Ecclesiæ tantùm principijs firmiter innititur. Ecclesiam ergo esse visibilem, aspectabilem, & claram, expresśè colligitur ex scripturis & doctrina Ecclesiæ; sed tamen idipsum non potest esse notum & euidens, nisi ei, cui cum scripturis cognita est doctrina Ecclesiæ. Quia verò multi sunt, qui scripturæ prout in doctrina Ecclesiæ proponitur, tanquam principio non inhærent, non est mirum, quòd eis visibilitas aspectabilitas, & claritas ipsius Ecclesiæ euidens non sit, ob hanc scilicet rationem, quia ipsa principia euidentiæ sunt illis, ignota, & quia non credunt, ideo non intelligunt. Isaiæ 7.

39. Ad 2. ℞. Nulla scriptura ita coarctatam & coangustatam Ecclesiam in vno aliquo angulo terræ definit, vt non sit in vniuerso orbe: nam illud. Cant: 1. *Vbi cubes in meridie.* meridies non plagam illam ad Zonam torridam significat, sed vel pressuras ipsius Christi, quas pro nostra salute passus est, portans pondus diei & æstus; vel afflictiones Ecclesiæ, vel certè quod magis suffragatur nostræ sententiæ, manifestationem Ecclesiæ, vt inde dicatur etiam in sole posita. Sicut enim lux meridiana est clarissima, ita Ecclesia credentibus est conspicua, & clarissima, tanquam lux meridiana.

40. Ad 3. ℞. Sensus scripturæ sine interprete plerumquè est, obscurus, (de quo infra conclusione 4. corollario 2. copiosiùs) quòd si legitimus interpres accesserit, sensus scriptupæ est apertus, vt de illo Propheta. psal: 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis. meis.* Quàmuis alioqui nonnulli loci scripturæ non sint obscuri, sed etiam sine interprete aperti, sicut ille. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ &c.* satis apertus est, etiam sine interprete, qui significat Ecclesiam diffusam per omnes gentes in vniuerso orbe. Ex his iam sequitur.

COROLLARIVM I.

Patrum vetustissimorum testimonijs firmatum est, scripturam clariùs loqui de Ecclesia quàm de CHRISTO, non secùs ac testamentum de hærede quàm de testatore.

DOctrinam præcedentis Conclusionis, de visibilitate & amplitudine Ecclesiæ veræ, illatum confirmat Corollarium, in quo asseritur, ex doctrina Patrum manifestiùs Prophetarum oracula, & scripturarum monimenta, de Ecclesia quàm de CHRISTO pronunciasse. Et ita quidem innuit Iren: lib 3. cap: 40. Augustinum tract: 2. in psal· 30. allegat Ioannes à Louanio. cap: 62. in explicat: Symb: quo posito, nullum dubium de visibilitate & amplitudine veræ Ecclesiæ. Verùm quo expeditiùs dicta pertractentur. Sit I. Iren. August. Cathechis: Paroch. in principio explicationis articuli de Ecclesia.

MEMBRVM I.

V. Scripturæ clariùs de Ecclesia quàm de CHRISTO, loquantur?

Affirmatiua pars sustinetur. Et Patet 1. nam scripturæ manifestiùs explicant substantiam Ecclesiæ, quàm ipsius CHRISTI: substantia enim Ecclesiæ est, quòd sit cœtus populi fidelis: substantia CHRISTI consistit ex vnione duarum naturarum in vna hypostasi verbi Diuini, ex quo CHRISTVS est DEVS verus, & homo verus. Iam quòd Ecclesia sit talis cœtus, clarissimè loquuntur scripturæ. Exod: 19. *Eritis mihi in regnum sacerdotale gens sancta*; quod in noua lege, nouæ Ecclesiæ adaptat Apostolus. 1. Petri 2. d: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Et hoc frequenter in scripturis ipso nomine Ecclesiæ significatur. Numer: 19. vbi agit de ritu expiationis veteris, ita decernit. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ.* Et cap: 20. *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* 3. Reg: 8. *Omnis Ecclesia Isráël stabat.* psal: 21. *Apud te laus mea in Ecclesia magna.* psal: 25. *In Ecclesiis benedicam te Domine.* Et in nouo testamento. Actor: 5. *Factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia.* Et cap: 8. *Facta est in illa die percussio magna in Ecclesia, quæ erat Iero-*

solymis. Rom: 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Porrò de diuinitate CHRISTI, obscurissimè loquuntur scripturæ, vt nec Iudæis, nec hæreticis ex lectione scripturarum sit cognita. Nam & Iudæi ob hanc causam eum oderunt. Ioan: 10. *Quia* inquiunt *tu homo cùm sis, facis teipsum DEVM*: imò & crucifigendum conclamârunt Ioan: 29. d: *Secundum legem debet mori, quia filium DEI se fecit*; interrogati etiam Matth: 22. Quid sibi videretur de CHristo, cuius esset filius, Dauid dixerunt, ad diuinitatem ipsius minimè aspexerunt. Id etiam de hæreticis palam est, quibus diuinitas CHristi ex vtriusque testamenti scripturis non est cognita, de qua diuersa opinati sunt. Ebion, Ceriathus, Arius, Samosatenus, & alij.

2. DEINDE. Signa quibus cognoscitur Ecclesia, in scripturis sunt expressa, CHRISTI verò sub velamine & obscuritate, inde est quod Isaiæ 45. *DEVS absconditus* dicitur; quem Ioannes Baptista, nonnisi ex speciali reuelatione cognouit & ostendit, Ioan: 1. d. *Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptisare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est*: quandoquidem & tempus aduentus CHRISTI, sub obscuritate traditur, siue illud intuearis Gen: 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*; non enim proponitur clarè, post ablationem sceptri de Iuda mox venturum esse, sed tantùm quòd ablatio deberet præcedere aduentum; nec ex illis hebdomadibus apud Danielem, clarè & manifestè notari potest tempus aduentus; *Redemptio siquidem humani generis requirebat, ne aduentus Christi*

D. Thom: *omnibus manifestaretur*, vt docet D: Thom: 3. p: q: 36. art: 1. Et suppl: q: 73. art: 1. 3m.

OBIICIES. Nonnisi aliqua loca Euangelij sunt de Ecclesia, quæ claritate non superant totum Euangelium: non igitur clariùs scripturæ de Ecclesia quàm de CHRISTO loquuntur. ℞. Cùm Patres dicunt scripturam clariùs locutam de Ecclesia, quàm de CHRISTO, non conferunt tantùm aliqua loca Euangelij, cum toto Euangelio, sed claritatem scripturarum Propheticarum, de Ecclesia loquentium, cum claritate earum quæ de CHRISTO erant. Et pronuntiant planiùs & apertiùs scripturas prophetasse de Ecclesia, quàm de CHRISTO; ita enim de Ecclesia prophetant, vt eius ortum, amplificationem, & introitum ad eam vniuersarum gentium, cum substantia, quæ per cœtum fidelium de-

finitur, longè manifestiùs explicent, quàm vel de aduentu CHRISTI, aut eius substantia, ex duabus & in duabus naturis aliquid clarè & manifestè pronuntient. Deinde symbola Ecclesiæ in eius cognitionem ducentia, tàm clarè expressa sunt in scripturis, vt quisque possit ex eis: etiam sensibiliter ipsam intueri, cùm tamen CHRISTI aduentus paucis admodùm manifestus esset: atque hóc modo temperatur propositio. Quo verò consilio Prophetæ planiùs & apertiùs de Ecclesia quàm de CHRISTO locuti fuerint, explicat Augustinus. cùm super psal: 30. tùm lib: 1. de consensu Euangelij, cap: 14.

PRÆTEREA. Testamentum clariùs loquitur de hærede quàm de testatore. Sed scriptura est testamentum, quo ordinatur modus consequendæ hæreditatis: hinc passim scripturæ nouum & vetus appellantur testamentum. Ecclesia est hæres, Rom: 8. Hæredes quidem DEI. Testator est CHRISTVS, Hebr: 9. V: 16. 3.

DICES. 1. Si & substantia CHRISTI, & aduentus eius obscurè in scripturis proponuntur. Ergo sunt excusabiles qui eum non receperunt; vt pote quia inculpabiliter non cognouerunt. ℞. Si ex sola scriptura cognitio CHRISTI dependeret, concedendum esset consequens, sed quia plura alia erant, quæ in cognitionem ipsius ducebant, tot enim testimonia credibilia habuit CHRISTVS, ideo sunt inexcusabiles, qui eum non receperunt. Nam habuit testimonium à Patre, Matth: 3. *Hic est filius meus dilectus*: tùm à Ioanne, ad hoc à DEO missus fuit. *Quia per hunc Dominus aduentum suum, ne subitò insperatum homines non agnoscerent, voluit esse testatum*: ait S: Aug: serm: 20. de Sanctis. Habuit testimonium à signis quæ faciebat, quæ veram diuinitatem eius sufficienter ostendebant; vt docet D. Thom: 3. p: q. 43 art: 4. Hinc Ioan: 5. Iudæis dixit. *Vos misistis ad Ioannem, & ipse testimonium perhibuit veritati. Ego autem testimonium habeo maius Ioanne, opera enim quæ dedit mihi pater vt faciam ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. & qui misit me pater. ipse testimonium perhibet de me.* Tùm & Angeli ipsius celebrabant aduentum. Luc: 2. & Apostoli postea prædicauerunt; denique etiam Ecclesia semper loquitur & incredulos redarguit. 4. August. D. Thom.

DICES 2. Implicat eundem esse hæredem & testatorem, similiter hæredem & hæreditatem, Sed CHRISTVS est hæres, Ecclesia hæreditas. 5.

Ergo non rectè corollarium CHRISTVM testatorem, & Ecclesiam hæredem nominat. MIN: patet ex illo psal: 3. vbi pater filio dicit. *Dabo tibi gentes*, id est Ecclesiam gentium, *hæreditatem tuam.* ℞. eodem respectu dici hæres & testator, similiter hæres & hæreditas non potest, at diuerso nihil impedit. CHRISTVS itaquè Patris æterni respectu, est hæres, respectu nostri testator. similiter Ecclesia respectu CHRISTI est hæreditas, at respectu gentium quæ illi sunt datæ & adunatæ, est hæres iuxta illud psal: 110. *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium.*

MEMBRVM II.

An conuenienter scripturæ clariùs de Ecclesia, quàm de CHRISTO loquantur?

6. Etiam hic affirmatiuæ parti subscribitur. PATET I. Cùm scriptura sit commonitorium quoddam ad fouendam & conseruandam in nobis doctrinam fidei, & religionis, necesse est, vt de eo clariùs loquatur, quod in doctrina fidei & religionis, nobis notiùs esse debet. Atqui in doctrina fidei & religionis, notior nobis debet esse Ecclesia CHRISTÔ. Ergo conuenit de Ecclesia clariùs loqui scripturas quàm de CHRISTO. MIN: Quo dirigimur in cognitionem alterius, debet nobis esse notius: nam principia debent esse notiora conclusione, per quæ dirigimur ad cognitionem conclusionis. Sed per Ecclesiam dirigimur ad cognitionem CHRISTI. Ergo in doctrina fidei & religionis, Ecclesia nobis debet esse notior CHRISTO.

7. DICES. Euangelium nos dirigit ad cognitionem CHRISTI, quod est *virtus Dei in salutem omni credenti*, Rom: 1. Ergo non Ecclesia. ℞. Verum est Euangelium nos dirigere in cognitionem CHRISTI, non tàm scriptum quàm per Ecclesiam prædicatum: ipsa enim est viuum Euan-
Hosius. gelium, vt Cardinalis Hosius, ad finem lib: 3. contra Brent: dicit, nec ènim scriptum Euangelium, id solum & præcisè præstare potest, nisi nobis ab Ecclesiâ proponatur & annuntietur; vt enim assentiamur
Augustin. Euangelio, authoritas id efficit Ecclesiæ, de qua S: August: in lib: contra epist: Manich: cap: 5. Ego inquit Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas moueret.

DEINDE. De quo grauiùs & crebriùs errari potest, de eô clariùs loqui scripturam, ad euitandos errores conueniens fuit; sed de Ecclesia grauiùs & crebriùs errari potest quàm de CHRISTO, præuidit Spiritus Sanctus, cuius inspiratione scripturæ locutæ sunt. Ergo clariùs loqui de Ecclesia quàm de CHRISTO, conueniens scripturis fuit. MIN: patet ex August: in psal: 30. *Obscuriùs, inquit dixerunt Prophetæ de Christo quàm de Ecclesia, puto propterea quia videbant in Spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, & de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos.* Nec profectò defuturi erant impij, qui ad simiæ imitationem, quæ se hominem esse fingit, solos se Catholicos esse profiterentur, & Catholicam Ecclesiam apud se tantùm esse, non minùs nefariè quàm superbè affirmarent: ita olim Donatistæ, Ariani, nunc Caluinistæ & Lutherani. 8. August.

PRÆTEREA. Agnitâ Ecclesiâ, & eius authoritate custoditâ, tutissimè, & facillimè vitantur omnia pericula hæresum & schismatum, si firmo animo adhæreatur ijs, quæ vera proponit & docet Ecclesia: quemadmodum ignorata Ecclesia, & spreta authoritate ipsius, prauitas publicanorum, & errores emergunt Ethnicorum. Ergo de Ecclesia clarissimè loqui scripturas conuenientissimum fuit. 9.

DICES. Per CHRISTVM parta est salus nostra. Ergo de CHRISTO clariùs conuenit loqui scripturas. ℞. neg: conseq: nam quàmuis per CHRISTVM parta sit salus, nemo tamen eius salutis particeps fieri potest, nisi cognoscat CHRISTVM, incorporetur & adhæreat ipsi, hæc verò omnia cùm nonnisi per Ecclesiam, præstari possint, conuenienter clariùs de ipsa Ecclesia quàm de CHRISTO scripturæ loquuntur. 10.

COROLLARIVM 2.

Non committitur vllus circulus, cùm scriptura de Ecclesia, & hæc contra de scriptura testatur.

PRO clariori & euidentiori determinatione corollarij; mutuandum est hîc aliquid ex ijs, quæ Philosophi de circulo & regressu demonstrationis tractare consueuerunt: nam Aristoteles pluribus in locis huius circuli mentionem facit, tùm in lib. priorum, tùm poster: dicitq; circulum de- 1.

monstratiuum eum vocari, in quo omnes propositiones, vnius & eiusdem Syllogismi, per se inuicem demonstrantur. vt si prius conclusionem per duas præmissas, mox maiorem per minorem & conclusionem. deniq; minorem per maiorem & conclusionem deducas. Hac prænotione posita. Sit

MEMBRVM I.

An non committitur circulus, dùm scriptura per Ecclesiam, & reciprocè Ecclesia per scripturam probatur?

Adhuc aduertendum duplicem circulum agnosci à Philosophis. Vnum quidem antiquorum, quem Aristoteles impugnat & reijcit, alium verò quem schola Peripateticorum approbat & recipit. Circulum antiqui construebant, in quo volebant omnes syllogismos esse demonstrationes, Propter quid. hunc reprobat Aristoteles lib: 1. post: cap: 8. tribus rationibus. Verùm his Philosophorum discursibus relictis; hæretici improperant Catholicis, circulum eos à Philosophis reprobatum committere, dùm scripturam per Ecclesiam, & rursus Ecclesiam per scripturam demonstrant. Contra quos

COLLIGITVR. Dùm Catholici Ecclesiam per scripturam, & vice versa scripturam per Ecclesiam demonstrant, nullum committunt à Philosophis reiectum circulum. Proponit rem istam succinctè faciliter & luculenter Martinus Becanus, in suo manuali controuersiarum lib: 3. cap: 10. contra Paræun Caluinistam. Et PATET. 1. Quia Philosophi citra vitiosum circulum, vnam propositionem probant per alteram, si vna se habet per modum causæ ad cognitionem alterius, quod plerumquè contingere in terminis conuertibilibus, ostendit Arist: in 2. poster: Ergo par ratio, dùm probamus Caluinistis infallibilitatem authoritatis Ecclesiæ per scripturam, & Catholicis simplicibus Canonem scripturæ per Ecclesiæ authoritatem: quia tunc scriptura habet se per modum causæ cognoscendæ authoritatis Ecclesiæ apud Caluinistas: & vice versa authoritas Ecclesiæ habet se per modum causæ cognoscendi Canonis scripturæ apud Catholicos. ANT: declaratur. quia nihil impedit apud Philosophos, quo minùs huius Syllogismi propositiones per se inuicem probari possint. Omne rationale est risibile. Omnis homo est rationalis. Ergo

[margin: a. Becan:]

go omnis homo est risibilis. Et reciprocè. Omne risibile est rationale. Omnis homo est risibilis. Ergo omnis homo est rationalis. Hic manifestè liquet, optimè probari in primo syllogismo, per rationale à priori hominem esse risibilem, apud eum qui admittit hanc propositionem. Homo est rationalis, sed negat istam Homo est risibilis. Et in secundo syllogismo, optimè probat per risibile hominem esse rationalem apud eum, qui concedit istam propositionem. Homo est risibilis, sed negat istam, Homo est rationalis. Pari itaquè ratione Catholici faciunt, probantes authoritatem Ecclesiæ per scripturas apud Caluinistas, quas ipsi (vtcunquè admittunt) & negant authoritatem Ecclesiæ & reciprocè Canonem scripturæ per authoritatem Ecclesiæ apud simplices Catholicos, qui amplectuntur authoritatem Ecclesiæ, sed scripturæ Canonem ignorant.

Deinde. Progredi viâ naturali ad inuestigandam veritatem non est vitium, sed demonstrare Ecclesiam per scripturam & vice versa, est procedere via naturali ad inuestigandam veritatem. Ergo non est committere vitiosum circulum. Min: Progredi à notioribus & manifestioribus est progredi, viâ naturæ, vt docet Arist: in 1. Phys: Sed hoc euenit, dùm Ecclesiam per scripturam & reciprocè scripturam per Ecclesiam probamus apud eos, qui diuerso modo sunt dispositi. Ecclesiam quidem per scripturam apud eum, qui scripturam tanquam notiorem recipit; scripturam porrò per Ecclesiam apud eum, qui iudicium omne ab Ecclesia præstolatur. 3.

Præterea. Quod fit ad imitationem sanæ Philosophiæ, non est vitiosum. Atqui probare Ecclesiam per scripturam, & scripturam per Ecclesiam, fit ad imitationem sanæ Philosophiæ: nam Arist: in poster: simili vtitur circulo quem docet, dùm ostendit omne quod non scintillat propè nos esse; & omne quod propè nos est, non scintillare. 4.

Insvper. Non committitur vitiosus circulus, dum per Moysen probamus Euangelium, & vice versa per Euangelium Moysen. Per Moysen quidem probamus Euangelium apud Iudæos, qui Moysen recipiunt, sed negant Euangelium, negant Christvm: ita enim ipse Ioan: 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Per Euangelium vice versa probamus Moysen apud Manichæos, qui Euangelium ex parte & Christvm recipiunt. Sed Moysen reijciunt, ita enim fecit S: August: contra Faustum Manich: & contra aduersarium 5.

legis & Prophetarum. Ergo pari ratione non committitur vitiosus circulus, quando per scripturam Ecclesiam, & vice versa per Ecclesiam probamus scripturam.

6. DICES 1. Dùm idem est notius & ignotius, est circulus quem improbat Aristoteles. Sed probare Ecclesiam per scripturam, & vice versa scripturam per Ecclesiam. idem est notius & ignotius. Ergo est circulus quem improbat Aristoteles. MIN: patet, quia dùm probo Ecclesiam per scripturam, iam scriptura notior est, & simul ignotior dùm ipsam probo per Ecclesiam. ℞. nihil prohibet idem esse notius & ignotius diuerso respectu, prohibet autem eodem. Dùm Catholici probant Ecclesiam per scripturam, & scripturam per Ecclesiam, diuerso respectu faciunt; nam Ecclesiam probant per scripturam apud eum, qui scriptura gloriatur, Ecclesiam autem paruipendit, & tunc quasi ex notione probant ignotius: porrò scripturam probant per Ecclesiam apud eum, qui Ecclesiæ authoritatem plurimi facit, & tunc ex notiore procedunt ad ignotius. Ex notiore inquam simpliciter, nam Ecclesia simpliciter & prior & notior est quàm scriptura, sed ex hypothesi aliquando scriptura notior, quando scilicet recepta est, & clarè loquitur. Non ergo prohibet scripturam notiorem esse Ecclesiâ & ignotiorem: notiorem vt dico ex hypothesi, dùm clarè loquitur, & oritur quæstio de Ecclesia: ignotiorem dùm per Ecclesiam traditur & explicatur. Et in hoc consentit Arist: nam docet quòd effectus in demonstratione Quia, notior est nobis quàm sit causa; porrò in demonstratione Propter quid, causa notior est, idquè distinctè naturâ suâ, quia intellectui magis proportionata.

7. DICES 2. Dùm probatur Ecclesia per scripturam & vice versa, petitur principium. Ergo committitur circulus. ANT: Probando ignotum per æquè ignotum, petitur principium. Sed dùm Ecclesia per scripturam & vice versa probatur, ignotum per æquè ignotum adstruitur: tàm enim ignota est scriptura dùm assumitur ad probandam Ecclesiam, quàm ignota est Ecclesia, dùm per illam probatur scriptura. Ergo probare Ecclesiam per scripturam & vice versa, scripturam per Ecclesiam, est petere principium. ℞. neg: Ant: Ad prob: d. Si apud æquè dispositos probaremus Ecclesiam, per scripturam, & scripturam per Ecclesiam, procul dubio probaremus ignotum per æquè ignotum: tunc enim ignotum per æquè ignotum probamus, quando is cui probamus æqualiter dispositus

est de vtroquè & nullum admittit. Nos autem apud diuersè dispositos, probamus Ecclesiam per scripturam, & contra, vt iam dictum est, ac proinde per cognitum probamus ignotum.

Dices. 3. Si per scripturam posset probari infallibilis authoritas Ecclesiæ, scriptura de Ecclesia ferret iudicium. Atqui Catholici negant scripturam posse iudicium ferre de Ecclesia. Ergo per scripturam non potest probari infallibilis authoritas Ecclesiæ. ℞. neg: sequel: Mai: Aliud est enim iudicare, aliud autem assumi pro testimonio, dùm probant Catholici per scripturam infallibilem authoritatem Ecclesiæ, tantùm scriptura assumitur pro testimonio infallibilis authoritatis Ecclesiæ, non verò vt ferat iudicium. 8.

MEMBRVM II.

An hæc reciproca in orbem demonstratio fuerit agnita patribus?

Iam constat non esse vitiosum circulum, dùm Ecclesiæ infallibilem authoritatem, per infallibilem scripturam demonstramus: & reciprocè infallibilem scripturæ Canonem adstruimus per infallibilem authoritatem Ecclesiæ, Sed quæritur vlteriùs, an fuerit iste modus demonstrandi priscis Patribus agnitus. Pro quo 9.

COLLIGITVR. Demonstrare Ecclesiam per scripturam, & reciprocè scripturam per Ecclesiam, fuit in vsu apud Patres antiquos, quod vel ex S: August: Patet 1. qui nunc scripturam adhibet pro testimonio Ecclesiæ, nunc authoritatem Ecclesiæ addit infallibilitati scripturæ. Etenim epist: 166. adminiculo scripturæ conciliat authoritatem Ecclesiæ, d. *Ex scripturis didicimus Christum, ex scripturis didicimus Ecclesiam.* Porrò contra epistolam Manich: authoritate Ecclesiæ dicit consistere Canonem Euangelij, cui credere se profitetur ob authoritatem Ecclesiæ.

Deinde. Idem S. Pater lib: 11. de Ciuit: cap: 1. scripturam adducit in testimonium Ecclesiæ, d. *Ciuitatem DEI didicimus, cuius scriptura ea testis est, quæ non in fortuitis animorum motibus, sed planè summæ prouidentiæ dispositione super omnes, omnium gentium literas, omnia sibi genera humanorum ingeniorum, Diuinâ excellens authoritate subiecit.* Qui rursum lib: 28. contra Faustum cap: 4. Euangelio Matthæi iudicium Ecclesiæ ad- 10.

mouet, d. *Istum librum credo esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interruptâ serie temporum, Ecclesia certâ successione ab Apostolicis sedibus, vsq; ad præsentes Episcopos perduxit.*

11. PRÆTEREA. lib: 3. contra Maxim: cap: 14. ostendit authoritate scripturarum firmari decreta Ecclesiæ. *Nec ego inquit Nicænum, nec tu debes Arimonense, tanquam præiudicaturus proferre concilium. nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris, scripturarum authoritatibus res cum re. causa cum causa, ratio cum ratione certet.* Vice versa in lib: de vnitate Ecclesiæ cap: 4. authoritate Ecclesiæ infallibilitatem canonis scripturarum censet ac roborat, d. *Qui de ipso capite CHristo, sanctis scripturis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, de CHristi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius CHristi testificatione dissentiunt.*

12. INSVPER. Hæc reciproca demonstratio fuit in scripturis vsitata. Ergo Patribus antiquis cognita, qui erant scripturarum peritissimi. Antec: quia Iudæi negabant CHRISTVM & admittebant Moysen, conuicit eos CHRISTVS ex Moyse, Ioan: 5. d. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Contra quia Manichæi negabant Moysen & Prophetas, admittentes CHRISTVM & Euangelium, Conuicit eos S. Aug: contra Faustum & alibi, ostendens Moysen & Prophetas habere testimonium à CHRISTO in Euangelio, vt superiore membro dictum est.

13. DICES. Humana authoritas non potest iudicare diuinam, sicut nec inferiori conuenit iudicare superiorem, Sed in scriptura est authoritas diuina: *non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* 2. Petr: 1. authoritas autem Ecclesiæ est humana. Ergo inconuenienter fecissent Patres per authoritatem Ecclesiæ adstruentes scripturam. ℞. 1. Authoritas Ecclesiæ non est purè humana, sed media inter humanam & diuinam; quin etiam rectè docent qui dicunt, verbum Ecclesiæ, id est Concilij, vel Pontificis ex Cathedra docentis non esse omnino hominis, sed aliquomodo verbum DEI, id est prolatum assistente & gubernante Spiritu Sancto. ℞. 2. Non eo fine Patres per authoritatem Ecclesiæ adstruebant scripturam, quasi vellent authoritate Ecclesiæ adhibita fieri authenticam scripturam, sed vt per authoritatem Ecclesiæ innotesceret authoritas scripturæ, & palam fieret, quæ Canonica, quæ minùs. Fert autem hoc iudicium Ecclesia infallibile, cùm sit *columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim: 3.

COROLLARIVM 3.

Nihil derogat aſpectabilitati & claritati Eccleſiæ, quòd tanquam articulus fidei credatur. ideoq; ſophiſma eſſe illud. Quod creditur non eſt viſibile.

Conſtitutâ viſibilitate, aſpectabilitate, & claritate Eccleſiæ veræ, in præmiſſa Concluſione, quomodo non ſint inter ſe pugnantia iſta duo, ſcilicet Eccleſiam eſſe viſibilem & credibilem, præſenti determinatur Corollario. Pro cuius ſufficientiori diſcuſsione. Sit 1.

MEMBRVM I.

An de Eccleſia debeat eſſe articulus fidei?

Pro parte affirmante COLLIGITVR. Inter credibilia conuenienter & neceſſariò de Eccleſia diſtinctus fidei articulus conſtituitur. PATET. 1. ex Symb: Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam, vbi de Eccleſia Apoſtoli diſtinctum poſuerunt articulum. Et Concilio poſt articulum de diuinitate Spiritus Sancti, poſuerunt articulum de Eccleſia. Et vnam Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. cuius ratio peti poteſt ex S. Auguſt: Enchiridij cap: 56. nempe *Vt ſciatur quos ſanctificet, & CHriſti participes faciat Spiritus Sanctus, ſubiungitur ei in confeßione fidei Eccleſia, tanquàm conditori ſua ciuitas, habitatori ſua domus, & DEO ſuum templum.* Et Catechiſmus Parochorum. *Cùm iam demonſtratum ſit, Spiritum Sanctum omnis ſanctitatis fontem & largitorem eſſe, nunc ab eodem Eccleſiam ſanctitate donatam confitemur.* Cùm itaquè inter credibilia de Spiritu Sancto neceſſariò ponitur diſtinctus articulus fidei, eadem neceſſitate de Eccleſia quoquè diſtinctum poni conueniebat. *Nam demonſtrato DEO, conuenit demonſtrari templum eius.* ait S. Auguſt: lib: 1. de Symb: ad Catechum: cap. 5. *Templum enim DEI Sanctum eſt*, ait Apoſtolus, *quod eſtis eſt, ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica.*

Auguſt: Cathechiſ: Parochor. Auguſt:

DEINDE. Eadem eſt ratio capitis & reliqui corporis, ſed de CHRISTO capite Eccleſiæ inter credibilia ponitur diſtinctus fidei articulus: ita enim vbi ſpecialis difficultas occurrit, ſpecialis articulus diſtingui debet, 2.

D. Thom: vt docet D: Thom: 2. 2æ. q: 1. art: 6. Specialis autem difficultas occurrit de Ecclesia, ab ijs, quæ de Trinitate & de CHRISTI humanitate per articulos distinguuntur. Ergo de Ecclesia distinctum poni articulum conueniebat.

3. PRÆTEREA Vbi occurrit aliquid speciali ratione non visum, ibi debet poni distinctus fidei articulus, vt loco supra dicto docet D: Thom: fidei enim obiectum est aliquid non visum. Sed in Ecclesia speciali ratione occurrit aliquid non visum, nempe quòd regatur à Spiritu Sancto: quòd errare non possit: quòd in ea sit communio Sanctorum &c.

4. INSVPER. Quod secundùm se pertinet ad fidem, de illo articulus fidei poni debet: nam quæ non secundùm se sed propter manifestationem tantùm aliorum ad fidem spectant, vt sunt plurima in scripturis posita, de illis articuli distingui non debent. Ecclesia autem secundùm se ad fidem pertinet, Credere enim Ecclesiam esse sanctam, Catholicam, corpus CHRISTI, in eaquè esse potestatem clauium & similia, directè nos ordinat ad vitam æternam, proindequè id secundùm se ad fidem pertinet.

5. DICES. 1. Nec sub fidem cadit Ecclesia: non enim comprehenditur sub fidei subiecto: DEVS enim est fidei subiectum, in quem solum credimus, non in creaturam aliquam. Ergo nec articulus fidei de Ecclesia distingui debet. ℞. Quanquam DEVS principaliter sit obiectum fidei, in quem solum credimus, secundarió tamen res etiam omnes à DEO reuelatæ, quæ nobis ad credendum proponuntur, ad materiale fidei obiectum spectant: & comprehenduntur sub DEO, non tanquam partes, vel species vel accidentia, sed vt ordinata aliqualiter ad DEVM. Ecclesia ergo hôc modo ad fidei obiectum spectat, de qua & articulus distinguitur.

6. DICES. 2. Si de Ecclesia poneretur articulus fidei, aliquid crederet seipsum: essetquè sibiipsi obiectum fidei, quod videtur inconueniens. Nihil enim est obiectum fidei, nisi sub ratione non apparentis, vt prolixè
D. Thom: declarat D: Thom: 2. 2æ. q. 4. art: 1. Ecclesia autem sibiipsi est apparens, cùm sibiipsi sit intimè præsens. Ecclesia ergo sibiipsi non potest esse obiectum fidei, nec de ipsa articulus fidei distingui. ℞ Ecclesia est sibiipsi obiectum fidei, non secundum quod sibi est apparens, sed secundùm illud quod in ipsa est non apparens. vt quòd sit sponsa CHRISTI, quòd à Spiritu sancto gubernetur, & sanctificetur, & alia.

MEMBRVM II.

An deroget aspectabilitati Ecclesiæ, quòd ipsa sub fidem cadat?

Hæretici τὸ ἀσύςατον esse arbitrantur, Ecclesiam aspectui externo esse expositam & sub fidem cadere; contra quos Catholicè COLLIGITVR. 7.
Fide apprehensâ Ecclesia, illa tamen aspectabilis, & clara semper manet. PATET. 1. ex concordi doctrina omnium Catholicorum, qui vnâ voce asserunt, tàm sub externum aspectum, quàm sub internam fidem cadere Ecclesiam, ita vt vnum in nullo deroget alteri. Ita hac ætate Cardinalis Hosius, lib: 3. contra Brent: vbi & Augustinum tract: 79. in Ioan: producit testem, Bellarm: in lib: de Ecclesia militante cap: 15. in fine, tùm Alfonsus à Castro lib: 6. titulo de Ecclesia, & alij. Hosius. Bellarm. Castro.

DEINDE. Aspectus & fides, simul possunt versari circa Ecclesiam. Ergo articulus fidei qui de ipsa est, aspectabilitati eius minimè derogat, Ant: circa vnum & eundem triangulum potest versari aspectus & tactus. Ergo multò magis circa Ecclesiam aspectus & fides, Conseq: patet. Si enim circa aliquid, respectu eiusdem possunt versari duæ potentiæ. Ergo circa aliquid respectu diuersorum multò magis, Atqui circa triangulum respectu eiusdem figuræ diuersi realiter sensus versari possunt. Ergo circa Ecclesiam respectu diuersorum, id est respectu externæ multitudinis, & internæ gratiæ, multò magis aspectus & fides. 8.

PRÆTEREA. Vna eademquè res, tùm visibilis, tùm intelligibilis est, imò obiectum motiuum intellectus nostri, non potest esse nisi ens sensibile: cùm omnis nostra cognitio ortum habeat à sensu, vt docet Arist: in lib: de sensu & sensibili, & in 1. Phys: in principio. Vnde & visum plurimùm conferre ad scientias comparandas, idem docet 1. Metaph: cap: 1. & ante ipsum Plato in Timæo, per oculos acceptam Philosophiam dicit. Cùm itaquè ens aliquod non minùs est visibile, quo est intelligibile, Ergo nec Ecclesia aspectabilitati & claritati, vllo modo derogatur, quòd fidei articulo teneatur. 9.

INSVPER. Si, quòd Ecclesia creditur vt articulus fidei, eius aspectabilitati, & claritati inde derogaretur, pari ratione visibilitati & aspectabilitati Reipub: Polonæ derogabit internus affectus ordinum inter se: Si enim rectè concludis. Ecclesia non est aspectabilis, quia interna eius gratia 10.

ſenſibus percipi non poteſt, rectè quoq; inferes Rempub. Polonam inuiſibilem eſſe, quia internus affectus ordinum inter ſe inuiſibilis eſt. Sed hic affectus internus, minimè derogat aſpectabilitati & claritati multitudinis & politiæ in Repub: Polona: non enim minùs eſt aſpectabilis & clara illa multitudo & regimen Politicum, dùm interno affectu ordines inter ſe colligantur, quàm eſſet ſine illo interno affectu, ſine quo faciliùs diſpareret. Ergo nec aſpectabilitati Eccleſiæ quidquid derogat, quòd creditur: imò quantò magis internâ fide & charitate membra vniuntur, tantò clariùs & aſpectabilius ipſa elucet.

11. Dices. Quod derogat ſcientiæ, derogat etiam aſpectui externo. Sed fides derogat ſcientiæ, Ergo etiam derogat aſpectui externo. Si itaquè Eccleſia creditur, de ipſaquè eſt articulus fidei, Ergo non eſt aſpectabilis, Mai: liquet. Tùm quia magis ſcientia accedit ad fidem, quàm aſpectus externus, cùm vtraquè ſubiectetur in intellectu. Tum quia ſcientia nobilior eſt aſpectu externo, & vtiquè quod derogat nobiliori, derogat ignobiliori. Min: etiam conſtat, quia quæ ſub fidem cadunt, non

D. Thom: ſunt ſcita, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art: 5. nam quæ tenemus per primam veritatem reuelantem, tanquam per medium, non ſcimus: primæ autem veritati reuelanti firmiter aſſentimur, non propter euidentiam, ſed propter certitudinem & infallibilitatem. ℞. Reſpectu eiuſdem fides derogat & ſcientiæ & aſpectui, non verò reſpectu diuerſorum, poteſt enim aliquis de eadem re, habere ſcientiam, & opinionem, ſecundùm diuerſa: ſimiliter fidem & ſcientiam. V. g. de Deo, poteſt aliquis habere ſcientiam per demonſtrationem, quòd ſit vnus, & fidem, quòd ſit trinus, de eodem autem ſecundùm idem, non poteſt aliquis habere fidem & ſcientiam. Et hoc modo, quia credimus per articulum fidei in Eccleſia eſſe aſſiſtentiam perpetuam Spiritus ſancti, eſſe communionem Sanctorum, &c. ſecundùm hoc aſpectabilis eſſe non poteſt, ſecundùm aliud autem non derogatur eius aſpectabilitati.

MEMBRVM III.

An ſit hoc ſophiſma. Quod creditur non eſt viſibile?

12. Quoniam inter præcipua dogmata ſuæ theologiæ eſſe cenſent hæretici, non poſſe videri id quod creditur, nos verò inquirimus: an hoc eorum

theologiæ arcanum inter sophismata numerari sit dignum. Atquè pro veritate Catholica affirmatiuè

COLLIGIMVS. Sophista est qui dicit id quod creditur non esse visibile. PATET 1. Familiare est enim ijs, qui à veritate semel recesserunt, nisi reuocent gressus, ampliùs in errores pronâ temeritate ruere, quod etiam Aristoteles lib: 1. de cœlo t. 33. notauit d. *Modica transgressio discedentibus à veritate, fit longè decies millies maior.* id verò ijs potissimùm euenit, qui suâ pertinaciâ in doctrina fidei naufragia faciunt. *Nam abdicatà qualibet parte Catholici dogmatis*, ait Lyrinen: cap: 31. *alia quoque atque item alia, ac deinceps alia & alia iam quasi ex more & licito abdicabuntur, atque hoc progressu fiet ibi turpium ac impiorum errorum lupanar, vbi erat ante castæ ac incorruptæ sacrarium veritatis.* Apostolus etiam mores & indolem exponens hæreticorum 2. Tim: 2. d. *Multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Et cap: 3. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Et quoniam detestantur & persequuntur veritatem Catholicam hæretici, idcirco cauillationibus ad euertendam ipsam instrui progrediuntur. Sic Ariani aliquando nunquam sine sophismatibus in arenam descendebant, cùm supernaturalem SS. Trinitatis consubstantialitatem oppugnarent: vtebantur interdùm sophismate accidentis cùm sic argumentarentur. Essentia Diuina sunt tres personæ. Sed filius non sunt tres personæ; Ergo filius non est essentia diuina. In quo argumento est fallacia accidentis, quæ maximè accidit in mutatione suppositionum, quod hic videmus in Ly essentia, quæ in MAI: pro absoluta supponit, vt est communis tribus personis, in Conclusione pro relatiua. Vtebantur & sophismate à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, cùm dicerent. Essentia diuina cum paternitate spectata non est in filio, quia filius non est Pater, & alius à Patre. Ergo non est DEVS essentialis. Est inquam fallacia à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter: nam licet essentia patris eatenus non sit in filio, quatenus cum paternitate consideratur, nam sic considerata, proprium subsistendi modum Patris includit, tamen simpliciter sumpta essentia patris, est etiam in filio. Iam istis confœderati in exercitu Antichristi, aduersus Castra Sanctorum & Ciuitatem dilectam Lutherani & Caluinistæ, eodem sophismate à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter, tanquam insuperabili ariete, ad confringendos visibilis Ecclesiæ muros armantur,

Lyrin.

cùm dicunt. Quod creditur non est visibile. Ecclesia creditur. Ergo non est visibilis. Est hic inquam sophisma & fallacia à dicto secundum quid. Tunc enim sophisma istud committitur. vt docent Logici, quando ex parte infertur totum, vt Æthiops est albus dentes. Ergo simpliciter albus? sic Ecclesia est inuisibilis ex illa parte qua creditur. Ergo simpliciter inuisibilis! negatur conseq: quæ ex parte ad totum valere non potest, sicut & illa Arianica, CHRISTVS est homo, Ergo DEVS non est? vtraquè pessima eiusdem farinæ & fermenti.

DEINDE. Ordinantur fines sophistarum ad hoc, vt appareant sapien-
13. tes, quamuis non sint, vtuè falsum pro vero insusurrent, prout in Logicis dicitur, enorme sophisma est quo Lutherani & Caluinistæ sub specie sapientiæ, suam ostentent stultitiam. Nihil visibile est quod creditur, ast in hoc suæ stupiditatis sunt præcones, tàm enim sunt amentes & iudicio destituti, vt perspicere non valeant, in vna eademquè Ecclesia, aliud esse spirituale quod creditur, atquè aliud corporale quod cernitur, sicut in vno eodemquè homine corpus quidem videtur, anima tamen videri non potest, & tamen secundùm corpus idem homo rectè verissimè visibilis est, quamuis secundùm animam videri non possit.

DICES. Ostendere impermixtorum habituum impermixta esse obiecta,
14. non est sophisma: siquidem vnusquisque habitus & potentia, suum determinatum habet obiectum, Atqui dicere, quod creditur non est visibile, est ostendere impermixtorum habituum scilicet fidei & visus, esse impermixta, obiecta. Ergo dicere, Quod creditur non est visibile: non est sophisma. ℞. Cùm hæreticus dicens Quod creditur non est visibile; non ad ostendenda impermixta obiecta impermixtorum habituum faciat, sed vt fallat & decipiat, ducens ab eo quod est secundùm quid, ad id quod est simpliciter, sophismate vacare non potest. Sed pro vlteriori determinatione, Sit

COROLLARIVM 4.

1. In Ecclesia Christi in terris vera, sicut in Christo ipso rediuiuo, aliud creditur, aliud videtur: sensu enim comprehenditur symbolum, fide internum mysterium.

Non

Non solum ratione, verùm ipsis etiam sensibus externis, quiuis percipit Ecclesiam, id est hominum conuentum in terris, qui Christo addicti & consecrati sunt, quod etiam ipsi infideles pagani percipiunt: sed quanam ratione, etiam ad articulos fidei spectet, in hoc corollario insinuatur, pro cujus intelligentia, Sit.

MEMBRVM I.

V. per fidem sensus & ratio perficiantur?

Præambuli loco ad alia, istud membrum proponitur, pro cujus resolutione affirmatiué COLLIGITVR. Et PATET 1. quia omnis virtus superior est perfectiua inferioris sicut sensitiua est perfectiua vegetatiuæ, & hæc naturalis. Sed ratio est superior sensu, & fides ratione, Ergo per fidem sensus & ratio perficiuntur. MIN: patet, quia sensus tantum singularia cognoscit, ratio autem etiam vniuersalem rationem entis & boni, fides tandem quæ sunt supra naturalem rationem, cùm sit argumentum non apparentium. Et quamuis etiam inuisibilia Dei quodam modo ratio naturalis percipiat, vt ait Apostolus Rom. 1. altiori tamen modo quantum ad plura percipit fides, quàm ratio naturalis ex creaturis in DEVM procedens, ait D. Thom: 2. 2æ. q. 2. art. 3. 3m. vnde Ecclesiastici 3. *plura supra sensum hominis ostensa sunt tibi.* (Fonf. lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 1. Sect: 5. assert. 1.) (D. Thom:)

DEINDE. Sine fide ipsa ratio non potest pertingere ad vltimum finem; nam finis vltimus est ipsa visio DEI facialis, ad quam visionem non potest 2.
perueniri sine fide, quæ ad hunc finem dirigit intentionem, vt eodem loco. q. 10. art. 4. 2m. docet D. Tom. Ergo ratio naturalis ex fide perficitur.

PRÆTEREA. Sensus & ratio ab incertitudine & erroribus per fidem liberantur; nam sensus & ratio humana in rebus diuinis est multum defici- 3.
ens. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Sap. 9. idcircò & Philosophi, quamuis de rebus humanis, naturali inuestigatione perscrutantes, in multis errauerunt: ex fide autem habetur certa & indubitata cognitio de DEO. Proinde S. Thom: 1. p. q. 2. art. 2. 1m. expresse fidem appellat perfectionem, cognitionem autem quæ habetur per rationem naturalem, vocat perfectibile. (D. Thom:)

4. INSVPER. Si per fidem sensus & ratio non perficerentur, non esset necesse credere DEVM esse, quem esse naturalis ratio conuincit: nec credere Ecclesiam, quam sensu percipimus, oculis intuemur, mente & ratione comprehendimus. Atqui articulus fidei nos compellit vt credamus sanctam Ecclesiam Catholicam: Apostolus etiam Hebr. 11. d. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est.* Ergo per fidem sensus & ratio perficiuntur.

5. DICES 1. Sensus & ratio sine fide habent suam perfectionem: sensus quidem, qui idem specie est in nobis & brutis, in quibus cùm nullam perfectionem à fide referat, etiam in nobis. De ratione patet, quæ sine fide pertingit ad omne intelligibile, etiam ad cognitionem supremi entis, vt constat ex eo quod Apostolus Rom: 1. d. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta à creatura mundi conspicuuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas.* Ergo sensus & ratio ex fide nihil referunt perfectionis, qua præcisa, suam perfectionem habent. ℞. etsi tàm sensus quàm ratio attingant sua obiecta præcisa fide, in eo tamen perficiuntur ex fide, quia quod sensus exterius, & ratio interius, hoc fides sublimiori adhuc modo assequitur. Siue vt dicit S. Thomas, quamuis ratio naturalis etiam inuisibilia DEI percipiat, non tamen tàm multa potest ex creatoris de DEO cognoscere, quantum fides ex prima veritate reuelante. Sensus ergo extrinsecus adiacentia cognoscit, nam per se & directè, sola accidentia externa sunt sensibilia, vt Arist: lib: 3. de anima T. 6. dicit. ratio autem attingit, internam substantiam, porrò fides supra rationem naturalem mysteria diuina contemplatur.

Arist.

6. DICES 2. Quod imperfectum est, non potest alteri conferre perfectionem; impossibile enim est alteri dare quod non habet, sed fides imperfecta est, nam modo imperfecto cognoscit obiectum, & ob hoc non manet in patria, in qua omnis perfectio, & ibi cùm venerit quòd perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Ergo fides non potest perficere rationem. ℞. Fides imperfecta dicitur, non simpliciter & absolutè sed respectu visionis beatificæ, quam antecedit, tanquam medium finem, vel certè, ex parte modi cognoscendi habet fides aliquid imperfectionis, quia sub obscuritate obiectum cognoscit, tamen ex parte principij cui innititur, quod est prima veritas reuelans, & ex parte adhæsionis, quia firmissimè adhæremus credendis propter summam certitudinem longè per-

fectior fides ratione naturali, quam perficit certificando, & ea attingendo, quæ ratio attingere non valet. Hinc & illud. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.*

MEMBRVM II.

An sit conueniens hæc comparatio. In Ecclesia vera, sicut in Christo rediuiuo aliud creditur, aliud videtur?

Qvanquam hæreticis qui veram Ecclesiam visibilem esse diffitentur, non ambigo etiam istam comparationem ridiculam esse; nihilominùs tamen pro veritate Catholica affirmatiuè COLLIGITVR. quod PATET 1. quia sicut in CHRISTO rediuiuo aliud erat expositum oculis, quod vidit Thomas Apostolus. Ioan: 20. *Quia vidisti me Thoma*; atq; aliud cadebat sub fidem internam, quod idem Thomas credidit, de quo S. Gregor. *Aliud vidit aliud credidit*, ita quoq; in Ecclesia. Namq; humanitas CHRISTI exposita erat sensibus, palpabatur, oculis exteriùs videbatur: diuinitas verò fide tenebarur: ita in Ecclesia videmus cœtum hominum, ritus externos Sacramentorum, & similia, sunt autem plurima quæ credimus & non videmus. Nam qui sint electi in hoc cœtu, nec videmus, nec agnoscimus, nam solus Dominus nouit qui sunt eius: credimns nihilominùs firmiter quòd non alibi sint electi, quàm in isto cœtu vocatorum; credimus hanc Ecclesiam regi à Spiritu sancto, eamq; ob causam ipsam errare non posse: credimus eam esse columnam & firmamentum veritatis: credimus extra eam neminem saluari: credimus veram esse doctrinam quæ in Ecclesia traditur, Ergo comparatio ista conueniens est: nam sicut Apostoli illum hominem, qui est Christus DEI filius, videbant, tamen esse Christnm DEI filium non videbant, sed credebant, ita nos quoq; videmus hunc cœtum vocatorum, qui est vera DEI Ecclesia, esse tamen veram DEI Ecclesiam, non videmus sed credimus. 7. Gregor. Eccl[ia] est columna veritatis.

DEINDE. Sicut in CHRISTO rediuiuo per exteriora cicatricum signa ostendebatur diuinitas occulta resuscitans mortuum hominem, ita per signa extrinseca necessariò demonstrantia Ecclesiam, creditur hæc & non alia esse vera Ecclesia. 8.

PRÆTEREA. Sensibus externis percipitur in Ecclesia plenissima vnitas 9.

membrorum inter se, & cum capite visibili; item continuata successio: perpetua conformitas doctrinæ, in eaq; gentium consensus; item hæresum & aliorum malorum anathematizatio: item gubernatio, subditorum subiectio: gentium ad Ecclesiam conuersio. ipsius in vniuerso orbe multiplicatio & alia istiusmodi. Fide autem creditur in Ecclesia communio sanctorum. id est societas quædam & vnio inter eos qui ad veram Ecclesiam pertinent qui se iuuant inuicem mutuis officijs, meritis & orationibus, in qua communione comprehenduntur, non solùm qui in terra adhuc peregrinantur, verùm etiam qui in cœlo triumphant, vt S. Augusti: docet. Serm: 181. de temp. Et cap: 56. Enchirid: comprehenduntur & animæ quæ hinc exierunt, sed nondum cum DEO regnant. vt idem lib: 20. de Ciuit. cap: 9, & S. Greg: lib: 4. Dial. cap: 39. docent: Creditur in Ecclesia interior donorum & charismatum diuisio; creditur in Ecclesia potestas consecrandi verum corpus Christi & offerendi: creditur virtus spiritualis sacramentorum, & his similia. Ergo sicut in Christo rediuiuo aliud videbatur & aliud credebatur: ita in Ecclesia.

Augustin. *Gregor.*

10. DICES. In Christo rediuiuo, aliud & aliud quorum vnum videbatur, & alterum credebatur, erant duæ naturæ, altera humana, & altera diuina. Ergo si rectè comparantur in Ecclesia, aliud quod videtur, atq; aliud quod creditur, concedendum est, aliam esse Ecclesiam visibilem, atq; aliam inuisibilem. ℟. ita quidem volunt hæretici, sed nulla necessitas cogit ad concedendum duas istiusmodi Ecclesias, quarum vna sit visibilis, & alia inuisibilis, sed in vna vera Ecclesia, illud vtrumq; continetur, aliud quod videtur, aliud quod creditur. Sed pro vlteriori intelligentia infertur.

COROLLARIVM 5.

Nullatenùs sequitur ex dictis Corollarij præcedentis figmentum hæreticorum, suos errores defendentium, aliam esse Ecclesiam visibilem, aliam inuisibilem; etenim præter visibilem nulla est alia.

1. Ex medulla Conclusionis elicitur Corollarium istud, & pro determinatione superioris ponitur; cuius abusu duas Ecclesias distinguere non vere-

cundantur hæretici: vt vnam visibilem, & aliam iuuisibilem comminiscantur: & hoc palam profitentur Centuriatores. 1. Cent: lib: 1. cap: 4. Caluinus quoq; lib: 4. Instit: cap. 1. Melanchton in locis communibus. & ita passim Lutherani Ecclesiam nomine visibilem, re inuisibilem faciunt. Videndus est Bellarm. in lib: de Ecclesia militante. cap: 11. Et quanquam omnes inuisibilem propugnant. Brentius tamen in Prolegon: vt notat Hosius lib: 5. contra eundem, omnibus zelosior esse videtur. Sit iam: Magdeburg: Caluin: Bellarm. Hosius.

MEMBRVM I.

V. Præter visibilem Ecclesiam sit admittenda alia inuisibilis?

Platonizant hæretici dùm somniant Ecclesiam inuisibilem, quæ non est aliquid aliud, quam idea platonica, existens alicubi indefinitè extra visibilem, quod planè de ideis Plato (si Aristoteli credimus) philosophabatur, dicens eas esse naturas reales à rebus particularibus separatas, per se subsistentes. Planè idem figmentum hæreticorum de inuisibili Ecclesia, quam dicunt verè piorum & electorum, quæ sit columna & firmamentum veritatis, qui cœtus inquit Illyricus in lib. de sermone sacrarum literarum magis creditur, quàm corporeis oculis cernitur. Verùm contra istos Catholicè COLLIGITVR. Præter visibilem Ecclesiam, non est admittenda inuisibilis, Hæc doctrina est omnium Catholicorum, ita enim docet Cardinalis Hosius lib: 5. contra Brent: Bellarm: lib: de Ecclesia militante, cap: 11. & 12. & seqq: Sander. lib. 7. de visibili Monarch. Castro lib: 1. cap. 6. & alij. PATET 1. ex Symbolo Nicæno, vbi confitemur vnam sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Si vna, Ergo non duæ, quin & CHRISTVS vnum gregem suum Ioan: 10. indicauit, d. Fiet vnum ouile & vnus pastor. Vnum est regnum cœlorum decem virginibus comparatum, quamuis virgines non sint eiusdem pietatis, & indolis, Matth: 25. Vna est domus magna, in qua alia vasa in honorem alia in contumeliam. 2. Tim: 2. Ergo præter visibilem Ecclesiam, in qua simul sunt boni & mali, ineptè excogitatur inuisibilis, ex solis bonis & electis constituta. Illyric. Hosius. Bellarm: Sander. Castro.

DEINDE. Huic inuisibili excogitatæ non conuenit ratio Ecclesiæ, Ergo non est admittenda. ANT: Ecclesia vt S. August: dicit, *est populus fidelis, per vniuersum orbem dispersus*, vel vt S. Cypr: lib: 4. epist: 9. *Plebs sacerdoti adunata,* 2. August. Cyprian.

D. Thom: *nata, & Pastori grex adhærens.* Vel vt Thomas Aquin: in exposit. Symboli Apostolici. *Congregatio fidelium*, vel vt alij. *Congregatio hominum, ad hoc conuocata à Spiritu Sancto, vt merita Christi ipsi communicentur.* Atqui inuisibilis illa ab hæreticis inuenta, non potest dici populus per vniuersum orbem dispersus: non plebs sacerdoti adunata: non congregatio hominum fidelium: non ei merita Christi communicari possunt. Ergo huic inuisibili non conuenit ratio veræ Ecclesiæ. MIN: per singula liquet. Non est populus per vniuersum orbem dispersus, quia populus qui sic dispersus est, necessariò visibilis est. Non plebs adunati sacerdoti, quia hæc adunatio nonnisi modo visibili fieri potest. Non congregatio hominum fidelium, quia hæc congregatio in certo aliquo loco sensibili, sensibiliter vt perficiatur est necesse. Non deniq; merita Christi huic inuisibili communicari possunt, quia enim corpore constamus, ideo media ordinata sunt sensibilia vt sacramenta, & sacrificia, quibus nobis merita Christi communicantur. Ast inuisibili sacramenta visibilia & modo visibili ministrari non possunt. Ergo iuuisibilis ista Ecclesia non potest dici populus per vniuersum orbem dispersus, nec congratio hominum, nec meritorum particeps Christi.

3. PRÆTEREA. Hæc inuisibilis Ecclesia est noua, Ergo non est admittenda. ANT: antiquis Patribus nunquam fuit cognita, qui tantum visibilia agnoscebant, in eaq; gubernanda visibilem successionem pastorum recensebant, vt Ireneus. Epiphanius, Augustinus, Optatus, Eusebius, & sexcenti alij. Et isti quidem nunquam duas Ecclesias admittebant, sed vnam cunctis suffragijs defendebant, Refert autem S. August: in suo collationum, celebrem collationem habitam Carthagine inter Catholicos & Donatistas cumq; Donatistæ Catholicis obtrectarent, eos duas facere Ecclesias, vnam in terris quæ haberet bonos & malos aliam in cœlis quæ solos haberet bonos: Catholici responderunt se non facere duas Ecclesias, sed distinguere duo tempora vnius Ecclesiæ, Eandem inquit S. August: ipsam vnam, & sanctam Ecclesiam dixerunt, nunc esse aliter, tunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram: sicut non ideò duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus. Si illi sanctissimi viri Catholici non faciebant duas Ecclesias, sed vnam militantem & triumphantem, perperam ergo faciunt Lutherani & Caluinistæ, dùm duas assignant Ecclesias, aliam visibilem aliam inuisibilem. Ergo inuisibilis ista noua est.

Iren: Epiphan. August: Optat. Euseb. August.

INSVPER. Inuisibilis ista non est vera Ecclesia. Ergo frustra excogitatur. ANT: In vera Ecclesia est legitima administratio baptismi; vera & incorrupta prædicatio Euangelij: legitimus vsus Eucharistiæ: legitimus quoq; vsus clauium, vt ipsorum etiam hæreticorum fert sententia. Atqui in ista inuisibili nihil horum fieri potest: nam omnes istæ functiones nonnisi modo visibili fiunt, proinde in visibili tantum Ecclesia. 4.

DENIQ; Quod contradiuiditur veræ Ecclesiæ, non est pro vera Ecclesia admittendum: quia vera Ecclesia vna tantùm est, quod confirmat illud Cant: 6. *Vna est columba mea.* Sed hæc inuisibilis contradiuiditur veræ Ecclesiæ: nam visibilem esse veram Ecclesiam, ne ipsi quidem hæretici constanter negare aut possunt, aut audent. nam Magdeburgenses veram Ecclesiam Cent: 1. definiunt per cœtum visibilem, non dissentit Melanchton loco 12. quanquam Caluinus lib: 4. instit: hallucinatur. Ergo inuisibilis Ecclesia friuolè ab hæreticis statuitur. 5. Magdeburg: Melanchton. Caluin.

DICES 1. In Ecclesia aliud cernitur, aliud creditur: illud autem quod cernitur pertinet ad Ecclesiam visibilem & eam constituit. Ergo pari ratione quod creditur pertinet ad Ecclesiam inuisibilem, eamq; constituit. Ergo præter visibilem admittenda est inuisibilis, ℞. Conseq: hæc non minùs est inepta atq; si dicas. In Christo viderunt Apostoli humanitatem & crediderunt diuinitatem. Ergo duo erant Christi: hæc consequentia ineptissima. Ergo & illa similis ipsi. 6.

DICES 2. Datur caput inuisibile, id est CHRISTVS in dextera patris. Ergo & corpus inuisibile, id est Ecclesia, quæ hæc ad inuicem referuntur. ℞. Christum per carnis assumptæ dispensationem, semper esse visibilem, & ante gloriam resurrectionis & postmodum, ostendit Alfonsus à Castro lib: 1. cap. 6. neq; Christus caput Ecclesiæ eo modo inuisibilis dicendus est, quo illi fingunt in abstracto inuisibilem Ecclesiam, vt aliam statuant præter visibilem. CHRISTVS autem non ita est inuisibilis, quòd idem non sit visibilis, porrò Ecclesia ab ipsis conficta ex natura sua, eorum existimatione est inuisibilis, diuersa à nostra visibili. Vnde huius inuisibilis eorum Ecclesiæ, Christus caput esse, non est dicendus, cùm aliter ipse sit inuisibilis, aliter eorum ista Ecclesia. 7. Castro.

DICES 3. Ecclesia visibilis, non est vera Ecclesia Christi, Ergo præter illam danda est inuisibilis, ANT: Vera Ecclesia Christi, est corpus Christi, Sed visibilis non est corpus Christi. Ergo non est vera Ecclesia Christi. 8.

MIN: Corpus Christi non est corpus diaboli. Sed visibilis Ecclesia pro maiori parte est corpus diaboli, plures enim in Ecclesia visibili sunt peruersi & reprobi, quàm iusti & electi. Ergo visibilis Ecclesia non est corpus Christi. Rℽ. neg: ANT: Ad probat: d. Quamuis peruersi & reprobi in Ecclesia Christi, sint corpus diaboli, nihilo tamen seciùs sunt etiam corpus Christi: non enim repugnat eundem hominem secundum diuersa pertinere ad corpus Christi, & ad corpus diaboli; & fideles quidem mali secundum fidem pertinent ad corpus Christi, secundùm peruersos mores ad corpus diaboli.

DICES 4. Datur distincta Ecclesia bonorum ab Ecclesia malorum,
9. Ergo præter visibilem datur inuisibilis in qua soli boni, pij, & prædestinati. ANT: patet, datur enim distincta iustitia discipulorum, à iustitia Pharisæorum. Matth: 5. distinguuntur etiam pij ab hypocritis Matth: 6. distinguitur cœtus euntium per viam angustam, à cœtu euntium per viam latam: distinguitur domus fundata supra petram, à domo fundata super arenam. Matth: 7. Ergo datur distincta Ecclesia bonorum, ab Ecclesia malorum; bonorum inuisibilis, solius DEI oculis conspicua, vt Cal-
Caluin. uinus lib: 4. instit: cap: 1. d. Rℽ. hoc modo duas Ecclesias ostende-
Magdebur re & persuadere Magdeburgenses Centuria 1. conantur. ast sinistrè loca scripturæ allegant, ex quibus nullo modo duæ Ecclesiæ ostendi possunt, sed solùm diuersæ qualitates eorum qui in cœtu vnius atq; eiusdem sunt Ecclesiæ. Quemadmodum enim Matth: 13. distinguuntur boni pisces à malis in eadem sagena, ita in vna eademq; Ecclesia, quæ constat professione eiusdem fidei, & communione eorundem sacramentorum, quidam sunt qui ambulant per viam latam vitiorum. quidam per viam angustam virtutum, quidam sunt pij, quidam hypocritæ.

DICES 5. Tabernaculum in veteri lege, erat figura Ecclesiæ Christia-
10. næ. Atqui præter visibile, erat aliud inuisibile & ideale, de quo illud. Exod: 25. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Ergo præter visibilem Ecclesiam, est alia inuisibilis. Rℽ. illius tabernaculi idealis, non erat alius vsus, nisi vt esset exemplar & norma Moysi ad construendum externum tabernaculum; Ecclesiæ autem inuisibilis ab hæreticis excogitatæ, cùm neq; hic vsus possit assignari, ideò consequentia nulla paritate vel similitudine fundatur: nam tabernaculum ideale fuit exemplaris causa externi, inuisibilis autem Ecclesia, non est causa in vllo genere causarum visibilis.

MEMBRVM II.

Cur hæretici fingunt inuiſibilem Eccleſiam?

Mathematicorum more vicini noſtri (ſi tamen vicini ſunt dicendi) II.
loqui de Eccleſia oblectantur, vt dicant eam omnis materiæ ſenſibilis prorſus expertem, in qua ſoli ſint iuſti & prædeſtinati. Et quòd olim Democritus veritatem in profundo demerſam dicebat, vt teſtis eſt Tullius lib: 1. Acad: quæſt: ita illis de Eccleſia placet theologizare. Nam Lutherus Eccleſiam veram multis ſeculis in deſerto & in penetralibus egiſſe voluit, vt eſt apud Sanderum lib: 8. viſib: monarch: cap: 54. Beza quoq; in ſua confeſſione cap: 5: ita pronuntiat. *Accidit plerumq́, vt Deus lucis ſuæ radios quadantenus occultet, adeò vt nonnunquam Eccleſia funditus periiſſe videatur.* Et iterum. *Fidelium gregem vni pœnè Deo interdùm eſſe cognitum.* Porrò cauſæ ob quas effinxerint hanc inuiſibilem & mathematicam Eccleſiam, ferè ſunt iſtæ. 1. Quia ipſorum eſt indoles ſemper noua, inaudita, & inuſitata pro ſua leuitate & procacitate cudere, qui antiqua, longo vſu trita, probata & à maioribus tradita aſpernantur: de quo Vincentius Lyrinen: cap: 34. *Hoc inquit apud omnes ferè hæreſes, quaſi ſolemne ac legitimum eſt, vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent.* Ita olim Ariani: vt idem cap: 6. oſtendit. *Pro cœleſti dogmate humanas ſuperſtitiones introducebant, benè fundatam antiquitatem ſceleſta nouitate ſubruebant, ſuperiorum inſtituta violabant, ſcita patrum reſcindebant, definita maiorum conuellebant.* His ſimiles præſenti æuo Lutherani & Caluiniſtæ, inuiſibilis & nouæ Eccleſiæ fabricatores, qui dùm ſe à viſibili Catholica Eccleſia ſegregârunt, inuiſibilem nouam, intra cuius gremium ſe reciperent & occultarent excogitauerunt.

Democrit: Luther. Sander. Beza. Lyrinen. Ariani. Lutherani Caluiniſtę

DEINDE. Quia pro ſua prauitate & inconſtantia, à viſibili antiqua & 12.
vera receſſerunt, pro ſui conſolatione compulſi ſunt inuiſibilem nouam & falſam conſtruere: id quod vſu venit erronibus, de quibus. Pſ: 57. *Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa.* Spreta enim luce veritatis Catholicæ, neſcientes quo vadant, in tenebras errorum prolabuntur, tenebris nolint velint obruuntur, in quibus & pereunt. 13.

PRÆTEREA. Quia excluſi propter ſuam peruerſitatem & perniciem à viſibili, vagantur per deuia & inuiſa. Sicut enim immundus ſpiritus. Matth:

12. Luc: 11. *Cùm exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit, tunc dicit reuertar in domum meam vnde exiui.* Hunc isti vt genitorem suum imitati, deserta visibili Ecclesia, affluente omni charismatum abundantia, quærunt requiem in ariditate inuisibilis: nec tamen inueniunt, quousq; reuertantur ad visibilem de qua exierunt. *Ex nobis enim prodierunt.* 1. Ioan: 2. *Sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis permansissent vtiq; nobiscum.*

14. INSVPER. Vt defendant suum schisma & apostasiam seu defectionem à visibili, excogitauerunt inuisibilem, vt gloriarentur de sua iustitia & certitudine electionis, nolentes esse de cæteris, cum illo Luc: 18. qui dixit se non esse, sicut cæteri hominum. Nam in nostra visibili Ecclesia, sunt mali permixti bonis, reprobi cum electis, illi autem se iustos in sua inuisibili probare volunt, in qua solis iustis & prædestinatis concedunt locum. Verùm pro illorum parte.

15. DIXERIS. 1. Perfectiùs est præeligendum, sed inuisibilis Ecclesia perfectior est visibili. Ergo illa præeligenda. MIN. declaratur. Vbi nulli prorsus errores contingunt: iustitia etiam semel habita non amittitur, ibi perfectio maior, quàm vbi & fides vacillat, & tot errores enascuntur, iustitia etiam habita amittitur. Sed inuisibilis Ecclesia, in qua soli sunt iusti & prædestinati, nullis erroribus est obnoxia, nec amittit iustitiam habitam: porrò Ecclesia visibilis & fide vacillat, & erroribus scatet: siquidem & ipsum caput eius sæpè errat in fide, vt Petrus errauit, tùm negando Christum, tùm legalia retinendo. Ob quam causam in faciem ei Paulus restitit, *erat enim reprehensibilis.* Gal: 2. Errârunt non minùs alij Pontifices, hæreses profitendo. vt est palam de Honorio 1. qui Monothelita fuit, vnam duntaxat voluntatem in Christo asserendo. Deinde visibilis Ecclesia iustitiam amittit; ab Ecclesia autem inuisibili procul absunt hæc incommoda. Ergo Ecclesia inuisibilis perfectior est visibili. ℞. neg: MIN: Ad pub: d. 1. dogmata sunt ista hæreticorum. Primum, in Ecclesia inuisibili solos esse iustos & prædestinatos. Secundum, fidem & iustitiam in solis esse prædestinatis. Tertium, fidem & iustitiam amitti non posse, exinde dicunt inuisibilem Ecclesiam tàm esse perfectam, vt in sola sit fides, & iustitia, atq; in illa fidem & iustitiam esse

Caluin. inamissibilem, Ast fundaméta ipsorum falsa, nam quod dicit Caluin⁹, in solis prædestinatis esse fidē & iustitiam, ex scriptura falsitatis cōuincitur. Et enim Simon ille magus non erat prædestinat⁹, quia perijt, fidem tamen habuit, vt

Act: 5. d. Iudas etiam fidem habuit, cùm electus esset in Apostolum, quem etiam bonũ tunc fuisse testatur Theophilactus. Nicolaus ille aduena non fuit Theophil. prædestinatus, & tamen ad temp⁹ habuit iustitiam, quia Act: 6. cum alijs habuit bonum testimonium, plenus Spiritu sancto. Deinde falsum est fidem & iustitiam amitti non posse, siquidem & Simon postea discredidit, & Nicolaus amisit iustitiam. d. 2. Ecclesia visibilis non solùm non errat in doctrina fidei & morum, sed nec errare potest, semel enim desponsata Sponso Christo, iuxta illud. 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*: nunquam fidem irritam facit. vt S. Cypr: de vnitate Cypr. Ecclesiæ. d. *Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica.* Huic iurauit Christvs, quòd portæ inferi non sint præualituræ aduersus eam, præualerent autem, si illa erraret. Quod autem dicitur caput visibilis Ecclesiæ Petrus videlicet negando Christum in fide errasse, falsum est. Petrus enim non errauit in fide etiam tunc, sed timore victus, id exteriùs negauit, quod intus inuariabili fide tenebat: neq; circa legalia errauit in fide; nam qui in Concilio Ierosolymitano Act: 15. pronuntiauit legalia abrogata esse, non aliter credebat: reprehensus verò fuit à Paulo non de errore in fide, sed quia simulabat Iudaismum incautè cum scandalo. Quantum ad Honorium I. quem præter hæreticos Nilum & Magdeburgenses, quispiam ex Catholicis, hæresis damnare non erubescit, planè falsum est, ipse enim Pontifex in epist: Sextæ Synodi Action: 12. admonebat Sergium Patriarcham Constantinop: qui author fuit eius hæresis. Est verò periculosa sententia, asserens Romanum Pontificem quocunq; modo posse errare in fide imò est de fide non posse errare, quatenus vt caput Ecclesiæ & Christi Vicarius, ex Cathedra pronuntiat sententiam, pro cuius fidei firmitate efficaciter Christus orauit. Luc: 22. *Vt non deficiat fides eius.* & qui singularem habet assistentiam Spiritus sancti in decretis faciendis. Ioann: 14. *Vt maneat vobiscum in æternum.* Et cap: 16. *Docebit vos omnem veritatem*: quod principaliter capiti à quo vnitas omnis pendet, deinde etiam toti corpori vnito capiti promissum est.

Honorius I.

Dixeris 2. Sicut se habet Ecclesia militans ad triumphantem, ita visibilis ad inuisibilem. Sed præter militantem in terris datur triumphans in 16. cœlis. Ergo præter visibilem datur inuisibilis. ℟. neg: proportionem, nam militans in terris & triumphans in cælis, vna est atq; indiuisa Ecclesia, partibus solis discreta, vt vna sit pars in terra fide militans, altera pars in

cælo visione beata; porrò visibilis & inuisibilis non est vna, sed alia & alia, non enim partibus solis differunt, sed specie diuersificantur, imò sicut homo & chimera. Præterea sicut militans Ecclesia habet suum locum in quo facilè inuenitur scilicet terram, ita triumphans suo quoq; beatur cælo; at verò inuisibilis illa imaginaria, quibus in terris, quoue loco determinato maneat & inueniatur, vt per notas certas inuestigari & cognosci valeat, si quis fortè edixerit, erit ille magnus Apollo.

CONCLVSIO II.

Sumuntur & petuntur symbola veræ Ecclesiæ, non ex essentialibus illius.

1. VISIBILEM & claram Ecclesiam esse, ea parte quâ in terris militat, hactenus demonstratum est; sed quia in medio diuersarum sectarum habitat, non Potest facile cognosci & discerni, nisi per certa signa & symbola deprehendatur. Proinde in hac secunda conclusione discutiendum est, vnde cognoscendæ discernendæq; signa & symbola sint petenda, num videlicet ad hoc sint apta ea, quæ ipsius Ecclesiæ essentiam contingunt? Et quamuis sub ambitu huius Conclusionis tota difficultas ista expediri non poterit, id enim etiam sequentibus prosequendum; quædam tamen hæreticorum placita, doctrinæ Catholicæ, circa notas Ecclesiæ contraria remouebuntur, vbi primum ipsa conclusio per articulos examinata fuerit. Sit proinde.

ARTICVLVS I.

An sit assignare in vera Ecclesia aliud essentiale, aliud accidentale?

NON videtur id distinguendum esse, 1. Quia essentiale & accidentale sunt attributa entium naturalium; vt cùm dicimus, homini essentiale est esse rationalem, accidentale verò esse bonum vel malum. Sed Ecclesia non potest collocari in serie entium naturalium, cùm sit aliquid morale, vt quælibet Respub: & Politia, Ergo in Ecclesia non est assignare aliquid

essentiale, & aliquid accidentale. 2. Attributa entium per se, non est assignare in Ecclesia, sed essentiale & accidentale sunt attributa entium per se: nam ens per se, subsistit per essentialia, qualificatur autem & modificatur per accidentalia. Ergo in Ecclesia non sunt ista distinguenda. MAI: Attributa entium per se, non est assignare in entibus per accidens. Sed Ecclesia est ens per accidens, est enim collectio & multitudo quædam vnitatum discretarum, sicut in aceruo lapidum videmus, Ergo in Ecclesia non est assignare attributa entium per se. Sed tamen in oppos. 2.

CONCLVDITVR. Nihil obest in vera Ecclesia aliquid essentiale & aliquid accidentale, ad similitudinem essentialium & accidentalium in entibus naturalibus, dici. PATET 1. In vera Ecclesia sunt quædam interna quæ creduntur: quædam externa, quæ cernuntur; & quidem internis & abditis essentia continetur & definitur, externa verò accidentibus deputantur. Ergo non abstat in vera Ecclesia aliquid simile essentialium & aliquid accidentalium in entibus naturalibus, dici. 3.

DEINDE. Per quod res in se constituitur, est ei essentiale & per quod exteriùs discernitur, est accidentale: sicut homo constituitur in esse per animal & rationale, tanquam per essentialia Metaphysica, & per corpus & animam, tanquam per essentialia Physica; discernitur autem ab alijs naturis per risibile, bipes implume, & alia extrinsecus adiacentia: hinc & illud. Ex cantu volucre ex tinnitu noscitur olla, sed Ecclesia constituitur per veram fidem, purum DEI verbum & similia; discernitur autem per vnitatem, vniuersitatem, continuam successionem &c. Ergo in Ecclesia est assignare quædam essentialia, quædam accidentalia. 4.

PRÆTEREA. Assignatis alio essentiali alio accidentali in Ecclesia occurritur confusioni, qua hæretici ex essentialibus & intrinsecis, ijsq; ignotis & abditis, indiscriminatim notas Ecclesiæ constituere laborant; minimè secernentes essentialia ab accidentalibus, & notioribus, ex quibus potiùs notæ sunt petendæ & desumendæ. Ergo ista duo, essentiale & accidentale in Ecclesia sunt distinguenda. Iam 5.

AD ARG: ℞. Ad 1. Inter entia naturalia & moralia est certa analogia seu proportio, quia sicut entia naturalia habent se ad suum esse, ita & moralia ad suum: & sicut in entibus naturalibus est suum essentiale & accidentale, ita in moralibus suum quoq; proinde sicut homini essentiale est, esse rationalem, & accidentale esse visibilem, prout accidens dicitur omne quod 6.

non eſt ſubſtantia rei, ſiue ſit proprium ſiue commune; ita Eccleſia habet ſua eſſentialia per quæ conſtituitur, & accidentalia per quæ cognoſcitur, quæ conſequuntur naturam eſſentialium, atq; intrinſecus latentia dicuntur eſſentialia Eccleſiæ, quæ verò forinſecus patent, ſunt accidentalia.

7. AD 2. ℞. neg: MAI: Eccleſia eſt ens per ſe, non phyſicum, ſed morale, vt qualibet Reſpub: tametſi ſit collectio multarum vnitatum, nam tunc collectio vnitatum iudicatur eſſe ens per accidens, quando vnitates illæ diſtortæ & diuulſæ ſunt inter ſe, nullo ordine ad vnum aliquid conſtituendum ſeruato, vt contingit in aceruo lapidum. Porrò quando vnitates illæ ad ordinem vnius rediguntur, non eſt ens per accidens ſed ens per ſe: ita in Eccleſia, equidem multa ſunt membra, illa tamen ordinem debitum ſub vno capite ſeruant, non ſecùs ac in corpore Phyſico, vt non ſint multa, ſed vnum corpus per ſe, quod etiam Apoſtolus confirmat, Rom: 12. & 1. cor: 10. *Multi inquit vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*: iam verò ens per accidens, non eſt vnum quid, vt inſinuat D. Thom: 2. 2æ. q: 95. art: 5. c.

ARTICVLVS II.

V. *Eccleſia per ſigna & notas cognoſcatur?*

8. QVOD non, ita ſuaderi poteſt. 1. Quod creditur non cognoſcitur per ſigna. Ergo nec Eccleſia. ANT: Quod obſcurè cognoſcitur, non cognoſcitur per ſigna, in quibus eſt euidentia. Sed quod creditur, obſcurè cognoſcitur, Ergo quod creditur non cognoſcitur per ſigna & notas. 2.

9. Eccleſiæ nulla ſunt ſigna, Ergo ex ſignis non cognoſcitur. ANT: Signa

Ariſt. alia efficiunt opinionem, alia ſcientiam, vt docet Ariſtoteles in Rhet: ad Alex: cap: de ſignis. Sed de Eccleſia, neq; opinionem, neq; ſcientiam ſed

10. fidem habemus. Ergo nulla illius ſigna. 3. Si Eccleſia cognoſceretur per ſigna, ab omnibus cognoſceretur. Sed non ab omnibus cognoſcitur. Ergo. MAI: patet. quia ſigna iſta vel ſunt manifeſta, vel occulta; Si occulta, non ſunt ſigna, quia de ratione ſigni eſt, vt ſit manifeſtum. vt enim ait S.

D. Thom: Thom: in 4. diſt: 1. q. 1. art. 1. Signum quantum in ſe eſt, importat aliquid manifeſtum, quo nos quaſi manu ducimur, in cognitionem alicuius occulti: Si manifeſta. Ergo per illa ab omnibus cognoſcitur Eccleſia. 4.

Signa hæc vel necessario Ecclesiam commonstrant, vel non. Si non. Ergo non merentur ratione signorum. Si necessariò. Ergo de Ecclesia est scientia non fides: quia quod necessariò cognoscitur, iam per causam necessariò influentem in effectum cognoscitur, Ergo per scientiam. 11.

5. Si Ecclesia per signa & notas cognosceretur, semper hac ratione cognosceretur. Atqui non semper cognoscitur per signa & notas; interdum enim nullum est signum visibile, quo vera Ecclesia cognoscatur. vt Chrysost: Homil: 49. in Matth: docet. *Qui vult inquit agnoscere, quæ sit vera Christi Ecclesia, vnde cognoscet, nisi tantummodo per scripturas?* Ergo non cognoscitur per signa & notas. In opposit. 12. Chrysost:

CONCLVDITVR. Dantur certa symbola & signa, per quæ vera Ecclesia cognoscitur. Doctrina ista tam euidens est, vt vix ab hæreticis etiam ipsis in dubium vocari possit. Et Patet 1. Omne visibile habet certa signa visibilia quibus cognoscatur; vt ignis signum fumus: hominis prætereuntis vestigia impressa in terra: constat ex superioribus Ecclesiam esse visibilem. Ergo dantur certa & manifesta signa quibus cognoscuntur. 13.

Deinde. Aut casu & temerè, aut consilio maturo homines intrant Ecclesiam. Si casu & temerè, non tàm laudabile quàm vituperabile est ob temeritatem. Si consilio maturo id faciunt. Ergo per aliqua symbola & signa cognoscunt Ecclesiam, quam iudicant honestè & prudenter ingrediendam esse propter signa ipsam demonstrantia. 14.

Præterea. Sponsa subarrhatur & decoratur certis insignibus, notis & symbolis, quibus cognoscitur esse sponsa; ita enim Rebeca Gen: 24. inaures & armillas, tanquam symbola despensationis deferebat. Atqui Ecclesia est sponsa Christi, decorata à sponso suo. Ps: 44. Ezech: 16. Ioan: 3. 2. Cor: 11. Ephes: 5. Apoc: 19. & 21. idq; parabola Euangelicæ declarant. Matth: 22. & 25. Ergo Ecclesia certis signis & symbolis cognoscitur. 15.

Insvper. Si Ecclesia nullis signis & symbolis cognosceretur, pauci admodum ipsi inuenirent, multiq; etiam inculpabiliter ab ea aberrarent. Atqui omnes gentes eam inueniunt, populiq; omnium nationum; non ij tantum, qui scripturas, visibilia eius signa describentes norint, vt docet S. August: de vnitate Ecclesiæ cap: 14. nam & imperitis scripturarum manifestè fulget, sed quomodo? quia videlicet cernunt perpetuam doctrinæ conformitatem, vident sacerdotium continuatum, vident consensum gen- 16. August.

tium in doctrina, humanum captum ſuperante per omnia loca & tem-
pora. Ergo per ſigna & ſymbola cognoſcitur.

Ad Arg: ℞. Ad 1. neg: Ant: non enim repugnat vnum & idem
17. ſecundum aliquid credi, & ſecundum aliquid per ſigna cognoſci, licet e-
nim de eodem ſecundum idem, non poſſit ſimul eſſe fides & cognitio,
ſecundum diuerſa tamen nihil impedit. vt ſupra patet.

Ad. 2. ℞. neg: Ant: Ad. prob. d. notitiam iſtam quâ cognoſci-
mus Eccleſiam per ſigna ipſius & ſymbola, poſſumus ſcientiam appellare:
18. nam & ſcientia lato modo ſumitur, quatenus quælibet cognitio vera ſcien-
tia dici poſſit, ſiue habentur per euidentia principia, ſiue per ſigna & te-
ſtimonia, quibus fidem dare iure merito quiſq; debet.

Ad. 3. ℞. Ab omnibus videntibus ſigna, cognoſcitur Eccleſia externâ
19. cognitione, quamuis non ab omnibus creditur hæc eſſe. Quod autem non
omnes credant, manifeſta & ſufficientia ſigna habentes, pertinaciæ ipſo-
rum eſt tribuendum.

Ad. 4. ℞. Signa quæ ducunt ad cognoſcendam Eccleſiam, neceſſa-
riò ipſam commonſtrant, & ita exteriùs per illa cognoſcitur: quantum
20. verò ad ea, quæ intrinſecus abdita latent, fide apprehenditur.

Ad 5. ℞. Verba Chryſoſt: deſumpta ſunt ex opere imperfecto ſuper
Matth: quod opus, quanquam circumfertur Chryſoſtomi eſſe, dubium ta-
21. men eſt: notant enim graues authores, in pleriſq; locis illud Origeniza-
re & Arianizare. proinde vel authorem habuit aliquem Arianum, vel eſt
deprauatum ab hæreticis.

ARTICVLVS III.

Symbola Eccleſiæ, ex eſſentialibusnè ipſius ſint petenda?

ID communiter ipſo facto affirmant hæretici, nam ex talibus vt plu-
rimùm ipſi notas Eccleſiæ venantur. pro quorum opinione hæc poſſunt
adduci argumenta. 1. Ex ijs quæ reciprocantur & conuertuntur cum Ec-
22. cleſia, ſymbola & notæ ipſius deſumi debent: nam notæ tales eſſe debent,
quæ omni & ſoli, ſemperq; conueniunt; quæ verò reciprocantur & con-
uertuntur, omni, ſoli, & ſemper conueniunt. Atqui eſſentialia Eccleſiæ cum
ipſa reciprocantur, & conuertuntur, vt manifeſtum eſt, etiam in ambitu

totius entis. Ergo symbola & notæ Ecclesiæ ex essentialibus ipsius sumi debent. 2. Quæ nulli alteri præter Ecclesiam conueniunt, ex illis notæ ipsius sumi debent: hoc enim postulatur ad rationem veræ notæ & signi, ne sit commune pluribus, sed illi soli conuenire oportet, ad quod significandum est institutum: quod autem pluribus conuenit, est accidens commune, vt bipedem esse, non potest esse propria nota hominis, quia commune est multis, nam & volatilia duobus gradiuntur pedibus. Atqui essentialia Ecclesiæ sunt huiusmodi, nulli enim alteri præter ipsam Ecclesiam conueniunt: aliâs non possent dici essentialia, si pluribus conuenirent, nam essentiæ rerum sunt in atomo, non solùm quia prædicata essentialia certa sunt & immutabilia, quibus nihil addi aut subtrahi possit, sed etiam quia diuersis rebus conuenire non possunt. Ergo essentialia Ecclesiæ dant sua signa & notas. 3. 23.

Vbicunq; sunt essentialia Ecclesiæ, ibi necessariò oportet esse Ecclesiam, 24.
vbi verò non sunt essentialia, ibi nec Ecclesia esse potest, cùm inseparabiliter sese comitentur. Ergo ex ipsis essentialibus notæ eius sunt petendæ. CONSEQ: patet. quia notæ sunt petendæ ex ijs, quæ necessariò rem statuunt, vbi ipsa sunt, vbi verò ipsa non sunt, nec res consistere potest. In opposi: autem

CONCLVDITVR. Symbola & notæ Ecclesiæ veræ, ex intrinsecis & essentialibus ipsius peti & sumi non debent. Conclusio est Catholicorum omnium, qui docent Ecclesiam veram necessariò visibilem esse, ad cuius cognitionem intrinseca & essentialia quæ abstrusa sunt perducere non possunt. 25.

PATET 1. Signa Ecclesiæ ex ijs rebus sunt petenda, quæ natura sua sunt cognitæ, perspectæ & euidentes, quod etiam in ipsis signis requiritur, vt omnibus sint nota & manifesta, vt Notabili 5. dictum est. Sed intrinseca & essentialia non sunt natura sua cognita, perspecta & euidentia, sed in abdito recondita. Ergo signa & notæ Ecclesiæ non sunt ex essentialibus ipsius petenda.

DEINDE. Cùm signa Ecclesiæ quærimus, talia quærimus, quæ eam omnibus demonstrent, & quasi digito ostendant; essentialia verò in penetralibus latentia id præstare non possunt, vt eo modo Ecclesiam exhibeant. 26.

PRÆTEREA. Nota sic debet esse in aperto posita, vt se primo aspicientibus offerat, prout supra dictum: porrò essentialia, tantùm abest, vt se primò aspicientibus offerant, vt potiùs sint à sensibus remotissima. 27.

INSVPER. Ex qualitatibus extrinsecis peti debent notæ Ecclesiæ. Ergo 28.

non ex intrinsecis & essentialibus. Conseq: manifestum. Ant: declaratur, quia qualitates extrinsecæ maximè indicant sua subiecta, quibus insunt, quod liquet ex 1. de anima Tex: 11. vbi Philosophus dicit accidentia maximam partem conferre ad cognoscendum quod quid est: cùm enim necessitate quadam Physica effluant & emanent ab essentijs rerum, sintq; veluti ineuitabiles naturæ partus, subiecta quibus insunt, statim manifestant, & euidenter arguunt.

Arist:

29. Ad arg: ℞. Ad 1. Sola reciprocatio non sufficit ad constituendam notam, est tamen aliquod requisitum, vt supra dictum est, nisi enim reciprocetur & recurrat, nota esse non potest: non tamen ex hoc solo pro nota sumi potest, quòd reciprocetur. & recurrat, nisi sit notius ipsa Ecclesiâ, & ad eius cognitionem quasi manu ducat. Itaq; in argumento latet fallacia consequentis, quæ decipit ex apparentia consequentiæ conuersæ, quæ non conuertitur, vt Notæ Ecclesiæ sumi debent ex ijs quæ reciprocantur cum illa. Ergo quæcunq; reciprocantur pro notis sumenda sunt? non conuertitur; multa enim sunt quæ reciprocantur, nec tamen notarum rationem habere possunt. Simili modo Ad 2. dicendum.

30. Ad. 3. verò ℞. neg: Consequ: Ad prob: d. Verum est, inter conditiones notarum debet poni, vt ibi sit res necessariò, vbi nota ipsius, solum tamen hoc non sufficit ad rationem notæ complendam. vnde licet essentialia reciprocentur cum Ecclesia, & nulli præter ipsam conueniant; insuper vbi sunt, ibi necessario ipsa Ecclesia, nulla tamen ratione possunt veræ notæ haberi, quia sunt obscuriora ipsa Ecclesia, quod pugnat cum vera notæ ratione, proinde etiam hic fallacia consequentis.

COROLLARIVM I.

Proximè ad demonstrationem hæc collectio accedere videtur. notas omnes vel à substantia, vel illius accidentibus desumendas esse; quia in re vnaquaq; præter essentiam ipsius & accidentia, nihil inest: ideoq; rectè sequitur. Non sumuntur ab essentia. Ergo ab accidentibus.

1. Conclusionem determinat corollarium istud, in qua quoniam definitur, notas Ecclesiæ non esse petendas à substantia, seu essentialibus, iam in co-

rollario infertur ex accidentibus petendas esse; eamq; collectionem proximam esse demonstrationi: Quod an sit verò consentaneum, disquirendum venit. Sit proinde.

MEMBRVM I.

An Ecclesiæ notæ, rectè ex accidentibus petantur?

Pro sententia Catholica COLLIGITVR. Symbola & notæ Ecclesiæ conuenienter & necessariò ex accidentibus petuntur. Et

PATET 1. Non possunt peti ex substantia ipsius Ecclesiæ, vt iam manifestum est, ergo ex accidentibus sunt petenda. CONSEQ: quia non datur tertium vnde peti possint, nam inter substantiam & accidentia in vnaquaq; remedium non inuenitur, quatenus accidens diuiditur contra substantiam, vt notat D. Thom: 1. p. q. 77. art: 1. 5m. nam & apud Arist: ex propositionibus negatiuis, illæ potissimùm immediatæ dicuntur, in quibus vterq; terminus est summum genus, vt hic substantia & accidens. D. Thom:

DEINDE. Notæ ex notioribus sumendæ sunt: nam ex ignotis & obscuris sumptæ, tantum abest, vt rem notificent, vt etiam magis obscuram reddant. Sed accidentia sunt notissima, vt potè ipsis sensibus exposita: imò sola per se & directè sensibilia, vt constat ex 2. de anima. Ergo ex accidentibus symbola & notæ Ecclesiæ rectè sumuntur. 2.

PRÆTEREA. Notæ Ecclesiæ debent respondere ipsi Ecclesiæ, quæ clara est & aspectabilis. Ergo ex rebus claris & aspectabilibus debent peti. Sed accidentia sunt clara & aspectabilia, quibus inuestigatur ipsa rei substantia. Ergo 3.

INSVPER. Signa talia esse debent, quæ speciem sui ingerant sensibus, vt per eam aliquid aliud faciant in cognitionem nostram venire, vt definit S. August: lib: 2. de doctr: Christiana cap. 1. prout adducitur à Magistro sent: lib: 4. dist: 1. in principio. Atqui accidentia sunt talia, ipsa enim speciem sui ingerunt sensibus nostris. Ergo. 4. August. Magister sent:

DICES. 1. Notæ Ecclesiæ non petuntur ex substantia. Ergo nec ex accidentibus. Conseq: patet. quia magis conuenit ex substantia sumere notas, quàm ex accidentibus. Probatur. quia ex notiori & priori secundùm cognitionem, magis conuenit sumere notas. Sed substantia est notior & prior 5.

prior cognitione quàm accidens, vt docet Arist: lib: 7. Metaph: cap. 1. Ergo ex substantia magis conuenit sumere notas Ecclesiæ, quàm ex accidentibus. ℞. neg: Conseq: Ad. prob: d. duplex est cognitio, vna quoad rem, altera quoad nos, substantia ergo cognitione quoad rem, notior & prior quàm accidens, quia scilicet nobiliorem & perfectiorem generat scientiam, & magis satisfacit intellectui nostro: tamen cognitione quoad nos, priora & notiora sunt accidentia, tanquam sensibus exposita, quorum cognitio præsupponitur ante cognitionem intellectiuam. Et quoniam signa debent esse talia, quæ sensibus speciem sui imprimant, vt iam ex August: constat, certè ex sensatis rebus, qualia sunt accidentia, desumi debent.

6. DICES 2. Accidentia non possunt infallibiliter Ecclesiam commonstrare. Ergo ex illis non possunt rectè peti notæ ipsius. ANT: Quod potest aliter se habere, non potest infallibiliter aliquid indicare: nam per res variabiles, inuariabilis notitia haberi non potest. Atqui accidentia possunt se aliter habere, nam cùm non sint necessaria, contingit illa non esse, ex 8. Phys. Ergo nulla accidentia possunt infallibiliter Ecclesiam commonstrare. ℞. de accidentibus separabilibus à suis subiectis currit argumentum: porrò accidentia ex quibus petuntur notæ Ecclesiæ, sunt ab ipsa inseparabilia, reciproca cum Ecclesia & recurrentia.

MEMBRVM II.

An collectio dicta ad demonstrationem accedat?

7. Affirmatiuè sustinetur. ET PATET. Cùm enim dupliciter cognoscatur Ecclesia, intrinsecè quoad immediationem & firmitatem: extrinsecè quoad claritatem, necessariò notæ in cognitionem ipsius ducentes, aut à substantia, aut ab accidentibus ipsius sumi debent: neq; enim medium aliquod potest esse inter substantiam rei & accidentia. Ergo id demonstratiuè ita colligitur. Notæ ducentes in claram cognitionem Ecclesiæ, vel sumendæ sunt à substantia, vel ab accidentibus: medium enim non datur. Atqui à substantia sumi non possunt. Ergo ab accidentibus.

8. DICES 1. Demonstrationem debere constare ex immediatis, docent Logici cum Aristotele. Sed ad probandum, notas Ecclesiæ sumendas esse ab accidentibus, non occurrunt immediatæ. Ergo collectio ista non potest dici

ad demonstrationem accedere. ℟. in isto negotio, hæc ipsa propositio est immediata. Non sumuntur à substantia. Immediata inquam respectu conclusionis, quia inter illam & conclusionem nulla alia intercedit, quæ sit propinquior illi conclusioni demonstrandæ, videlicet. Ergo ab accidentibus sumi debent. Constat itaque veritas doctrinæ corollarij, proximè ad demonstrationem accedere, imò ipsam esse demonstrationem, dùm sic colligitur. Notæ Ecclesiæ, non sumuntur à substantia ipsius. Ergo ab accidentibus.

Instabis, propositio immediata respectu conclusionis est, inter quam & conclusionem non mediat alia conclusioni propinquior: nam hanc volunt Logici intelligere per immediatam respectu conclusionis, quæ sit proxima conclusioni. Sed inter hanc. Notæ Ecclesiæ non sunt petendæ à substantia, & illam conclusionem. Ergo sunt petendæ ab accidentibus; mediat ista. Sunt petendæ ab extrinsecis. Ergo cùm illa non sit immediata ad conclusionem, collectio ista, nec est demonstratio, nec ad demonstrationem proximè accedit. ℟. neg: Min: cùm propinquius opponantur substantia & accidens, quàm extrinsecum & substantia ideo extrinsecum inter substantiam & accidens mediare non potest. Priùs enim aliquid accidens est, quàm sit extrinsecum: nam vt docet Arist: in Cap: de priori. Prius est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia: nam omne extrinsecum accidens est, non tamen contra, sunt enim quædam accidentia non extrinseca, vt propriæ passiones. Deinde quia substantia & accidens ad aliquid dicuntur, proinde immediatè opponuntur. 9.

Dices 2. Ea quæ sunt fidei, demonstrari non possunt, vt docet S. Thom: 1. p. q. 32. art: 1. Et q. 46. art: 2. Sed Ecclesia cadit sub fidem. Ergo nihil de ipsa demonstrari potest. Ergo nec de notis ab accidentibus potiùs, quàm à substantia sumendis. ℟. Ea parte de Ecclesia nihil demonstrari potest, qua sub fidem cadit, alia tamen parte, non repugnat de ipsa fieri demonstrationem & scientiam, vt supra. d. est. 10. D. Thom:

Corollarium 2.

Quoniam essentiæ rerum, per se obscuræ & abditæ sunt, ideo notarum rationem habere non possunt.

Tanquam certum & indubitatum in præsenti corollario statuitur, essenti- 1.

as rerum omnium valde esse obscuras, & in penetralibus ipsis abditas, exindeq; non posse res ipsas indicare, quarum sunt essentiæ. Verùm pro faciliori intelligentia proponitur.

MEMBRVM I.

An quia essentiæ abditæ sunt, ob hoc rationem notarum habere non possunt?

Sensus est, quia essentiæ rerum sunt abditæ & obscuræ, quæritur an propter hanc ipsam rationem, notæ ex ipsis peti ac desumi non possint? pro quo COLLIGITVR. Sufficiens argumentum, rationem notarum subducendi ab essentijs, quia per se sunt obscuræ & abditæ. PATET. 1. Abditum & obscurum per se pugnant cum ratione notæ. Ergo sufficiens argumentũ, ab essentijs abesse rationem notarum. ANT: perspectum natura sua, & euidens est de ratione notæ: nam illius muneris est aliud indicare & cognitum facere, quod nihil poterit præstare, nisi sit natura sua perspectum & euidens, Sed quod est per se obscurum, & abditum, non est natura sua perspectum & euidens, vt in terminis res manifesta. Ergo quod est per se obscurum & abditum, pugnat cum ratione notæ.

DEINDE. Essentiæ ea parte qua obscuræ & abditæ nihil manifestant:
2. quia obscurum & abditum quatenus tale nihil potest manifestare. Atqui notæ per se, & natura sua ad manifestandum sunt institutæ. Ergo essentiæ, ea parte qua obscuræ & abditæ, non possunt esse notæ.

PRÆTEREA. Pugnat cum recta ratione, ignotum per ignotum aut etiam
3. ignotius notificari. Atqui hoc contingeret, si essentiæ ea parte, qua per se obscuræ sunt & abditæ, rationem notarum haberent.

DICES. Essentiæ per se primò de rebus dicuntur, vt docet Arist: lib:7.
4. Metaph: cap: 4. Ergo etiam vt obscuræ & abditæ res denotare possunt: quia quod de re dicitur, rem denotat. Ergo obscuritas earum non impedit quo minùs rationem notarum habere possint. ℞. essentiæ possunt res denotare, quia per essentiam respondemus ad interrogationem factam de re quid est: non vt obscuræ & abditæ, sed quatenus per definitionem essentialem significantur & explicantur. Deinde essentia denotat quidem rem, sed tantùm quid sit, per notas autem inuestigamus An sit, Qualis sit, Vbi sit, nam cùm debeant esse qualitates extrinsecæ, ibi indicant. An sit vbi inueniantur, & deprehendantur.

MEMBRVM II.

An notæ Ecclesiæ omni obscuritate vacare debeant?

NOTAS Ecclesiæ vacare obscuritate, dupliciter intelligi potest: vel in se absolutè, vel respectiuè ad commonstrandum: In se absolutè, vt sine obscuritate pateant & ab omnibus cognoscantur. Respectiuè verò ad commonstrandum, vt clarè & euidenter omnibus Ecclesiam commonstrent. De vtroq; simul COLLIGITVR. Omnem obscuritatem, à notis Ecclesiæ secernendam esse. PATET. 1. Commonstrans rem maximè necessariam, omni obscuritate vacare debet; ne defectus aliquis aut imperfectio in summè necessarijs admittatur. Sed notæ commonstrantes Ecclesiam, commonstrant rem maximè necessariam: nihil enim in principio magis necessarium, quàm cognoscere veram Ecclesiam, sine cuius cognitione nulla spes salutis, vt antiqui patres docent. S. August: lib: 4. de Symb. ad Catechum: Cap. 10. *Si quis inquit absq; Ecclesia inuentus fuerit alienus erit à numero filiorum.* S. Cypr: in lib: de simplicitate. *Quisquis inquit ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec peruenit ad Christi præmia.* S. Gregor: lib: 14. Moral: cap: 2. *Sancta Vniuersalis Ecclesia prædicat Saluari veraciter nisi intra se, non posse.* Et antiquissimus Ireneus lib: 5. cap: 20. *Vbiq; Ecclesia prædicat veritatem, &c.* Et infra. *Fugere igitur oportet sententias hæreticorum, & intentiùs obseruare ne coniurgemur ab ipsis, confugere autem ad Ecclesiam & eius sinu educari:* Ergo notas Ecclesiæ omni obscuritate immunes esse oportet. 5.

August.
Cypr.
Gregor.
Irenæ.

DEINDE. Si notæ Ecclesiæ in se absolutè aliquam obscuritatem continerent, nec possent clarè demonstrare Ecclesiam, & ad sui agnitionem indigerent alijs notis, quod quàm sit inconueniens, palam est. 6.

PRÆTEREA. Supra dictum est, essentias rerum, ideo non posse habere rationem notarum, quia obscuræ sunt. Ergo notæ ab omni obscuritate absolutæ esse debent. 7.

DICES. Quod explicatione indiget, obscurum est; vt etiam de scriptura, constat. Sed notæ Ecclesiæ explicatione indigent: aliâs nec quot sint numero, nec quæ, scire possemus. Ergo notæ Ecclesiæ in se continent obscuritatem. ℞. indigent explicatione non propter obscuritatem, sed ad intimandum quod hæ sint, & in quo consistant. 8.

CON: II. COR: II.

COROLLARIVM 3.

Essentiæ rerum, eam ob causam vestiuntur accidentibus, vt ad cognitionem earum perducant.

1. Quoniam essentiæ rerum ex se, & ex natura sua sunt obscuræ & abditæ, vt iam sæpiùs dictum est, earumq; cognitio acquiritur per notiora: ideo accidentia ipsis adduntur, vt per ea tanquam notiora nobis, in ipsarum cognitionem deueniamus: & hic per essentias intelligere conuenit subiecta, in quibus sunt accidentia, vel naturas quarumuis rerum, quæ per definitiones explicantur: per accidentia verò intelligi possunt, maximè propria, quæ consequuntur naturam propriam alicuius speciei. Hoc posito sit

MEMBRVM I.

An essentiæ innotescant per accidentia?

Qvanquam istorum speculatio Metaphysico sit propria. quia tamen ad constituendas Ecclesiæ notas aliquod lumen adferunt, ideo etiam hic obiter de illis tractatio instituitur. Affirmatiuè itaq; COLLIGITVR. Accidentia ducunt ad cognitionem essentiarum PATET 1. de proprijs specierum. Quod enim inseparabile est ab aliquo, si sit notius nobis, ducit in cognitionem ipsius. Atqui propria specierum, inseparabilia sunt, nobisq; notiora, veluti aptitudo ad ridendum in homine, calor in igne. &c. Etenim propria specierum, necessitate quadam physica, fluunt & emanant ab ipsis essentijs specierum. vt risibile à rationali, quod ad constituendam hominis essentiam concurrit; & calor emanat ab essentia ignis. Ergo

2. DEINDE. Communia accidentia non modicam conferunt opem ad rem collustrandam & cognoscendam, præsertim si plura simul & collectim sumantur; nam & leo vt aiunt ex vnguibus cognoscitur, & medici ex varijs accidentibus, quæ corporibus ægrotantium adueniunt, causas morborum venantur.

3. PRÆTEREA. Operationes sunt accidentia, vt constat ex doctrina Categoriarum. Sed per operationes innotescunt essentiæ; hinc illud, operati-

ones diuersæ, diuersas arguunt essentias, vt ratiocinari, arguit essentiam hominis, mugire essentiam bouis, & sic de cæteris.

Dices 1. Vt vnumquodque est, ita & verum est, ex 2. Metaphysic: Tex: 4. seu vt loquantur, sicut se res habet ad esse, ita & ad cognosci, Atqui essentiæ non habent ab accidentibus esse, Ergo neque cognosci. ℞. Intelligendum est de perfecta cognitione à priori, quia sicut res habet esse per causas, ita perfecta & à priori cognitione, non cognoscitur nisi per causas; imperfecta autem cognitione à posteriori cognoscitur res non per causas, & ita essentiæ cognoscuntur per accidentia, non à priori sed à posteriori. 4.

Dices 2. Essentiæ priores sunt cognitione accidentibus; vt patet ex 7. Metaph: cap: 1. Ergo essentiæ per accidentia non innotescunt. ℞. Essentiæ priores sunt cognitione accidentibus, secundùm se, non autem omnino secundùm potentiam cognoscentem, priùs enim in nostra cognitione sunt accidentia, per quæ quodam quasi manuductionis ordine deuenimus ad cognitionem essentiæ. Ex quo elicitur. 5.

MEMBRVM II.

An essentiæ sine adminiculo accidentium sint adhuc cognoscibiles?

Quæritur. Si essentia nullis sit vestita accidentibus, num adhuc in illo statu sit cognoscibilis? pro quo COLLIGITVR. Datur alia via, præter notitiam ex accidentibus, quâ essentiæ secundùm se, sint cognoscibiles. 6. Patet. 1. Quia quantò aliquid perfectiùs est in entitate sua, tantò etiam in cognoscibilitate, quia entitatem sequitur cognoscibilitas: & quod nullam habet entitatem, nullam etiam secundùm se cognoscibilitatem, entia enim rationis quia nullam habent entitatem, nullam etiam secundùm se cognoscibilitatem: quòd autem à nobis cognoscuntur, id imbecillitati intellectus nostri tribuendum, qui ea quæ non sunt, cognoscit ad instar eorum quæ verè sunt entia realia. E contra, quod maximam habet entitatem, vt Devs Opt: Max: etiam secundùm se maximam habet cognoscibilitatem; secundùm se, quamuis non secundùm facultatem & potentiam cognoscentium. Atqui essentiæ perfectiores sunt in sua entitate, quàm possint ab accidentibus aliquid habere. Ergo secundùm se non solùm sunt cognoscibiles præter accidentia, sed etiam perfectiùs quàm per illa.

Deinde. Si essentiæ sine adminiculo accidentium non sunt cognosci- 7.

biles, præter demonſtrationem à poſteriori, non daretur perfectior, quod eſt contra omnem rationem, qua conſtat demonſtrationem propter quid & à priori perfectiorem eſſe.

8. PRÆTEREA. Si eſſentia ſine adminiculo accidentium non eſſet cognoſcibilis, in primis diuina eſſentia priuaretur cognoſcibilitate, quia nullis eſt veſtita accidentibus: eſt enim de ratione diuini eſſe, quòd non fiat ei additio,
D. Thom: ait D. Thom: 1. p. q. 3. art. 4. 1m. Atqui eſſentia diuina maximè cognoſcibilis eſt ſecundum ſe; nam & hæc ipſa propoſitio. DEVS eſt, per ſe nota eſt, ſecundum ſe.

9. DICES. Si eſſentiæ ſine adminiculo accidentium eſſent cognoſcibiles, aut ſenſu, aut intellectu eſſent cognoſcibiles. Sed neutro modo. Non ſenſu, quia ſola accidentia ſunt ſenſibilia. Non etiam intellectu, quia nihil eſt in intellectu, quin aliquo modo priùs fuerit in ſenſu. ℞. aliud eſt, eſſe cognoſcibile ſecundùm ſe, aliud cognoſcibile ſecundùm nos. Eſſentiæ ergo ſecundùm ſe, ſunt cognoſcibiles alia ratione præter ſubſidium ab accidentibus ſenſibilibus acceptum: licet ſecundùm nos, via quaſi naturæ cognoſcantur adminiculo accidentium ſenſibilium, quatenus videlicet intellectus noſter mouetur & excitatur ad eliciendum ſuum actum per accidentia ſenſibilia: etenim obiectum intellectus noſtri motiuum in hac vita, non poteſt eſſe niſi ens ſenſibile, idcirco in lib: de ſenſu & ſenſibili, & in princi-
Ariſt. pio 1. Phyſ: docet Ariſt: quod omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſu, quod quamuis ita ſit, intellectus tamen multa cognoſcit, quæ ſenſus per-
Bonauent: cipere non poteſt, nam vt S. Bonauent: dicit, in 2. diſt. 39. q. 2. circa finem. *Neceſſariò oportet ponere quòd anima nouit Deum, & ſeipſam, & quæ ſunt in ſeipſa, ſine adminiculo ſenſuum exteriorum.* Vnde licet rudi Minerua priùs conſiderentur accidentia ſenſibilia, quàm interna rerum eſſentia, diſtincta tamen eſſentiæ cognitio prior eſt. Eſſentiæ itaq; rerum, non poſſunt dici carere cognoſcibilitate ſecundum ſe, abſq; accidentium adminiculo.

MEMBRVM III.

An Eccleſia, præter notas ex accidētibus extrinſecis petitas ſit cognoſcibilis?

Pro reſolutione COLLIGITVR. 1. Præter notas ex accidentibus
10. ductas, poteſt Eccleſia à doctis & eruditis alia ratione & via cognoſci.

Patet. 1. Cognoscitur Ecclesia etiam ex scripturis, in quibus imagines eius sunt expressæ, vt August epist: 166. d. *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam.* Et in lib: de vnitate Ecclesiæ. cap. 2. *Quæstio inquit inter nos versatur, vbi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui? puto quòd potiùs in verbis illius eam quæsituri sumus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum.* Et iterum. *Nolo hominis documentis, sed diuinis oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari.* August.

Deinde. Quod rudibus & idiotis sunt signa & notæ, hoc doctis & eruditis sunt argumenta & demonstrationes. Atqui rudes & idiotæ, qui penetralia ipsa rerum ingredi non possunt, debent indagare & explorare Ecclesiam per signa & notas ex accidentibus petitas. Ergo docti & eruditi alia via, scilicet per argumenta & demonstrationes, venando etiam intrinseca & essentialia, quæ ad constituendam Ecclesiæ substantiam pertingunt: qui enim cognoscit constitutiua rei, per ipsa deuenit ad cognitionem rei. 11.

COLLIGITVR. 2. Etiam imperiti, quamuis rudi minerua, præter distinctam cognitionem notarum, possunt in cognitionem Ecclesiæ deuenire. Patet 1. Quia ita fit communiter, vt authoritate aliorum Ecclesiam cognoscamus, scilicet per humanam fidem, quam ex parentum doctrina accepimus, qui hanc Ecclesiam veram esse nobis persuaserunt; atq; in ipsa vt permaneamus sua instructione effecerunt. 12.

Deinde. Cognoscimus hanc Ecclesiam veram esse, ex certis motiuis, sicut & ipsam fidem Christianam, quæ prudenter suadent in hac Ecclesia consistendum: suadent miracula, quæ in Ecclesia fiunt, & non alibi, consensus populorum & gentium; sanctitas hominum in hac Ecclesia, & alia, quæ tamen notis etiam annumerantur, & ad ipsas reducuntur. 13.

Præterea. Suadet id confessio etiam aduersariorum, qui licet ipsi non conuertantur. sæpè tamen, vel vltrò, vel disputando conuicti, fatentur & fidem nostram, & cœtum istum qui subest vnius pastoris gubernationi, esse veram Dei Ecclesiam. 14.

Dices. Si datur alia via, quâ deueniatur ad cognitionem Ecclesiæ præter notas ex accidentibus petitas, Ergo gratis & absq; necessitate notæ comparantur. Sed consequens fallit. Ergo & antecedens. ℞. neg: Conseq: nam quamuis alijs modis & vijs, etiam à rudibus cognoscatur Ecclesia, vt tamen publica & communis ipsius notitia clarior, firmior, perfectior, & certior habeatur, notæ ad hoc necessariò sunt comparatæ. 15.

COROLLARIVM 4.

Jmperita est consequentia illa, veritas fidei, & vsus Sacramentorum ab Ecclesia inseparabilis est, Ergo est nota Ecclesiæ: multa enim sunt inseparabilia, quæ notarum rationem non habent.

1. INDVBIVM est, ad rationem notarum Ecclesiæ requiri inseparabilitatem, ita vt si separabile sit aliquid, nota esse nullatenùs possit; ast non sufficit sola inseparabilitas, desiderantur plura alia, quæ supra sunt exposita. Non ergo sufficit aliquid appellare notam Ecclesiæ, ex hoc solo, quòd ab ipsa separari non possit. Et si ita volueris argumentari, Notæ ab Ecclesia sunt inseparabiles: veritas fidei & vsus Sacramentorum sunt inseparabiles. Ergo sunt notæ. Quis non videt vltra peccatum formæ Syllogisticæ. esse etiam hic peccatum in materia, & fallaciam consequentis vulgo dictam? nam fallacia consequentis vt rectè præcipit Petrus Hispanus, est idoneitas decipiendi, proueniens ex apparentia consequentiæ conuersæ, quæ non conuertitur. & fallit conuertens. vt omne inseparabile ab Ecclesia, est nota ipsius. Nec potes rectè argumentari. Si homo est, sensitiuus est. Ergo si sensitiuum est, homo est. Neq; item, Si nota est, inseparabilis est, Ergo si inseparabile est, nota est: imperitè & insultè hoc modo argumantaris. Sed vt aliqua circa Corollarium expendantur. Sit

MEMBRVM I.

An veritas fidei ab Ecclesia sit separabilis?

Hæretici vt filij Cham, filij nequam, errantes ab vtero, loquuntur falsa, odio habentes Ecclesiam, à quâ abalienati sunt, calce vt muli impetunt matrem, multiformes calumnias contra ipsam euomunt, vt etiam sæpè errare à vera fide criminentur: etiam ideò, vt suam defectionem ab errãte hoc pallio contegant. Verùm pro honore Castissimæ Matris aduersus hostes ipsius COLLIGITVR. Veritas fidei ab Ecclesia est inseparabilis. Hæc do-
Iren: ctrina est antiquorum Patrum. Iren: lib: 1. c. 3. Et lib: 4. cap: 63. & 64.
Cyprian, & 69. Cyprian: de vnitate Ecclesiæ, ita dicit. *Adulterari non potest Sponsa*

Christi, incorrupta est & pudica. Tertull: in lib: de præscript: aduersus hæreticos, & alij. Idem omnes Catholici Doctores asserunt, Hosius lib: 2. & 3. contra Brent: Alphonsus à Castro lib: 1. contra hæres: cap: 5. & alibi. Bellarm: & alij contra Lutheranos & Caluinistas, qui totam Ecclesiam visibilem à vera fide & religione multis seculis, vsq; ad tempora Lutheri aberasse calumniantur. Suscitauerunt autem Lutherani & Caluinistæ istam calumniam contra Ecclesiam, quam aliquando professus erat Ioannes quidam à Wesalia, vt refert Bernard: Lucenburg: lib: 2. Catalogi hæreticorum, Verùm ista hæreticorum calumnia multis modis confutari potest. Primò. Quia veritas fidei est intrinseca & essentialis Ecclesiæ: etenim in illâ fide & confessione Petri quatenus Pastoris totius Christi gregis, dicentis: *Tu es Christus filius Dei viui,* tanquam firmissima petra, est ædificata Ecclesia, pro qua fide Christus ipse rogauit, vt non deficeret, cuius orationem exauditam, indubium est. Tertull: Hosius. Castro. Bellarm: Bozius lib: 16. Cap. 8. Lucenburg:

2. Deinde. Separatâ veritate fidei, Ecclesia erubesceret & confunderetur: sicut confunditur mulier quæ fidem connubij, irritam fecit. Atqui Ecclesia nunquam erubescit aut confunditur. Isai: 54. *Noli timere, quia non confunderis, neq; erubesces*: quin etiam iudicat & condemnat linguas hæreticorum confusas sibi resistentes. *Omnem inquit linguam resistentem tibi in iudicio condemnabis.*

3. Præterea. Amissa veritate fidei, dissolueretur vinculum quo coniungitur Christo, ceu sponsa suo sponso: nam per veram fidem, sponsatur Christo Ecclesia. Oseæ. 2. *Sponsabo te mihi in fide.* Atqui vinculum Christi & Ecclesiæ nunquam dissoluetur. Isai. 54. *Montes commouebuntur, colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fædus pacis meæ non mouebitur.* Idem confirmat Christus Matth: 28. promittens se semper fore cum Ecclesia, & nunquam vinculum dissoluendum.

4. Adhuc. Fides vera est, per quam triumphat Ecclesia de mundo & diabolo. 1. Ioan: 5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra.* 1. Petr: 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, cui resistite fortes in fide*: proinde veritate fidei amissâ, succumberet mundo & diabolo. Atqui Ecclesia insuperabilis est, Matth: 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Hinc August: lib: 1. de Symb: ad Catechum. cap. 5. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica. contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest.* Et Hilar. lib: 7. de Trin: *Eam lu-* August. Hilar.

cem Ecclesia doctrinæ suæ, etiam imprudentiæ seculi inuehit, vt licet fidei Sacramentum non suscipiat, tamen aduersus hæreticos veritatem Sacramenti à nobis intelligat prædicari, magna enim vis est veritatis. quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa, quæ ei aduersantur elucet.

5. DENIQ; Substantiale non potest separari à re, quin continuò res ipsa corruat & intereat. Ergo si vera fides separaretur ab Ecclesia, iam corruisset & interijsset Ecclesia: in quod facile conspirant hæretici, Sed Ecclesia ruere & interire non potest: tùm quia sapienter à Christo ædificata est, non super arenam, sed super petram, vnde quantumuis descendat pluuia, veniant flumina, & perflent venti, & irruant in eam Matth: 7. non corruat: tùm quia Doctorem habet Spiritum veritatis, qui semper veritatem docet. Ioann: 16. *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* non ad vnum diem aut aliquot annos, sed in perpetuum. Ioann: 14. *Rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.*

6. VLTIMÒ. Ecclesia semper est Sancta & Catholica, vt conuincit articulus fidei, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ergo nunquam aberrat à veritate fidei, si enim aberraret, nec sancta esset, nec Catholica. Non Sancta, quia infidelis esset, porrò infidelitas sanctitati contraria. Non etiam Catholica, si aliquod tempus esset, quo falsa dogmata contra veram fidem Catholicam publicè profiteretur: nec posset columna & firmamentum dici veritatis, quo tamen titulo eam censet Apostolus. 1. Tim 3.

7. DICES. 1. Sæpenumerò Ecclesia errat in doctrina fidei, Ergo ab ipsa fidei veritas separabilis est. ANT: patet tali inductione Oriens errauit per Schismata. Meridies per Donatistas & alios. Occidens per Hussitas, Wicklefitas, Lutheranos, Caluinistas. Imò temporibus ipsis Apostolorum, iam plurimis erroribus scatebat: nam Corinthij errauit Ecclesia non credens resurrectionem mortuorum, in quo redarguitur. 1. Cor: 15. Errauit Galatarum Ecclesia, docens seruanda esse legalia. Ergo Ecclesia in doctrina & veritate fidei sæpissimè errat. ℞. neg: ANT: Ad prob: d. aliud est loqui de parte aliqua Ecclesiæ, id est, de aliquibus Christianis, aliud de tota Ecclesia per orbem terrarum distributa. Et partes quidem Ecclesiæ errare possunt singulæ, sicut errauerunt: tota verò Ecclesia sub vno pastore Christi Vicario, & Petri successore, nunquam aliquem errorem contra fidem publicè

profiteri poteſt, propter tàm crebras ſibi factas promiſſiones, & ſingularem Spiritus ſancti aſſiſtentiam. Quòd ergo aliqui Chriſtiani in Oriente, aliqui in Meridie, atq; aliqui in Occidente errárunt; inſuper quòd Corinthij & Galatæ, nullo modo inde poteſt deduci, totam Eccleſiam per orbem terrarum diſtributam, & vni paſtori Chriſti Vicario vnitam, in fide errare poſſe: nam promiſſiones de firmitate fidei vniuerſæ Eccleſiæ, quatenus vni paſtori iuncta eſt, ſunt factæ, non verò ſingulis partibus, quatenus tales ſunt.

ROGABIS. An Corinthij non credentes reſurrectionem mortuorum, & Galatæ aſſerentes neceſſarium eſſe Chriſtianis circumciſionem & alia in lege Moyſi conſtituta fuerint hæretici? ℞. negatiuè. Ratio, quia nihil contra authoritatem vniuerſalis Eccleſiæ pertinaciter ſenſerunt, ſed aliquorum perſuaſionibus decepti fuerunt. Non enim vt quiſquis peccauerit in fide, hæreticus dicendus eſt, ſed qui Eccleſiæ authoritate neglecta & contempta, impias opiniones pertinaci animo tuetur. Ergo qui non eſt pertinax, non eſt hæreticus, ſed errans, vt D. Thomas docet. 2. 2æ. q. 5. art: 3. c. f. Rectè enim admonet Hoſius lib 2. contra Brent. illum tandem hæretcium eſſe, qui opiniones adfert à communi totius Eccleſiæ ſenſu & conſenſu diſcrepantes, quas ita pertinaciter tuetur, vt orbem vniuerſum Chriſtianum, cæcitatis potiùs condemnare non dubitet, quàm ſemel & iterum admonitus, errorem ſuum agnoſcere, & ab eo diſcedere velit: iam verò Corinthij & Galatæ ab Apoſtolo correpti; erroribus ſuis anathema dixerunt. 8.

D. Thom: Hoſius.

DICES. 2. Homines errare poſſunt in fide, ſicut etiam in alijs veritatibus naturalibus, in quibus tamen euidentia eſſe poteſt. Sed Eccleſia vniuerſa nihil eſt aliud, quàm collectio hominum: ita enim hic ſumitur Eccleſia, quatenus eſt multitudo Chriſtianorum, ex paſtoribus & ouibus conflata, Ergo vniuerſa Eccleſia errare poteſt in fide. ℞. quantumuis maxima multitudo hominum in ſe conſiderata, errare poteſt, quatenus verò habet præſentem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, errare non poteſt, tùm etiam quatenus eſt firmata certis & infallibilibus promiſſionibus. 9.

DICES. 3. Non poteſt Eccleſia firmior eſſe in fide quàm Apoſtoli fuerint, ſi quidem ædificata ſuper fundamentū Apoſtolorum. Epheſ: 2. Atqui Apoſtoli errarunt in fide. vt Ioan: 20. Thomas incredulus erat de Domini reſurrectione. Et non ſolùm iſte, ſed cæteri quoq; de quibus illud. Matth: 26, *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta*, omnes enim fide 10.

ceciderant, de quibus etiam illud. Luc: 24. *Adhuc illis non credentibus.* Ergo Ecclesia errare & excidere à fide potest. ℞. Quantumuis Apostoli in fide stabiles sub tempus illud non fuissent, infirmitati humanæ foret dandum, quia tunc nondum acceperant Spiritum sanctum: quam rationem attingit
Chrysost: Bellarm. Chrysost: Homil: 66. in Matth: Quantum ad fidem resurrectionis. Bellarm: lib: 3. de Ecclesia militante cap: 17. contra aliquos ex Catholicis, defendit Apostolos nunquam fidem amisisse, aut in illâ vacillasse, hanc enim ante resurrectionem ipsam non habuerunt, *non enim sciebant scripturam, quia oportebat ipsum à mortuis resurgere.* Ioan: 20. itaq; non amiserunt eam fidem, quam nondum habuerunt, nec in ea errauerunt, sed tamen ad recipiendam tardi fuerunt, ob quod redarguuntur.

11. INSTABIS. Docere cum Euangelio simul circumcisionem & alia legis antiquæ esse seruanda, est errare in fide: in hac causa grauiùs accusabat Galatas Paulus cap: 5. d. Si circumcidimini CHRISTVS vobis nihil proderit. Atqui post acceptum Spiritum sanctũ Petrus docebat circumcisionem cum Euangelio seruandã, in qua causa ipse reprehenditur à Paulo. Gal: 2. Ergo post acceptum Spiritum sanctum errârunt Apostoli in fide, proinde etiam in Ecclesia nihil potest esse firmum & stabile. ℞. neg: MIN: circa legalia non errauit Petrus in fide, qui iam prius Act: 15. docuerat in Concilio Ierosolymitano legalia non esse seruanda Christianis: nec de errore fidei circa hoc negotium reprehenditur à Paulo, sed quia putauit Petrus legalia aliquanto tempore ob conciliationem Iudæorum tolerari posse. Paulus autem iudicauit iam omninò omitti oportere. Deinde reprehenditur Petrus à Paulo propriè propter simulationem Iudaismi circa mensam: nam cum gentilibus conuersans, pro libertate Christiana, vescebatur cibis gentilium, præsentibus autem Iudæis, illa iam libertate Christiana cedebat, nolens cibis gentilium vesci, ne offenderet Iudæos, qui adhuc errant infirmi, & hanc simulationem reprehendit Paulus.

Sander, lib: 6. Monar: cap. 4. in respons: ad replic:

12. DICES. 4. Singulis ætatibus enormissimi errores contra fidem exoriuntur in Ecclesia. Ergo veritas fidei ab Ecclesia est separabilis. ANT: patet, nam temporibus Apostolorum errarunt Nicolaitæ, item Ebion & Cerinthus, docentes Christum tantum hominem esse; subinde Marcion & Valentinus. Errauit post hac Arius negans consubstantialem patri filium: errauit Macedonius negans Spiritum sanctum Deum esse, errauit Apollinaris negans Christum animam rationalem cum carne assumpsisse; errauit

Photinus negans Christum ante Virginem Mariam fuisse; Errârunt Donatistæ Ecclesiam tantùm in Africa manere asserentes; errârunt denique nostro isto seculo Lutherus cum Caluino eam penitus interijsse suadentes.
℟. Singuli homines in Ecclesia errare possunt, qui propterea in pertinacia persistentes, extra Ecclesiam proijciuntur, vt de talibus. 1. Ioan: 2. dictum sit. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum, sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.* At verò tota Ecclesia, nunquam errare potest. Aliud ergo est singulos errare posse, si negligant authoritatem Ecclesiæ, aliud autem totam Ecclesiam errare, prius conceditur, posterius negatur.

Dices. 5. Concilia errant in fide, Ergo Ecclesia tota. Conseq: quia in Concilijs explicatur fides pro tota Ecclesia, quæ si errorem aliquem interposuerint, totam Ecclesiam errare est necesse. Ant: declaratur. nam in primis Ariminense Concilium errauit, in quo Ariana perfidia fuit comprobata & stabilita, reiecto vocabulo ὁμοούσιος, quod significat esse eiusdem substantiæ, & substincto vocabulo ὁμοιούσιος quod significat esse similis substantiæ. Errauit etiam Nicænum, dùm processionem Spiritus sancti, à solo patre non etiam à filio agnouit, quem errorem correxit Concilium Constantinopolitanum, comprobans etiam à filio procedere, additis in Symbolo illis verbis. Qui ex patre filioq; procedit, cùm in Nicæno solùm habeatur. Qui ex patre procedit: atq; horum similes errores in alijs quoq; Concilijs ostendi possunt. Ergo Concilia errant in fide. ℟. neg: Ant: Ad prob: d. Concilium Ariminense non erat legitimum Concilium, sed conciliabulum, & cassatum à Liberio, vt Syricius in epistola ad Himerium scribit. Ratio, tùm quia non fuit conuocatum & approbatum authoritate Romani Pontificis, sed Imperatoris Constantij, vt scribit Theodoretus lib: 2. c. 22. tùm quia patres, qui fraudibus Vrsacij & Valentis Arianorum episcoporum circumuenti subscripserant, postea sententias mutauerunt & cùm Liberio Romano Pontifice conciliabulum illud condemnante, communicauerunt, vt est apud Socratem lib: 4. cap. 11. Quod ad Nicænum attinet, illud inter alia tanquam Euangelium veneratus est. S. Greg: Magnus, nunquam de processione Spiritus sancti à filio quidquam contrarium sensit. Quòd autem expresse non posuit in Symbolo, Filioq; procedit, hoc ideo quia non fuit de isto negotio proposita aliqua difficultas, quam tunc o-

15. Syricius. Theodoretus. Gregor.

porteret definire. Atq; hac ratione legitima Concilia, à Papa approbata, errare non possunt, eorum enim decreta sunt à spiritu sancto inspirante & dirigente.

MEMBRVM II.

An veritas fidei sit propria Ecclesiæ?

Sensus est, an extra Ecclesiam in aliquibus sectis vera fides esse possit? in
14. quod facilè politici consentiunt, asserentes vnumquemq; in sua fide, tanquam illa vera sit, saluari posse: siue ille sit Lutheranus, siue Caluinista, siue cuiuscunq; alterius sectæ. Verùm contra COLLIGITVR. Veritas fidei ita est propria Ecclesiæ, vt ei semper & soli conueniat.

PATET I. Quia vera fides est intrinseca & essentialis Ecclesiæ. Ergo cum ipsa ad conuertentiam dicitur, sicut rationale cum homine. Ergo soli Ecclesiæ & semper conuenit.

15. DEINDE. Vera fides postulat credere sanctam Ecclesiam Catholicam: quia hoc in regula fidei, id est in Symbolo ponitur. Sed extra Ecclesiam, non creditur sancta Ecclesia Catholica, à qua ibi receditur. Ergo extra Ecclesiam non est vera fides.

PRÆTEREA. Vera fides habetur per proprium formale fidei: nam in
16. hoc fides conuenit cum cæteris habitibus, quòd quilibet ipsorum per suum formale habeatur. Sed extra Ecclesiam non habetur fides per proprium formale fidei Ergo extra Ecclesiam, non est vera fides. MIN: Formale
D. Thom: fidei est veritas prima in doctrina Ecclesiæ proposita, vt dicit D. Thom: 2. 2æ. q. 5. art. 3. Atqui extra Ecclesiam non habetur fides per primam veritatem in doctrina Ecclesiæ propositam, vbi contradicitur Ecclesiæ proponenti Ergo extra Ecclesiam non habetur fides per proprium formale fidei.

17. INSVPER. Si extra Ecclesiam esset vera fides, aut formata, aut informis. Non formata, quia fides formata est cum charitate, extra Ecclesiam autem nulla charitas, quia nulla vnitas. *quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem?* ait S. Augus.t serm: 50. de verb:
Auguſt: Domini. Non etiam informis, quia vel esset de omnibus credendis, vel de aliquibus tantùm. Non de aliquibus tantùm, quia vera fides etiam in-

formis non est in eo, qui discredit vnum necessariò credendum, etiamsi alia omnia confiteatur, vt docet D. Thom: loco supra dicto. Nón etiam de omnibus, ob rationem iam dictam quia sublata formali ratione obiecti fidei, ipsa etiam fides tollitur. D. Thom:

18. DICES. 1. Credere DEVM esse vnum & trinum; CHRISTVM verum DEI filium, est vera fides. Sed aliqui extra Ecclesiam credunt DEVM esse vnum & trinum, similiter CHRISTVM esse verum DEI filium. Ergo extra Ecclesiam, est vera fides. ℞. argumentum nihil concludit, sunt enim in illo quatuor termini, ex diuersa suppositione Ly credere, nam in maiori Ly credere supponit pro actu fidei diuinæ, in minore pro actu fidei humanæ. Etenim quicunq; extra Ecclesiam credunt DEVM vnum & trinum & alia, non per actum fidei diuinæ, sed fidei & persuasionis humanæ credunt, illorumq; fides, non est illa vera fides, de qua hic sermo.

19. DICES. 2. Si extra Ecclesiam nulla esset fides, ne informis quidem, Ergo quicunq; excommunicatur, amittit fidem etiam informem; & sic omnes excommunicati infideles sunt pariter, nihilq; discernit inter eos & hæreticos. Atqui hoc non est dicendum. Ergo vera fides potest esse etiam extra Ecclesiam. ℞. Dupliciter contingit aliquem esse extra Ecclesiam, aut moribus tantùm, aut moribus & fide simul; qui extra Ecclesiam est moribus & fide simul, in eo nulla vera fides, ne informis quidem, vt sunt Ethnici, Iudæi & hæretici: qui extra Ecclesiam est moribus tantùm, vt est aliquis excessiuus Catholicus, qui propter excessus suos excommunicatur, in eo est fides vel informis, per quam adhuc ad Ecclesiam pertinet. Imò potest esse in aliquo excommunicato etiam formata fides, qui verè conteritur de suis excessibus, & talis, quamuis sit excommunicatus in foro Ecclesiæ, iam non est excommunicatus in foro DEI.

20. DICES. 3. In dæmonibus est fides, iuxta illud Iacob. 2. Dæmones credunt & contremiscunt. Ergo extra Ecclesiam potest esse vera fides. ℞. Fides quæ est in dæmonibus, non est donum DEI, præsens autem negotium est de fide, quæ sit donum DEI, nam & informis fides est donum DEI, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 6. art: 2. Et Concil: Trid: Sess: 6. con: 3. de iustific. Neq; est in dæmonibus assensus intellectus secundum imperium voluntatis in bonum tendentis, sed coacta quædam fides est in illis, prout intellectus eorum sua perspicacitate naturali & euidentia signorum conuincitur ad credendum, proinde illa fides in dæmonibus minimè laudabilis est. D. Thom: Concil: Trid.

MEMBRVM III.

V. veritas fidei sit nota Ecclesiæ?

21. QVoniam hæretici in solis iustis per veram fidem, quatenus singuli eam in cordibus custodiunt, Ecclesiam consistere dogmatizat, inde etiam veram fidem esse notam Ecclesiæ asseuerant. Verùm contra ipsorum vanam persuasionem COLLIGITVR. Vera fides non potest dici nota Ecclesiæ. PATET. 1. Quia nota debet esse propria vni duntaxat conueniens, nec debet esse communis pluribus. Atqui vera fides communis est pluribus: quælibet enim secta gloriatur se veram fidem habere. Ergo quamdiu vnaquæq; factio veram sibi fidem vendicat, non potest per veram fidem cognosci, in tanta contentionum confusione vera Ecclesia. Atqui semper omnes & singulæ hæreses, apud se esse veram fidem persuadere conantur. Ergo nunquam per veram fidem, tanquam per notam propriam Ecclesia inueniri potest.

22. DEINDE. Nota debet esse clarior ea ipsa re, cuius est nota, aliâs non potest certò & infallibiliter ducere in cognitionem rei, Atqui fides non est clarior Ecclesiâ; imò incertum est, quæ sit vera fides, nisi certissimi simus, quæ sit vera Ecclesia; & nisi per authoritatem Ecclesiæ, non cognoscimus veram fidem, sed tamdiu hæremus ambigui, donec Ecclesia suam authoritatem de fide vera interposuerit.

23. PRÆTEREA. Nota Ecclesiæ debet esse in aperto posita, & sese primo aspectu intuentibus offerre: res enim visibilis qualis est Ecclesia, per huiusmodi notas ostendi & cognosci debet. Atqui fides vera non est ita in aperto posita, vt se primo aspectu eius veritas offerat cernentibus, neq; sub sensum cadit, vt aliquis certò nôrit in quo sit vera fides. Ergo vera fides non potest esse nota Ecclesiæ.

24. DICES. 1. Effectus veræ fidei aspectabilis est, vt protestatio & confessio fidei: Ergo ipsa fides vera aspectabilis est, adeo vt nota sit Ecclesiæ. CONSEQ: quia plurima verè videntur in suis effectibus; homo enim verè & propriè videtur, quamuis animus non videatur nisi in effectibus. ℞. per notas quærimus certam & infallibilem cognitionem Ecclesiæ: porrò per veram fidem non potest talis cognitio ipsius haberi. Et quamuis effectus fidei conspiciantur, ex ipsis tamen certa & infallibilis cognitio nedum

Ecclesiæ, sed neq; fidei veræ haberi potest, sed solùm coniecturalis, siqui-
dem etiam in hypocritis tales effectus inueniuntur. Quòd verò hominem
certè cognoscimus per effectus locutionis v. G. & discursus, id ex eo, quia
effectus vitæ in homine sunt naturales & necessarij, effectus verò fidei li-
beri & voluntarij, proinde multo minùs certi. Quanquam nec ipsum ho-
minem ita videmus, vt certitudine infallibili nobis constet, eum quem vi-
demus esse hominem.

Dices. 2. Quod est prius secundùm esse, etiam prius secundùm co- 25.
gnosci, iuxta illud 2. Metaph: T. 4. *Vt secundùm esse vnumquodq; se habet,* Arist.
ita etiam secundùm veritatem. Sed fides secundùm esse prior est Ecclesiâ, tùm
quia fuit in Adam, cùm nendum esset Ecclesia, quæ in vno solo non con-
sistit, sed plures requiruntur personæ, vt Ecclesiam faciant, ita enim docet
Bellarm: lib: 3. de militante Ecclesia. cap. 16. tùm quia fides est princi- Bellarm:
pium Ecclesiæ, & quasi substantia ipsius. Ergo fides prior est cognitione
quàm Ecclesia. Ergo non per authoritatem Ecclesiæ cognoscimus veram fi-
dem, sed contra per veram fidem cognoscimus veram Ecclesiam. ℟. non
semper quod prius est secundùm esse, etiam prius secundùm cognosci quoad
nos, plurimos effectus priùs cognoscimus, etsi imperfecta & quodammodo
confusa cognitione. quàm causas ipsorum, quamuis causa, quantò plus habet
de entitate, tantò etiam plus de cognoscibilitate; vt naturâ magis sit cogno-
scibilis, effectus tamen sæpe nobis priùs innotescit. Aristoteles autem in di-
cto axiomate, tantum vult ea quæ semper sunt, semper esse vera; & quæ ha-
bent causam sui esse, habere causam suæ veritatis; vt notat Fonseca. Ergo Fonseca:
etiamsi fides prior sit quàm Ecclesia, sitq; forma Ecclesiæ, vt Bellarm: di- Bellarm.
cit, loco supra dicto cap. 10. Ecclesiam tamen priùs cognoscimus ex signis
& notis ipsius deinde per Ecclesiam & eius authoritatem cognoscimus quæ
sit vera fides quæ falsa, ad hoc enim Ecclesiæ testificatio necessaria est.

MEMBRVM IV.

An Ecclesiæ sit proponere & explicare fidem?

Sensus est, an præter authoritatem Ecclesiæ testificantis, possit firma, 26.
stabilis & infallibilis fides de rebus ad salutem pertinentibus haberi: num
verò authoritas Ecclesiæ ad hoc ita sit necessaria, vt sine illa fides vera non
habeatur? pro quo ita

COLLIGITVR. Tanta est authoritas Ecclesiæ in negotio fidei; vt si quis profiteatur omnes articulos fidei, & quidquid credendum est, modò innixus alteri medio, contempta authoritate Ecclesiæ testificantis, proponentis & exponentis, nullam fidem haberet. Etenim vt docet Bellarm: lib: 3. de verbo DEI cap. 10. testificatio Ecclesiæ est secundarium fundamentum nostræ fidei; fides enim reuelationi diuinæ innititur, at scire certò non possumus quid DEVS reuelauerit, nisi ex testimonio Ecclesiæ. In hoc negotio maximam authoritatem Ecclesiæ tribuebat S. August: in pluribus locis, vt lib: 11. contra Faustum c. 2. Et lib. 7. contra Donat: cap. 53. Et in Ps: 57. cùm affirmam. Palam est quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat authoritas Ecclesiæ Catholicæ. Non enim deesse potest Ecclesiæ Spiritus, qui ipsam in omnem ducat veritatem, sicut CHRISTVS ipse promisit Ioan: 14. *Paracletus Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,* Et cap. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* PATET 1. Fides explicatur ex verbo DEI scripto & tradito: nam ex alio fonte non explicatur. Ergo vbi verbum DEI scriptum & traditum rectè seruatur, ibi recta explicatio fidei. Atqui in sola Ecclesia verbum DEI scriptum & traditum rectè seruatur. Ita enim antiqui patres. Iren: lib: 3. cap: 4. in solam Ecclesiam, tanquam in depositorium diues, repositam ab Apostolis scientiam rerum diuinarum, dicit. Et lib: 4. cap: 42. d. Ecclesiam percepisse fructum sermonum, quos de CHRISTO disseminauerunt Patriarchæ & Prophetæ, ob idq; in ea, & ipsi orant tabernaculum habere. Cyrill. cathech: 5. A sola Ecclesia fidem traditam, & ex omni scriptura munitam, obseruandam, docet. S. August: lib: 2. contra Cresc: cap. 8. audacter. d. quòd qui de ipso Capite CHRISTO, scripturas sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, de CHRISTI corpore quod est Ecclesia, ab ipsius CHRISTI testificatione dissentiunt. Ecclesia enim ita præstat omnibus sectis, quòd ipsa sola, quippe quæ sponsa CHRISTI est, nouerit omnia mysteria veræ religionis, & conscia sit secretorum sponsi, & propterea appelletur columna & firmamentum veritatis. Ergo in sola Ecclesia rectè fides explicatur. Ergo quisquis contempta authoritate Ecclesiæ testificantis credit, vel nihil credit, vel inutiliter credit.

Bellarm: | August: | Concil: Trid. Sess. 4. | Iren: | Cyrill: | Augustin.

DEINDE. Fides debet esse infallibilis, & summæ certitudinis; ita vt si sit fallibilis & cum formidine fides non sit. Ergo debet proponi & explicari ab eo, qui sit in testificando infallibilis, Sed præter Ecclesiam non potest

27.

alius inueniri, qui sit infallibilis in testificando, iudicando & explicando. Ergo qui aliò medio quam per authoritatem Ecclesiæ proponentis & exponentis credere se præsumit, nullam fidem habet.

Obiic: Prima veritas reuelans in testificando est infallibilis, Ergo illa vnicuiq; sufficit ad firmitatem & certitudinem fidei. ℞. Prima veritas nobis ministrata in scripturis, siue per Apostolos & Prophetas, in testificando est infallibilis, sed quia illa testificatio est obscura, non enim constat nobis euidenter, testificationem à Deo factam esse, proinde vt firmiter ei adhæreamus, requiritur euidens testificatio, & hæc ab Ecclesia habetur, clarè enim & euidenter cognoscimus testificationem esse Ecclesiæ. 28.

Præterea. Ecclesia clarè & sine errore proponit & explicat fidem: clarè quidem, quia clarè & manifeste nobiscum agit: sine errore, quia Ecclesia non potest errare in doctrina fidei & morum: etenim gubernatur à Christo tanquam capite suo, & à Spiritu sancto, tanquam ab anima, Vnde si erraret in doctrina fidei & morum, Christo vel Spiritui sancto error otribueretur. Ergo sicut Ecclesiæ est proponere & explicare fidem, ita oportet in negotio fidei adhærere authoritati Ecclesiæ testificantis. 29.

Insvper. Ecclesiæ est ordinare Symbolum fidei: Ergo fidem proponere & explicare. Ant: Summi Pontificis est ordinare Symbolum fidei. Ergo Ecclesiæ cuius ille caput. Ant: deducit D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 10. idem patet ex rescripto Felicis Papæ. epist: 3. ad Benignum Episcopum. d. *Me requisisti super fidei documentis, semper enim dubia & maiora negotia, terminum ab hac Sancta Sede à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt accipere consueuerunt.* 30. D. Thom: Felix Papa.

Deniq;. Ecclesiam in omnibus audire Christvs præcepit, ita vt si quis eius decretis contrauenerit, è cœtu fidelium sit sequestrandus. Matth: 18. Ergo Ecclesiæ est proponere & explicare fidem, atq; ab Ecclesia est audienda & perdiscenda. 31.

Vltimo. Sicut scientia habetur per proprium medium, ita & fides. Sed qui assentitur alicui conclusioni, sine proprio medio & causa, non habet scientiam. Ergo pari ratione, qui profitetur articulos fidei non per authoritatem Ecclesiæ proponentis, sed per aliud medium, non habet fidem. 32.

Dices. 1. Quod fit per diuinam reuelationem, non fit per Ecclesiam; creatura enim ad diuinas actiones pertingere non potest. Sed explicatio fidei fit per diuinam reuelationem, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 2. art. 6. 33.

c. Ergo proponere & explicare fidem non eſt Eccleſiæ, Sed ſi quis aliunde reuelationis & explicationis fidei particeps fieri poteſt, minùs curanda authoritas Eccleſiæ in hoc negotio; poteſt enim præter authoritatem Eccleſiæ fidem veram & integram habere. ℞. explicentur quidem credenda per diuinam reuelationem immediatè Prophetis & Apoſtolis pro tota Eccleſia, deinde Eccleſia reuelationem & explicationem acceptam nobis tradit & proponit. Etenim credibilia, vt ait S. Doctor, excedunt naturalem rationem, ideo reuelatio eorum ordine quodam fit, id eſt per ſuperiores ad inferiores: & ita mediante Eccleſia, explicatio credendorum ad ſingulos fideles peruenit. Nec eſt vlla implicantia creaturam pertingere ad diuinas actiones, ſi ad hoc aſſumatur, vt inſtrumenta à cauſis principalibus aſſumuntur.

34. DICES. 2. Sufficit internum & priuatum iudicium, quo proponatur & applicetur vnicuiq; diuina reuelatio myſteriorum fidei. Ergo authoritas Eccleſiæ proponentis & explicantis non debet adhiberi. ANT: Patet, quia internum & priuatum iudicium ſufficienter teſtificatur de diuina reuelatione myſteriorum fidei. Ergo ſufficit quo proponatur & applicetur vnicuiq; diuina reuelatio, circa myſteria fidei. ℞. neg: ANT: Ad prob: d. iudicium illud internum & priuatum, ſicut eſt inuentum hæreticum, ita minimè ſufficit ad teſtificandum de diuina reuelatione; præterea cùm ſit humanum, infallibile eſſe non poteſt, igitur nec ſufficienter teſtificari. Vide quæ habet Martinus Becanus, de formali obiecto fidei, potiſſimum verò q. 4. (Becan:)

35. INSTABIS. Authoritas Eccleſiæ eſt quoq; humana. Ergo pari ratione infallibilis eſſe non poteſt. Ergo etiam tunc cum formidine credimus, cùm Eccleſiæ proponenti & exponenti credibilia aſſentimur. ℞. Authoritas Eccleſiæ proponentis & exponentis myſteria fidei, non eſt purè humana, ſed medium tenet inter authoritatem humanam & diuinam, proinde infallibiliter proponit cuius authoritatem tanti faciebat S. Auguſt: vt nec Euangelio ſe credere velle dixerit, abſq; authoritate Eccleſiæ illud ipſum Euangelium proponentis & exponentis. (Auguſt.)

36. DICES. 3. Prophetæ & Apoſtoli independenter ab authoritate Eccleſiæ proponentis & exponentis, DEO reuelante fidem habuerunt. Ergo ſinguli fideles innixi diuinæ reuelationi Prophetis & Apoſtolis factæ, poſſunt citra authoritatem Eccleſiæ proponentis & exponentis credere. ℞. Diſpar eſt ratio, quòd enim Apoſtoli & Prophetæ Deo reuelante crediderunt,

sunt, id in regulam & communem legem trahi non potest, illis enim immediatè pro Ecclesia, fuerunt reuelata credenda, proinde independenter ab authoritate Ecclesiæ, nobis autem quia hoc modo non reuelantur fidei mysteria, ideo authoritatem Ecclesiæ proponentis & exponentis in negotio fidei sequi debemus.

MEMBRVM V.

An Ecclesia proficiat in fide?

Mouet istam quæstionem Vincentius Lyrinensis cap. 28. sui commonitorij, cuius sensus duplex esse potest. 1. an Ecclesia firmetur & roboretur in dies in fide, tùm per miracula quæ fiunt, tùm per constantiam Martyrum, qui pro fide mortem generosè oppetunt, tùm etiam ex alijs motiuis. 2. an successu temporis plura credat Ecclesia, quàm antea crediderit. Et de priori quidem sensu non est dubium quin Ecclesia proficiat in fidei firmitate, tùm intensiuè tùm extensiuè, cum numero credentium augeatur & membra Ecclesiæ firmiori assensu credendis adhæreant. Hinc S. August. de vtilitate credendi cap. 14. *Christus* inquit *afferens medicinam, miraculis conciliauit authoritatem authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roborauit religionem; quam neq; hæreticorum ineptissima nouitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter aduersans, aliqua ex parte conuelleret.* 37.

Deinde. Maiori feruore deuotionis pleriq; in Ecclesia assentiuntur credendis in dies, qui etiam orant Dominum Luc: 17. *Adauge nobis fidem* & qui aliquando erant increduli, ad fidem semper conuertuntur; quod Ecclesia celebrat in illa Collecta Sabbathi Sancti. *Deus qui Ecclesiam semper gentium vocatione multiplicas.* 38.

Dices. Plures quotidie à fide deficiunt, imò & regna aliqua integra desciuerunt, quæ in barathrum hæreseon sunt prolapsa. Ergo Ecclesia in fide membrorum non proficit, sed deficit potius. ℞. Quamuis aliqui deficiunt à fide, in locum tamen illorum alij ad fidem eriguntur, & si quæ regna fidem repudiauerunt, vt quædam Aquilonaria nostra ætate, alia tamen fide illuminantur, sicut constat in orbe nouo & alibi. Nam vt docet D. Thom: 1. p. q. 23. art. 6. 12. non permittit Devs aliquos cadere, 39.

quin alios erigat, & si Iudæi ciciderunt à fide, sed gentiles pro illis sunt erecti: ita quoq; nunc dùm aliquis excidit à fide Ecclesiæ, alius ad fidem roboratur. Iam pro secundo sensu COLLIGITVR. Ecclesia suc-
40. cessu temporis, quamquam non proficit in fide quoad substantiam ipsius fidei, id est non plus credit, nec aliud quàm antea crediderit; proficit tamen in fide quoad explicationem, & expressam credendorum cognitionem; nam quæ implicite & sub minori numero à superioribus patribus credita fuerunt, eodem illa explicite iam, & sub maiori numero creduntur.
D. Thom: Collectio ista sumitur ex D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art: 7. cuius prima pars ha-
Iren: betur apud antiquos patres. Iren: lib: 1. cap. 3. Vincent: Lyrin: loco supra
Lyren: dicto, qui asserit ita proficere Ecclesiam in fide, vt nulla permutatio in eo profectu contingat, quoad substantiam ipsam. PATET itaq; 1. Si Ecclesia temporis progressu proficeret in fide quoad substantiã, ipsa fides mutaretur quoad substantiam, atq; illud quod antea pro sacrosancto credebatur, nunc repudiaretur, & contrariũ eius eligeretur. Atqui fides quoad substantiã nunquam in Ecclesia mutatur, vt sit alia atq; alia; prout Lyrinensis, cuius integrum caput lubet proferre præclarè satis ratiocinatur, ait enim ipse. *Sed forsan dicet aliquis. Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? habetur planè & maximus. Nam quis ille est tàm inuidus hominibus, tàm exosus Deo, qui istud prohibere conetur? sed ita tamen vt verè profectus ille sit fidei, non permutatio, si quidem ad profectum pertinet, vt in semetipsa vnaquæq; res amplificetur, ad permutationem verò vt aliquid ex alio in aliud transuertatur. Crescat igitur oportet, & multum vehementerq; proficiat, tàm singulorum quàm omnium tàm vnius hominis, quàm totius Ecclesiæ ætatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademq; sententia.* Ergo Ecclesia progressu temporis, non proficit in fide quoad substantiam, quæ idem semper credit, idem sentit, idem docet. Neq; etiam articuli fidei in quibus ipsa subsistit augmentum secundùm substantiam recipiunt, vt D. Thomas docet, quæ enim nunc creduntur, vel implicitè continebantur in fide præcedentium patrum.

41. DEINDE. Fides semper est eadem quoad substantiam, aliâs non esset vna. Ergo in ea non est profectus quoad substantiam, ita enim profectu eiusmodi mutaretur in seipsa.

42. DICES. 1. Assequi notitiam in aliqua scientia prius ignotam, est proficere in scientia quoad substantiam. Ergo etiam assequi cognitionem a-

licuius articuli prius ignoti, eſt proficere in fide quoad ſubſtantiam. Sed Eccleſia temporis progreſſu aſſequitur multorum articulorum notitiam quam antea non habuit. Ergo Eccleſia temporis progreſſu proficit in fide etiam quoad ſubſtantiam, & plùs credit nunc quàm antea. CONFIRM: quia in Concilio Conſtantinop. Eccleſia cognouit articulum proceſſionis Spiritus Sancti à filio, quem antea ignorabat. Petrus etiam Act: 10. cognouit gentiles pertinere ad Eccleſiam DEI, non minùs quàm Iudæos, quod antea non cognouerat. Et Act: 15. cognouerunt Apoſtoli gentiles ad fidem conuerſos non obligari ad circumciſionem, quod antea ignorabant.

℞. Certum eſt Eccleſiam progreſſu temporis proficere in manifeſtatione & explicatione multorum articulorum fidei, quod pro ſecunda parte collectionis aſſumitur, non inde tamen ſequitur proficere in fide quoad ſubſtantiam & mutationem eius. Manifeſtantur quidem & explicantur multi articuli fidei progreſſu temporis in Eccleſia, qui antea non fuerunt manifeſtati & explicati, verùm tamen fidei ſubſtantia ſine augmento & mutatione, ſemper eadem in nota permanet. Quod ſi VRGEAS. In acquiſitione notitiæ prius ignotæ fit augmentum in ſcientia. Ergo profectus 43. quoad ſubſtantiam in ipſa. Ergo pari ratione, per acquiſitionem notitiæ alicuius articuli prius ignoti, fit augmentum in fide, & profectus quoad ſubſtantiam fidei. ℞. in ſcientijs quidem humanitus inuentis fit augmentum, propter defectum cognitionis in ijs, qui ſcientias inuenerunt: porrò fides cum ſit authore DEO, in quo nullus defectus cognitionis, augmentum ſecundum ſubſtantiam fides accipere non poteſt. Deinde ſingulæ concluſiones in aliqua ſcientia habentur per diſtincta media, proinde fit progreſſus quoad ſubſtantiam in ſcientia, at verò omnium credendorum vnum eſt medium ſcilicet veritas prima, propterea non fit progreſſus quoad ſubſtantiam in fide.

D. Thom: 2. 2æ. q. 5. art: 3. am.

DICES 2. In articulis fidei conſiſtit ſubſtantia ipſius. Ergo dùm nouæ 44. fiunt articulorum reuelationes, proficit fides quoad ſubſtantiam. Sed in Eccleſia progreſſu temporis fiunt nouæ reuelationes articulorum, ſicut Apoſtolis factæ ſunt. Ergo Eccleſia proficit in fide quoad ſubſtantiam.

℞. Hoc inprimis certum eſt, nunc iam non fieri in Eccleſia nouas reuelationes articulorum fidei, ſed omnes ſunt factæ, & ſufficienter completæ Apoſtolis, quæcunq; erant neceſſariæ, pro noua CHRISTI Eccleſia. Deinde nouæ articulorum reuelationes Apoſtolis factæ, non fiebant ad

profectum fidei quoad substantiam, sed ad maiorem explicationem & manifestationem, vt quod implicitè continebatur in fide antiquorum, explicitè & manifestè Apostoli per nouas reuelationes articulorum addiscerent, quia & ipsi articuli reuelati Apostolis, implicitè in illis prioribus continebantur.

45. DICES 3. Fides comparatur paruulo 1. Cor: 13. *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Et Gal: 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, &c.* Sed paruulus proficit ex imperfecto, ad perfectum. Ergo & fides ex imperfecta, fit perfecta, Ergo proficit secundum substantiam, vt quæ antea non continebantur ambitu fidei, nunc incipiunt contineri. ℞. Fides dùm confertur cum beatifica visione, vt 1. Cor: 13. comparatur paruulo, quia sicut adueniente virili ætate, imperfectus ille sensus puerilis in maturam mutatur sapientiam, ita adueniente statu futuræ beatitudinis, obscura hæc & imperfecta per fidem notitia, in claram & intuitiuam commutatur visionem. Iam verò Gal: 4, status veteris testamenti comparatur paruulo, quia sicut hæres paruulus seruit voluntati & directioni tutorum & actorum, ita homines veteris testamenti, sub elementis carnalium ceremoniarum, Mosaicæ legis, ad cognitionem diuinorum dirigebantur, quæ cognitio iam clarior & manifestior illucescit in nouo testamento, in quo homines viro adultæ ætatis comparantur. Itaq; sicut paruulus qui proficit ex imperfecto ad perfectum, non proficit secundùm augmentum substantiæ, proficit tantùm secundùm augmentum staturæ, roboris & virtutis. *Multum*

Cap. 29. *quidem interest,* inquit Lyrinensis *inter pueritiæ florem & senectutis maturitatem, sed ijdem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes, vt quamuis vnius eiusdemq; hominis status habitusq; mutetur, vna tamen nihilominus eademq; natura, vna eademq; persona sit, parua lactentium membra magna iuuenum, eadem ipsa sunt; tamen, quot paruulorum artus, tot virorum, & si qua illa sunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proserta, vt nihil nouum proferatur in senibus, quod non in pueris iam ante latitauerit,* &c. Neq; etiam magis est homo senex, quàm puer fuerit, cùm substantia non recipiat magis & minùs, proficit ergo homo solùm secundùm perfectionem ætatis & sensus: ita fides temporis progressu nullum augmentum acquirit, quoad substantiam. semper enim eadem sunt credenda, nec magis nunc est fides quàm antea, sed acquirit tamen augmentum explicationis & manifestationis, multa enim progressu temporis in Ecclesia explicantur & manifestantur

credenda, quæ antea implicite & quasi sub velamine credebantur, nunc clarius, manifestius, & firmius creduntur & prædicantur. *Sequatur decet*, inquit Lyrinensis *Christiana religionis dogma has profectuum leges, vt annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq́; permaneat, & vniuersis partium suarum mensuris, cunctisq́; quasi membris ac sensibus proprijs, plenum atq́; perfectum sit.*

Porrò quòd Ecclesia proficiat in hac fide, quoad explicationem & expressam credendorum cognitionem & professionem, quæ est secunda pars collectionis, ostendunt sufficienter Alfonsus à Castro lib: 1. cap: 2. ante medium. & Martinus Peresius de traditionibus parte quarta, in dilatione secundæ obiectionis, post medium, ex antiquis Patribus. Tertuliano, & Gregorio Nazianzeno, qui ostendunt manifeste Ecclesiam per ætates proficere, nec totam perfectionem in suis primordijs habuisse: proficit enim vt in virtutibus & bonitate, ita in scientia & doctrina, Deo illam quotidie pleniùs illustrante. S. etiam Gregor. Homil 16. in Ezech. dicit secundum incrementa temporum, creuisse scientiam sanctorum patrum. Castro Peresius. Tertull. Nazian. Gregor.

Dices 4. Ergo fides posteriorum perfectior est fide priorum, imo etiam fide Apostolorum. Conseq: Patet, quia profectus ad perfectionem ordinatur. ℞. Quamuis profectus fiat intelligentiæ, vt perfectiori modo fides explicetur, & expressius manifestetur progressu temporis, non tamen inde sequitur, fidem in sua substantia perfectiorem fieri, quæ semper eadem, sine omni permutatione perseuerat. Quantum verò ad Apostolos, illi plenissimè fuerunt instructi de mysterijs fidei, *acceperunt enim sicut tempore prius ita & cæteris abundantius*, ait Glos. interlin: super illud Rom: 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Hinc D. Thom: 2. 2æ. q. 174. art. 6. c. *Super reuelatione inquit facta Apostolis de fide vnitatis & Trinitatis, fundatur tota fides Ecclesiæ*, secundùm illud Matth: 16. *Super hanc petram, scilicet confeßionis tuæ, ædificabo Ecclesiam meam.* 46. Glos: D. Thom:

MEMBRVM VI.

V. sit vna fides Ecclesiæ & Synagogæ?

Ratio dubitandi est, quia cùm Synagoga vmbra fuerit Ecclesiæ, credidit Christvm nasciturum, &c. iuxta illud Isai: 7. *Ecce virgo concipiet & pariet* 47.

filium. Ecclesia verò corpus Christi, credit ipsum natum, passum, mortuum, & resurrexisse, iuxta illud quòd in Symbolo continetur. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*, &c. Tamen pro veritate Catholica COLLIGITVR. Eadem est fides secundùm substanti-
D. Thom: am Ecclesiæ & Synagogæ. Ita D. Thom: 1. 2æ. q. 103. art: 4. c. d. *Eadem est fides quam habemus de Christo & quam antiqui patres habuerunt.* Irene-
Iren. us cùm disputat aduersus antiquos illos hæreticos pluribus in locis id affirmat, lib: 4. c. 13. dicit, *Iustè nos eandem fidem accipientes quàm habuit Abraham.* Et cap. 21. item cap. 42. d, *Christus lapis summus angularis, omnia sustinens, in vnam fidem Abrahæ colligens eos, qui ex vtroq; testamento apti sunt in ædificationem Dei &c.* Et Glols. super cap. Matth: 12.

48. Patet 1. ex Apostolo Ephes: 4. Vnus Dominus, vna fides, q. d. vbi est vnus Dominus, ibi vna fides. Sed in Ecclesia & Synagoga vnus Domi-
Iren: nus, quod Iren: lib: 1. cap. 28. contra Cerdonem, & lib: 3. cap. 12. contra Valentinum & Marcionem deducit. Et lib: 4. cap. 42. *Vnum Deum*
Concil: Trid. Sess. 4. *in vtroq; testamento prædicatum ostendit.* Et Apost: Rom: 3. *Vnus inquit Deus est, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, id est, & Iudæos in Synagoga, & gentiles in Ecclesia.

49. Deinde. Fides sicut quilibet habitus intellectus, ex materiali & formali consistit. Ergo vbi idem materiale & formale, ibi vna & eadem fides. Sed Synagogæ & Ecclesiæ idem materiale & formale in credendo. Ergo vna & eadem fides. Min: Patet. nam materiale fidei vtrobiq; est Devs, circa ipsum enim principaliter occupatur fides credentium, indeq;
D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 1. c. iubemur credere in Devm; porrò formale fidei est veritas prima reuelans, non enim fides assentitur alicui, nisi quia est à Deo reuelatum, vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Quocirca quoniam nos cum antiquis patribus credimus in eundem Devm, idq; propter primam veritatem reuelantem, sequitur Ecclesiæ & Synagogæ idem materiale & formale in credendo.

50. Præterea. Synagogæ fides in SS. Patriarchis & Prophetis fundabatur, indeq; Abraham Patriarcha pater fidei appellatur. Sed Patriarcharum & Prophetarum fides vna & eadem fuit, quæ nunc est Ecclesiæ Gentium, e-
Fulgent. undem enim Devm vnum & Trinum adorauerunt, vt dicit S. Fulgent. *Fides inquit quam S. Patriarchæ atq; Prophetæ ante incarnationem filij DEI diuinitus acceperunt, quam etiam sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt*, &c.

&c. *Vnum Deum prædicat Trinitatem.*

INSVPER. Nec alia nec diuersa fuit fides Synagogæ à fide Ecclesiæ. Ergo vna & eadem. ANT: Alietas enim hæc & diuersitas, argueret alterutrius falsitatem, duæ enim fides veræ, sicut & duo dij nec possunt dici nec debent. CONFIRM: Si aliquid diuersitatis intercederet inter fidem Synagogæ & Ecclesiæ, id ex eo proueniret, quòd Synagoga futurum, Ecclesia factum credit, & quòd Synagoga implicitè, Ecclesia credit explicitè: Synagoga implicitè, & sub vmbris figurarum Mysterium Trinitatis, Ecclesia palam & explicite credit & confitetur; porrò ista nullam diuersitatem in substantia fidei conuincant, *Vna enim & eadem est fides diuersis verbis à nobis & ab eis significata*, vt docet D. Thom: 1. 2æ. q. 103. art. 4. maximè vbi idem materiale & formale in credendo. 51. D. Thom:

DICES. 1: Vnitati fidei attestatur vnitas legis. Ergo etiam diuersitas legis, attestatur diuersitati fidei. Sed Synagogæ & Ecclesiæ diuersa lex, illa vetus, hæc noua, quod ex diuersitate sacerdotij probat Apostolus Hebr. 7. d. *Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis fiat translatio.* Ergo Synagogæ & Ecclesiæ alia atq; diuersa fides, ℞. Sicut lex vetus quæ fuit Synagogæ non est omnino diuersa à lege noua, quæ est Ecclesiæ, quia non ordinantur ad diuersos fines sed ad eundem, vt scilicet homines subdantur DEO, vt ait D. Thom: 1. 2æ. q. 107. art 1. c. differunt solùm accidentaliter, secundum perfectum & imperfectum, vt vir & puer. Gal: 3. prout lex noua propinquiùs ordinat homines ad DEVM, quàm vetus. Ita quoq; fides Synagogæ & Ecclesiæ non est diuersa, est autem differentia tantùm secundùm statum, quia alium statum in Synagoga habuit, alium in Ecclesia, ibi futuri, hic præsentis. 52. D. Thom:

DICES. 2. Vna fides vnam constituit Ecclesiam, sed Synagoga cum Christiano populo non est vna Ecclesia, Ergo non est vna fides Ecclesiæ & Synagogæ. MIN: CHRISTVS est caput Ecclesiæ gentium, sed non fuit caput Synagogæ; neq; enim homines illi in Synagoga pertinebant ad corpus Christi, quia vtebantur sacramentis illius temporis, quæ comparantur ad CHRISTVM, sicut vmbra ad corpus. Coloss: 2. *Sunt inquit vmbra futurorum, corpus autem Christi*, Ergo Synagoga non pertinebat ad vnitatem Ecclesiæ populi Christiani, ℞. neg: MIN: nam corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus qui fuerunt à principio mundi vsq; ad finem ipsius, ait D. Thom: 3. p. q. 8. art: 3. c. Ad prob: d. quamuis homines illi in Syna- 53. D. Thom:

Synagoga vterentur Sacramentis illius temporis, quæ vmbræ dicebantur in comparatione ad CHRISTVM, non tamen in illis insistebant, sed ferebantur in CHRISTVM per fidem & dilectionem eandem, quâ & nos in ipsum ferimur, ac proinde pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ ad quod nos pertinemus, cuius corporis caput est CHRISTVS, regens Ecclesiam, quæ fuit ab initio mundi vsq; ad finem.

54. DICES. 3. In Synagoga nullâ fuit fides, Ergo nec vna cum Fide Ecclesiæ. ANT: patet, ex Apostolo Gal: 3. qui Synagogam ostendit sine fide fuisse. d. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.* Et paucis interpositis de Ecclesiæ statu pronuntiat. *At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Ergo in Synagoga non fuit vlla fides, sed expectabatur in Ecclesia futura. ℟. neg: ANT: Ad locum Apostoli: d. non excludit ille fidem à Synagoga, sed dicit quòd lex vetus, quæ data fuit Synagogæ cum suis obseruantijs, neminem poterat ad perfectum adducere, sed fides in CHRISTVM, hinc præmisit: *Si data esset lex quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia, sed conclusit omnia scriptura sub peccato, vt promißio ex fide Iesu Christi daretur credentibus*, proinde priusquam impleretur id, quod credebatur de CHRISTO, sub lege inquit continebamur, tanquam pueri sub pædagogo vt per legis reprehensionem formaremur, & præpararemur ad fidem, libertatem & iustitiam per CHRISTVM dandam, iuxta sensum Anselmi & Theophilacti. Expectabatur ergo fides, id est promissiones implendæ fidelibus.

Anselm: Theophilact.

55. DICES. 4. Confessio est actus fidei; ita enim Gloss. interlin. in 2. Thess. 1. confessionem appellat propriè opus fidei. Et rationem assignat D. Thom: 2. 2æ. q. 3. art. 1. c. dicens quia confessio eorum quæ sunt fidei, secundùm suam speciem ordinatur sicut ad finem ad id, quod est fidei. Ergo vbi non est vna confessio, non est vna fides, sed non est vna confessio in Ecclesia & in Synagoga, nam quod Ecclesia confitetur factum, Synagoga confitebatur futurum. Ergo non est vna fides in Ecclesia & Synagoga. ℟. Differentia præteriti & futuri, non inducit diuersitatem confessionis aut fidei, non enim contingit ex aliqua diuersitate rei creditæ, sed ex diuersa habitudine credentium ad vnam rem creditam, quia alij erant in expectatione, alij iam sunt in possessione. Et hinc soluitur ratio dubitationis in principio proposita.

Gloss. D.Thom: August: Tract: 45. in Ioan. ante medium.

ROGABIS. Cur ergo Synagoga dicitur vmbra fuisse Ecclesiæ? ℟.

Quamuis Synagoga dicatur vmbra fuisse Ecclesiæ quod in principio positum est, & ita ponit Cardinalis Hosius lib: 2. contra Brent: per hoc tamen Synagoga non excluditur ab eadem fide cum Ecclesia: sed ideo eo nomine censetur, quia quod illa implicitè & sub velamine credebat, hoc Ecclesia explicitè, & iam velamine sublato confitetur. Deinde quia obseruantia suarum ceremoniarum, tanquam vmbrá, aliquid solidum in Ecclesia futurum significabat, quem sensum videtur innuere Apostolus Coloss: 2. d. *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.* Hosius.

MEMBRVM VII.

An Sacramentorum vsus ab Ecclesia sit separabilis?

Idem est ac si quæratur, an Ecclesia sine vsu Sacramentorum consistere & conseruari possit? Pro quo COLLIGITVR. Sacramentorum vsus ab Ecclesia separari non potest. Est doctrina Catholica. PATET. 1. Fulcitur Ecclesia Sacramentorum vsu & administratione, quod ita Catechismus Parochorum ostendit. *Totum Christianum ædificium (id est Ecclesia) firmissimo quidem lapidis angularis fundamento innititur, verum nisi verbi Dei prædicatione & Sacramentorum vsu vndiq; fulciatur, magnopere verendum est, ne magna ex parte labefactatum concedat.* Ergo vsus Sacramentorum ab Ecclesia, absq; ipsius iactura & detrimento abesse non potest. 57. Cathechis: Paroch. de Sacram in genere.

DEINDE. Ecclesia sine illis rebus, quibus salus & iustitia comparatur esse non potest: porrò Sacramenta sunt de genere rerum illarum; nam & CHRISTI passionis per illa participes efficimur, seu quod idem est, per Sacramenta CHRISTI passio hominibus applicatur, vt D. Thom: 3. p. q. 61. art. 1. 3m. dicit, sunt enim ab ipso CHRISTO instituta ceu organa & vasa gratiæ sanctificantis. Hinc ipse Ioan: 3. dixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* 58. D. Thom:

PRÆTEREA. Vsu & administratione Sacramentorum Ecclesia formatur & sanctificatur: id enim illud opus formationis & ædificationis Euæ de costa Adæ significare, docet Magister sent: lib: 2. dist: 18. d. *Sicut mulier de latere viri dormientis formata est, ita Ecclesia ex Sacramentis, quæ de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt, scilicet sanguine & aqua, quibus redimimur à* 59. Magister Senten.

pœnis, atq; abluimur à culpis.

60. Insvper. Qvo Ecclesia propagatur & conseruatur, id ab ea separari nequit. Atqui vsu Sacramentorum propagatur, dùm per baptismum gentes Ecclesiæ adunantur: crescit, augmentatur & conseruatur frequenti vsu

D. Thom: Eucharistiæ, vt docet D. Thom: 3. p. q. 79. art: 1. c. Vnde Catechismus
Cathech. Paroch. Paroch: vbi supra. *Si* inquit *fideles præsertim pœnitentiæ & Eucharistiæ saluberrimo vsu aliquandiu careant, plurimum damni se fecisse existiment.*

61. Deniq; Ecclesia sine regimine esse non potest, sine quo omnia confusa, & interritui proxima, sed ex vsu Sacramentorum regimen Ecclesiæ, dependet, per quæ alij presbyteri, alij Episcopi constituerunt ad regimen Ecclesiæ, quos ita commonet S. Paulus Act: 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.* Et sine Episcopis

Cypr. quidem Ecclesia esse non potest, vt docet S. Cypr: lib: 4. epist: 9. apud
S. Hieron: Hosium lib: 5. contra Brent: Et S. Hieron: contra Luciferian. *Ecclesia* inquit *non est, quæ non habet sacerdotes*: nam ipse Christvs Ecclesiæ suæ dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Pastores & Doctores, &c. Ast per vsum & administrationem Sacramenti ordinis sacerdotes constituuntur. Ergo sine vsu Sacramentorum Ecclesia esse

D. Thom: non potest. Hinc D. Thom: 3. p. q. 65. art. 4. c. loquens de Sacramentis simpliciter necessarijs, de Sacramento Ordinis ita pronuntiat. *Sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia vbi non est gubernator populus corruet.* vt dicitur prou: 11.

62. Postremo. Quod ad definitionem Ecclesiæ pertinet, & quo continetur vnitas Ecclesiastica, illud ab Ecclesia separari non potest. Sed vsus & communicatio Sacramentorum ad definitionem Ecclesiæ pertinet: Ecclesia enim est cœtus hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, vt in principio dictum est. Not: 1. Vnitas quoq; Ecclesiæ vsu & communione Sacramentorum continetur, quod de Eucharistia ostendit D. Thom: 3. p. q. 73. art: 2. vbi vni-

D. Thom: tatem Sacramenti Eucharistiæ probat ex vnitate Ecclesiæ, cuius vnitatis Ecclesiasticæ, Eucharistia est Sacramentũ seu signum. Ita enim in argum: Sed contra, allegans illa verba Apostoli 1. Cor. 10. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus*: Subiungit S. Doctor. d. *Ex quo patet quod Eucharistia est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis.* q. d. Nos Christiani quicunq; de vno pane id est corpore Domini, & de vno calice, id

est Sanguine Domini communicamus, hoc ipso cum CHRISTO Domino, & inter nos societatem sanctæ religionis habemus atq; fouemus, adeoq; vnum inter nos & cum illo tanquam capite mysticum corpus efficimur. Ergo sine vsu & communione Sacramentorum Ecclesia esse non potest.

DICES. 1. Sacramenta non sunt simpliciter Ecclesiæ necessaria, Ergo vsus illorum potest ab Ecclesia separari. ANT: potest sine illis haberi, quod per illa habetur. Ergo non sunt simpliciter necessaria, ANT: Sacramenta ad hoc adhibentur vt fidem excitent & nutriant. Atqui sine Sacramentis per solum verbum potest fides gigni, excitari, nutriri & augeri. Ergo potest sine illis haberi quod per illa habetur. ℞ neg: ANT: nam baptismus in primis posita diuina institutione, simpliciter omnibus est necessarius necessitate medij; pœnitentia similiter omnibus, qui post baptismum mortaliter peccauerunt: & ordo Ecclesiæ in vniuersum, vt docet D. Thom: 3. p. q. 65. art: 4. c. & Bellarm: lib: 1. de Sacram: in genere Cap: 22. Ad prob. d. Hæretici docent Sacramenta ad hoc solùm adhiberi, vt fidem excitent, cæterùm solam fidem iustificare. Ast illorum dogma falsum est; sunt quidem Sacramenta omnia quædam fidei protestationes, vt ait. D. Thom: q. 72. art. 5. 2m. per illa tamen etiam iustificationis gratia immediate nobis confertur. Nec verò id totum fidei soli imputandum, quidquid gratiæ iustificantis nobis per Sacramenta confertur, vt vult Caluinus, cùm hoc virtuti ipsorum Sacramentorum & Christi institutioni non fidei referendum sit, fides enim non tribuit vim Sacramentis, sed solùm disponit subiectum, vt sit capax gratiæ Sacramentalis: fides enim si adsit in aliquo quantumuis maximo, non tamen iustificat, nisi adsit etiam Sacramentum, vel in re, vel in voto. Quocirca vt iustificatio perseueret in Ecclesia, Sacramentorum vsus ab ea separari non potest. 63.

Concil: Trid. Sess. 6. Cap. 7. Et Sess. 7. can: 4. de Sacram in genere. D. Thom: Bellarm. D. Thom: Concil: Trid. Sess. 7. can. 5. 6. 7. 8. Caluin.

DICES 2. Quod fuerunt legalia Synagogæ, hoc sunt Sacramenta Ecclesiæ: quam analogiam inducit S. August: in Ps: 73. d. Sacramenta noui testamẽti dant salutem, Sacramẽta veteris testamenti promiserunt Saluatorem. Atqui legalia fuerũt à Synagoga separata: nam & circũcisio non fuit celebrata spatio annorum quadraginta, quo fuerunt Iudæi in deserto, vt habetur Iosue 5. Et postea 2. Paral: 15. iuxta prædictionẽ Azariæ. Transierũt multi dies in Israël absq; DEO vero, & absq; sacerdote, doctore, & absq; lege: profectò tunc fuerũt legalia à Synagoga separata, cùm lex non esset. Ergo etiam ab Ecclesia vsus Sacramentorum separari & auferri potest. ℞. nec legalia penitùs vn- 64.

quam separatæ fuerunt à Synagoga, nec vsus & communio Sacramentorum potest tolli ab Ecclesia. Quòd autem circumcisio illis quadraginta annis non fuit in deserto celebrata, per hoc non fuit separata à Synagoga, sed certis de causis, vt ibidem tangit scriptura ad certum tempus dilata. Quòd verò etiam separationem legis à Synagoga minatur Propheta, non de tota Synagoga loquitur, sed de parte, scilicet de regno Israël, in quo plurimi erant idololatræ: nam in illa parte Synagogæ potiore, quæ constabat regno Iuda, semper fuerunt legalia. Quanquam minùs nobis solicitandum de Synagoga, cuius status quia seruilis erat, secundùm quem ad tempus mansura fuit, scilicet ad CHRISTI aduentum, ideo cùm status seruilis Synagogæ sepultus esset, etiam legalia, quæ pro illo statu data ei fuerunt, cessare debuerunt. Ecclesia verò quia secundùm hunc statum quem modò habet, ad consummationem seculi perseueratura est, etiam Sacramenta quæ pro statu hoc illi data sunt, ab ea separari & alienari non possunt: quorum quanta sit dignitas & excellentia supra legalia, ipsa Augustini verba allegata declarant, ob quam causam, meritò dicamus, arctiùs cum Ecclesia connexa ipsius Sacramenta, quàm legalia cum Synagoga.

65. DICES. 3. Peruersus vsus Sacramentorum tantum est, quantum nullus vsus: nam peruersum tantum est, quantum non est. Atqui in Ecclesia peruertitur vsus Sacramentorum. Ergo abest. MIN: patet inductione in diuersis Sacramentis. Nam in primis baptismi vsus peruertitur, quando etiam campanæ baptizantur. Eucharistiæ peruertitur vsus, dùm calix populo subtrahitur, qui antiquitus concedebatur. In pœnitentia peruerti vsum palam est per auricularem & clanculariam confessionem. ℞. neg: MIN: Ad inductionem dicendum, Quantum ad baptismum, calumniam istam contra Ecclesiam euomuit Brentius, vt refert Hosius lib: 5. ast quilibet calumniam istam aduertere potest, qui considerat nunquam in Ecclesia fuisse vsum nec esse baptisandi campanas, sed benedicendi, sicut alia vtensilia ad gloriam DEI. Quantum ad Eucharistiam, cùm ex antiquo Ecclesia communicauerit laicos vna specie, tandem circa Annum MCDXII. Pragæ in Böemia à duobus Germanis, Petro Dresdensi, & Iacobello Misnensi introducta fuit controuersia de communione sub vtraq; specie, vt refert Bellarm: lib: 4. de Sacramen: Eucharistiæ cap: 20. quod nunc passim clamant Lutherani, Caluinistæ, & alia monstrosa portenta. Verùm nullo CHRISTI præcepto, vt sub vtraq; specie sumant, stringi laicos, fusè ostendit

Brent. Hosius. Bellarm:

Bellarm: cap: 24. & Ecclesia iustis & rationabilibus de causis, sub vna specie videlicet panis præcepit communionem, vt cap. 28. declarat; & infra conclusione 5. art: 3. in respons: ad 4m, argum: plura dicentur. Iam verò quod ad confessionem clancularian seu auricularem. Melchior Canus parte 6. Relect: de pœnit: inter errores Petri Oxoniensis recenset impugnatam ab eo secretam & auricularem confusionem, publicam probatam omnium peccatorum; idq; contra vsum ab Apostolis acceptum, quo peccata occulta per secretam confessionem semper ad aurem sacerdoti manifestabantur; atq; hoc modo à CHRISTO confessio fuisse instituta creditur: nam & ratio naturalis consulere monet famæ pœnitentis, per secretam & clanculariam confessionem, cuius fama prostitueretur, cum dispendio non solùm pœnitentis, sed etiam audientium, qui scandalis paterent, si occulta peccata publicè pronuntiata audirent. Melchior Canus. Petrus Oxoni.

MEMBRVM VIII.

Legitimus vsus Sacramentorum, sit ne vera nota Ecclesiæ?

Proteruè hæretici ex legitimo vsu Sacramentorum, apud se esse veram Ecclesiam ostendere & persuadere conantur, vt dicant verum & legitimum vsum Sacramentorum, veram esse notam Ecclesiæ, ita vt vbicunq; ille sit in toto orbe terrarum, ibi veram Ecclesiam Catholicam necesse sit consistere. Id de Brentio testatur Cardinalis Hosius lib. 5. Verùm contra friuolam hanc persuasionem COLLIGITVR. Verus & legitimus Sacramentorum vsus & administratio, veram Ecclesiæ notam non constituit Ita omnes Doctores Catholici. PATET I. Nota debet esse notior & clarior ea re, cuius est nota. Sed verus & legitimus vsus ac administratio Sacramentorum non est clarior Ecclesiá. Ergo non est vera nota ipsius. MAI: manifesta ex conditionibus & requisitis notarum. MIN: verò declaratur, quia Ecclesia iudicium fert de legitimo vsu Sacramentorum; neq; enim scire possumus, quis sit legitimus vsus Sacramentorum, nisi Ecclesia declarauerit; etenim quòd paruuli ad baptismum sunt admittendi: quòd in baptizando vocaliter debeant proferri verba formæ. Ego te baptizo, &c. quòd in Sacramento Confirmationis, debeat in fronte fieri vnctio cum signo crucis, & alia id genus quæ ad legitimum vsum & admini- 66. Hosius.

ſtrationem pertinent, non poteramus aliunde ſcire, niſi ex iudicio & declaratione Eccleſiæ, quæ ſenſum verborum ſcripturæ declarat, colligendo ex traditione & conſenſu Patrum Orthodoxorum. Non ergo vſus legitimus Sacramentorum Eccleſiâ, ſed contra Eccleſia notior & clarior eſt, vſu legitimo Sacramentorum.

67. DEINDE. Legitimum vſum Sacramentorum omnes ſibi ſectæ vendicant, quæ enim ſecta aliquando fuit, quæ id ſibi præ cæteris non arrogauerit? vt enim Ariani olim de ſinceritate verbi DEI gloriabantur, ita vt alios ab eo excluderent, ita Donatiſtæ legitimum vſum baptiſmi ſibi ipſis vendicabant, cæteros omnes excludendo. Nunc Lutherani cum Caluiniſtis, de vſu legitimo Euchariſtiæ ita digladiantur, vt & Lutherani Caluiniſtas, & contra Caluiniſtæ Lutheranos ab eo alienos eſſe pronuntient. Ergo vſus legitimus Sacramentorum, non poteſt conſtituere veram notam Eccleſiæ, de quo tot lites apud diuerſos ſemper excitantur, cùm vera nota debent eſſe propria vnius, & non communis multis.

68. DICES. Si vſus legitimus Sacramentorum, de numero notarum Eccleſiæ propterea eliminatur, quia eum ſibi arrogant diuerſæ ſectæ, pari ratione CATHOLICVM, vera nota Eccleſiæ eſſe non poteſt, quia id ſibi diuerſæ ſectæ vſurpant, quælibet enim ſe Catholicam vocare præſumit, vt notauit Lactant: lib: 4. diuinarum inſtitut: cap: 30. nam & Lutherus & Caluinus, & Brentius, & Oſiander, & Philippus Melanchton, qui ſuas factiones habent. Catholici vocari cupiunt, & ſuam quiſq; Eccleſiam Catholicam. Atqui nemo dixerit CATHOLICVM non eſſe veram Eccleſiæ notam, etiamſi id ſibi vſurpent diuerſæ ſectæ. Ergo nec vſus legitimus Sacramentorum de numero notarum Eccleſiæ ſecerni debet, licet eum ſibi quiſq; prærogет. ℞. Diſpar eſt longè vtriuſq; horum ratio, longè enim clariùs eſt, Catholicum non conuenire vllis hæreticorum ſectis, quàm legitimum vſum Sacramentorum, quem non cognoſcimus ſine declaratione veræ Eccleſiæ Catholicæ. Iam verò CATHOLICVM clarè cognoſcimus vni duntaxat conuenire Eccleſiæ. Nam quod hæretici ſua conuenticula Eccleſiam Catholicam dici volunt, CATHOLICVM ex alia integritate iam olim metiri tentabant, non ex eo quod per omnia loca, tempora, & nationes ſe extendant, ſi enim inde CATHOLICVM metiantur, (nam in hoc conſiſtit vera & propria ipſius ratio) ſciunt ſatis, ſtatim deprehendendum ſe non eſſe Catholicos. Ergo illi CATHOLICVM metiuntur

Lactant.

tur ex veritate doctrinæ & legitimo vſu Sacramentorum: ſed falluntur, nam veritas doctrinæ & legitimus vſus Sacramentorum, adeſſe Eccleſiæ intelligitur, ex eo potiùs, quòd in Symbolo dicatur ſancta, ſiue Deum ritè colens, quæ profectò ſancta non eſſet, ſi in cultu Dei atq; doctrina, & Sacramentorum vſu aberraret. Proinde licet ſuperbè id ſibi arrogent hæretici vt ſe Catholicos vocare præſumant, non tamen audent ſuam Eccleſiam Catholicam vocare, ſcientes quòd ſe non extendat ad omnia loca, tempora & nationes. Nam vt S. Auguſt: contra epiſtolam Manichæi dictam fundamenti cap. 4. d. *Quamuis omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audet oſtendere.* Auguſt:

MEMBRVM IX.

Sacramenta ſuntne propria Eccleſiæ?

Quæritur hîc, an Sacramenta ita ſint propria Eccleſiæ, vt extra eam poſitus, nemo eis legitimè vtatur aut miniſtret? pro quo COLLIGITVR. Sacramenta propria ſunt Eccleſiæ, tametſi interdum extra Eccleſiam reperiantur. Ita Bellarm: lib: 1. de Sacram: in genere, cap: 26. in reſponſ: ad 3m. argum: Patet 1. Quia Christvs Eccleſiæ dedit Sacramenta. Ergo illius ſunt propria. Ant: Christvs Eccleſiæ dedit virtutem paſſionis ſuæ, pro qua moriebatur. Epheſ: 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Ergo dedit & Sacramenta, quæ in virtute paſſionis ipſius operantur effectum. Confirm: Omnia bona ſua dedit Eccleſiæ vt ſponſus ſponſæ. Ergo dedit & Sacramenta. 69. Bellarm:

Deinde. In Sacramentorum adminiſtratione requiritur intentio Eccleſiæ tanquam neceſſaria, debet enim miniſtrans Sacramenta intendere agere, quod agit Eccleſia, vt docet D. Thom: 3. p. q. 64. art: 8. Bellarm: vbi ſupra cap: 27. & ita definiunt Concilia, Florent: in inſtructione Armen: Trident: Seſſ: 7. can: 11: vbi dicit. *Si quis dixerit in miniſtris, dùm Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, Anathema ſit.* Rationem aſſignat S. Doctor in reſponſione ad 2m. *quia inquit in adminiſtratione Sacramentorum, miniſter agit in perſona totius Eccleſiæ.* 70. D. Thom: Bellarm: Concil. Floren: Trident.

71. Præterea. Illud eſt proprium Eccleſiæ, quo Chriſtianæ fidei cultores ab infidelibus diſtinguuntur, atqui inter ſe ſancto quodam vinculo connectuntur, (iam verò ſola Eccleſia habet veræ & Chriſtianæ fidei cultores,
Cathechiſ: ſancto inter ſe vinculo connexos) Atqui Sacramenta vtrumq; præſtant, vt
Parochor. docet Catechiſmus Paroch. Ergo Sacramenta propria ſunt Eccleſiæ.

Insvper. In ſola Eccleſia Catholica Sacramenta ritè celebrantur, Ergo
72. illius ſunt propria. Ant: Ad hoc vt ritè Sacramenta miniſtrentur, requiritur non ſolùm vt conferatur Sacramentum, ſed etiam res Sacramenti, vtuè miniſtri dignè circa Adminiſtrationem ſuo fungantur officio. Hoc in ſola Eccleſia Catholica euenit; nam apud hæreticos licet aliqua Sacramenta conferantur, non tamen res Sacramenti, ſi quidem peccant accipientes Sa-
D. Thom: cramenta ab hæreticis manifeſtè præciſis, vt docet D. Thom: loco ſupra
Auguſtin. dicto, art: 9. 2m. propterea S. Auguſt: de fide ad petram cap. 36. *Firmiſſimè* inquit *tene, & nullatenus dubites extra Eccleſiam baptizatis, ſi ad Eccleſiam non redierint, baptiſmo cumulari perniciem*: Deinde hæreticus dignè Sacramenta adminiſtrare non poteſt, indignè enim fungitur officio, quo nonniſi iuſtos, fungi conuenit, nam miniſter Sacramentorum, Christo conformari debet, quomodo autem conformatur capiti, qui diuiſus eſt à corpore.

73. Dices 1. Quod commune eſt multis, non eſt vnius proprium, Sed ſacramenta ſunt communia multis. Ergo non ſunt Eccleſiæ propria. Min: Patet. quia ſunt communia ſectis ab Eccleſia alienis, quæ vtuntur Sacramentis à Christo inſtitutis. ℞. 1. nulla ſecta vnquam fuit, quæ conſtanter ſeruârit eum numerum Sacramentorum, quem Eccleſia ſemper ſeruat & retinet, nam vt plurimum, minore numero Sacramentorum ſectæ ab Eccleſia alienæ contentæ eſſe volunt. ℞. 2. Sectæ vtentes Sacramentis, non tanquam proprijs bonis vtuntur, ſed alienis videlicet Eccleſiæ, non enim propter ſectas Christvs Sacramenta inſtituit, ſed propter Eccleſiam, ſectarios verò indignos Sacramentis iudicauit. Matth: 7. d. Nolite ſanctum dare canibus.

74. Dices. 2. Ex quo Eccleſia diſpenſat Sacramenta ſunt ipſius. Sed etiam hæretici Sacramenta diſpenſant. Ergo pari ratione ſunt ipſorum. ℞. Argumentum laborat fallacia æquiuocationis in verbo diſpenſare: aliter enim diſpenſat Eccleſia Sacramenta, aliter ſectarij. Eccleſia diſpenſat Sacramenta ritè & legitimè, ſibi enim ſunt tradita ad diſpenſandum, proinde ipſius ſunt, hæretici diſpenſant illegitimè, non enim illis tradita ſunt ad di-

ſpenſandum, ſed ipſi contra fas, id ſibi arrogant, vnde non poſſunt dici ipſorum. Cum ergo inueniuntur aliqua apud hæreticos, tanquam apud profugas inueniuntur, vt ait S. Auguſt: in fine lib: 1. de Symb: ad Cathechum: *Hæretici* inquit *Baptiſmum non mutamus, quare? quia ſic habent baptiſmum, quomodo deſertor habet characterem, ita & iſti habent baptiſmum: habent ſed vnde damnentur, non vnde coronentur.* Auguſt:

COROLLARIVM 5.

Purum Dei verbum, & legitimus Sacramentorum vſus, conſtituunt eſſentiam Eccleſiæ; ideo notarum rationem habere non poſſunt, aliâs enim idem ſui nota dici & conſtitui poſſet.

Cùm iſtis duobus, maximè ſemper glorientur hæretici, (quæ tamen minimè apud ipſos inueniuntur) ſcilicet puro Dei verbo, & legitimo Sacramentorum vſu, ex iſtis apud ſe veram eſſe Eccleſiam euidenter monſtrare contendunt. Nam Ariani vſq; adeò purum Dei verbum ſibimetipſis arrogabant, vt cæteros omnes ab eius conſortio excluderent. Legitimum vſum baptiſmi ita ſibi Anabaptiſtæ vendicabant, vt reliquos omnes in hac cauſa condemnarent. Lutherani cum Caluiniſtis legitimum vſum Euchariſtiæ ſibi præripiunt. Et hoc nomine iſti apud ſe eſſe Eccleſiam oſtendere laborant, quæ tanquam commentitia in præſenti Corollario improbantur. Verùm quo commodiùs difficultas expediatur, per membra ſubiecta partiatur. Sit igitur. I.

MEMBRVM I.

An purum Dei verbum, ſit nota Eccleſiæ?

Purum Dei verbum, & ſinceram Euangelij prædicationem, ſicut eam tradidit prophetica & Apoſtolica ſcriptura, ita certam notam Eccleſiæ volunt eſſe hæretici, vt vbicunq; in toto orbe terrarum hæc peraguntur, ibi veram eſſe Eccleſiam Catholicam iudicandum ſit. Et hanc doctrinam ſeu errorem Auguſtanæ Confeſſionis art: 6. Wirtembergenſis cap. de Eccleſia, Caluini lib: 4. inſtitut: cap: 1. Magdeburgenſium Centuria 1. oſtendit Bellarm: Confeſſ. Auguſt: Wirtembergen: Caluin. Bellarm:

in lib: de notis Eccl: cap: 2. Sed pro veritate Catholica COLLIGITVR. Purum DEI verbum, & sinceram Euangelij prædicationem, non esse tam certam Ecclesiæ notam, vt hæretici volunt. Ita Cardinalis Hosius lib: 5. contra Brent: Martinus Peresius de Traditionibus. Assert: 5. Bellarm: loco dicto. PATET 1. ex ratione quam tangit Hosius. nempe, notæ Ecclesiæ illæ certæ sunt, quas sibi nulla hæresis arrogare possit: id est notæ non debent esse communes, vt sæpiùs dico: nam quod commune multis est, nota certa vnius esse non potest. Atqui purum DEI verbum, & sinceram Euangelij prædicationem omnes hæreses sibi arrogant. Ergo non sunt certa signa & notæ Ecclesiæ veræ.

Hosius. Peresius. Bellarm:

DEINDE. Ex notis cognoscitur Ecclesia clarè & sensibiliter, Sed ex puro DEI verbo & sincera Euagelij prædicatione, non potest adeo clarè, perfectè & sensibiliter cognosci. Ergo non sunt certæ notæ Ecclesiæ. MAI: patet, quia Ecclesia cùm sit clara & sensibilis, tales poscit notas, per quas clarè & sensibiliter cognoscatur. MIN: Purum DEI verbum & sincera Euangelij prædicatio per Ecclesiam cognoscuntur. Ergo non Ecclesia ex ipsis, ANT: patet, nam Ecclesia cognita testificatur de puro DEI verbo, & sincera Euangelij prædicatione, docens quod sit purum DEI verbum, & sincera Euangelij prædicatio. Sicut ex illo Isai: 2. colligi potest, vbi de Ecclesia, d. *Erit præparatus mons domus Domini supra verticem montium, & fluent ad eum omnes gentes, & dicent venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas.* Priùs ergo videnda est domus DEI Iacob, id est Ecclesia, & venientes ad eam discunt ab ea doctrinam DEI, de quo antiqui Patres, Iren: lib: 3. cap. 4. *Quid* inquit, *& si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuisset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab eis sumere de præsenti quæstione, quod certum & re liquidum est?* Tertull: de præscript: *Quid* inquit *prædicauerint Apostoli, quid illis Christus reuelauerit, & hic perscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.* Hic manifestè ostendunt Patres, purum DEI verbum, & sinceram Euangelij prædicationem, per authoritatem Ecclesiæ debere cognosci, non contra Ecclesiam per purum DEI verbum & sinceram Euangelij prædicationem. Confirm: 1. ex Apostolo 1. Tim: 3. vbi Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis, quia videlicet ab ipsa peti debet cognitio veræ doctrinæ, puri verbi DEI, & sinceræ Euangelij prædicationis, vt potè quia Ecclesia in doctrina fidei errare non potest,

2. Iren: Tertull:

quæ vt columna per se in veritate firma est & solida, vt possit alios in ea confirmare. Confirm: 2. quia vera prædicatio est simul interpretatio veræ scripturæ diuinæ; quæ sit autem vera scriptura, & quis eius verus sensus, scire non possumus, nisi ex testimonio veræ Eclesiæ, vt S. August: docet, tum in lib: contra Epist: fundam: tùm de vtilitate credendi, cap: 14. imò ipsi hæretici consentiunt Ecclesiam habere ius testificandi de vera scriptura, & interpretandi veram scripturam, ita Brent: in Confess: Wirtemberg: Caluin: lib: 4. instit: c. 1. August. Brent. Caluin:

PRÆTEREA. Quod constituit essentiam rei; non potest esse nota ipsius: 3.
tùm quia notæ non debent sumi ex essentialibus, vt in conclusione præcedenti manet determinatum; tùm quia, idem suijpsius nota esset, quod nefas. Atqui purum DEI verbum, & sincera Euangelij prædicatio constituunt essentiam Ecclesiæ. Ergo non possunt esse notæ ipsius.

INSVPER. Ecclesia notior est quàm purum DEI verbum, & sincera Euan- 4.
gelij prædicatio. Ergo ista non possunt esse notæ ipsius. ANT: patet, quia Ecclesia de istis iudicat, vt declarat Tertullianus de præscript: aduersus hæreticos. Quod inquit prædicauerunt Apostoli, & quod illis CHRISTVS reuelauit, non aliter probari debet, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Et Iren: lib: 5. cap: 20. docens ab Ecclesia pendere cognitionem Verbi DEI, sic ait, *Huic creditum est lumen Dei & propter hoc sapientia Dei, per quam saluat homines in exitu canitur, In plateis autem fiducialiter agit. In summis muris prædicatur. In portis autem ciuitatis constanter loquitur, Vbiq; enim Ecclesia prædicat veritatem & hæc est* ἑπτάμυχος *lucerna Christi lumen baiulans.* Tertull: Iren:

DICES. Sicut se res habet ad esse ita ad cognosci ex 2. Metaph: Tex: 4. 5.
Sed Ecclesia habet esse per purum DEI verbum & sinceram Euangelij prædicationem, cùm ipsius essentiam constituant. Ergo & cognoscitur per ista, ac proinde sunt ipsius veræ notæ. ℞. duplex est cognitio rei. An sit & Quid sit, per essentialia ergo principia cognoscitur Quid sit, aliunde verò An sit: cùm notas inquirimus Ecclesiæ, non id ab ipsis expectamus, vt nos doceant cognoscere quid sit Ecclesia. Sed an sit, id est quæ sit vera, an ista quam demonstramus.

MEMBRVM II.

An purum Dei verbum, Ecclesiæ constituat essentiam?

D. Bonauent: in 1. dist. 3. D. Thom: Dicitur aliquid essentiale, sine quo non potest res esse, aut intelligi esse, aut cogitari habere perfectum esse. Vocant autem essentiam illud, cuius actus est esse, vt innuit D. Thom: 1. p. q. 19. art: 2. 3m. Ecclesiæ ergo essentiam dùm speculamur, quærimus an purum Dei verbum ad illam conferat, pro quo COLLIGITVR. Purum Dei verbum ad constituendam Ec-
6. clesiæ essentiam, rectè concurrere decernitur. Patet 1. Ad constituendam rei essentiam spectat, quo res ipsa fulcitur & fundatur. Sed puro Dei verbo (quod nullo sit deprauatum adulterino sensu & interpretatione) & sincera Euangelij prædicatione fulcitur & fundatur Ecclesia. Fundatur quidem iuxta illud. Ephes: 2. *Superædificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*: hoc enim fundamentum est purum Dei verbum à Prophetis & Apostolis prædicatum. Quòd verò etiam fulciatur Ecclesia eodem puro Dei verbo & prædicatione, docet Cathechismus Parochorum in tractatu de Sacram: & nemo in controuersiam vocauerit.

7. Deinde. Sine quo, nec esse, nec cogitari habere perfectum esse, potest Ecclesia, illud est ipsi essentiale & ad constituendam eius essentiam concurrit; eiusmodi autem est purum Dei verbum: nam sicut adulterinum verbum, commentitia expositione profanatum Synagogam satanæ constituit, ita purum Dei verbum, non nisi in vera Dei Ecclesia: quod non in legendo, sed in intelligendo consistit, vt S. Hilar: ad Constantiam, dicit: non po-
Hilar. test enim Extra Ecclesiam sana intelligentia verbi Dei haberi, quæ datur
Iren: lib: 3. c. 4. per Spiritum veritatis, per os Ecclesiæ loquentem. Et quisquis sana mente cogitat veram Dei Ecclesiam, protinus menti illius occurrit ille fidelium cœtus, in quo viget purum Dei verbum; imò sicut sine rationali aut animali non potest cogitari homo habere perfectum esse, ita nec Ecclesia vera sine puro Dei verbo.

Dices. Sine puro Dei verbo Ecclesia consistit. Ergo illud ad eius es-
8. sentiam constituendam non concurrit. Ant: Verbum Dei quod est in Ecclesia non est purum. Ergo sine puro Dei verbo &c. Ant: Purum est, quod non habet admixtionem alterius: nam *intus existens prohibet extraneum*. ex 3. de anima Tex: 4. Atqui verbum Dei in Ecclesia habet admixtionem alterius & extranei : seu quod idem est. Ecclesia ad verbum Dei addit extraneum, vt potè traditiones, subinde expositiones Patrum & Conciliorum: quod quidem vetitum est Deuter: 4. *Non addetis* inquit *ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*. Et Apoc: 22. *Si quis apposuerit ad*

hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Ergo verbum Dei quod est in Ecclesia, seu quod habet Ecclesia non est purum. ℞. neg: Ant: Ad prob: d. quando traditiones adduntur ad verbum Dei scriptum, non tanquam extraneum aliquid adduntur, aut contrarium verbo Dei scripto, sed vt illud, per quod clarius fit ipsum verbum Dei scriptum, quodue complet ea quæ desunt verbo Dei scripto: neq; etiam arctatur purum Dei verbum limitibus scripturæ, verùm aliud scriptum, aliud non scriptum est. Et Apostolicæ quidem traditiones, quæ semper in Ecclesia obseruantur, non minoris momenti & authoritatis, quàm quæ scripta sunt, censeri debent, quas præcipit Apostolus obseruare. 2. Thess: 2. d. *State & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam.* Et 1. cor: 11. laudat eo nomine Ecclesiam Corinthianam, quòd sedula fuerit in retinendis traditionibus. Porrò 2. Thess: 3. monet vitandum omnem fratrem, qui non ambulat secundùm traditionem acceptam ab Apostolis. S. Cyprianus tàm commendat Apostolicas traditiones, vt dicat non minùs ratum esse, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod Christus ipse. Super hoc addit Nicæna Synodus, oportere nos Ecclesiasticas traditiones, siue scripto, siue consuetudine in Ecclesia retentas vnanimiter & inuiolabiliter obseruare. Porrò S. Basilius in lib. de Spiritu sancto capit. 27. tantum pondus traditionibus tribuit, vt dicat. *Si instituta consuetudinesq; non scriptas, tanquam in eis vis magna non insit, simul repudiare aggrediamur, clam & pedetentim ratas ipsas Euangelij sententias improbabimus.* Præclarè Iren: lib: 3. cap. 4. *Quid autem* inquit, *si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias?* &c. Quòd si verò alicubi vetatur addito ad verbum Dei scriptum, non omnis additio est intelligenda, sed falsa, commentitia, verbo scripto contraria. Quantum ad expositiones Patrum & Conciliorum, d. tùm demum purum Dei verbum accipimus, quando eo sensu, quo Concilia & Sancti Patres interpretati sunt, accipimus: nam alio sensu accipere quàm Sancti Patres & Concilia tradiderunt, non est purum Dei verbum accipere, sed potius pro verbo Dei, verbum diaboli, vt lib: 5. contra Brent: ante medium libri Cardinalis Hosius dicit. Et ille verè Catholicus est, qui non aliter scripturam interpretatur, quàm Patres Catholici & Concilia semper exponunt. Et hoc maximè discernit Catholicum & hæreticum, quòd Catholicus non aliter verbum scriptum recepit, nisi

Cypr.

Nicænum Concil:

Basil:

Iren.

Hosius.

nisi vt à Patribus & Concilijs exponitur, hæreticus autem in exponendo proprium Spiritum & priuatam persuasionem sequitur.

9. INSTABIS. In exponendis scripturis non spiritum hominum, quales sunt Patres & Concilia. Sed Spiritum CHRISTI sequi oportet; non enim voluntate humana allata est prophetia, haud etiam spiritu humano exponi debet, vt argumentatur Apostolus 2. Petr. 1. ℟. Ecclesiæ, hoc est Patrum & Conciliorum Spiritum, nemo vnquam fidelium dubitauit esse Spiritum CHRISTI: nam cùm Ecclesia sit corpus CHRISTI, CHRISTVS autem caput huius corporis, fieri non potest, quin capitis & corporis vnus atq; idem sit Spiritus. Itaq; qui sequitur in exponendis scripturis Spiritum Patrum & Conciliorum, Spiritum sequitur CHRISTI.

MEMBRVM III.

An legitimus Sacramentorum vsus, sit de essentia Ecclesiæ?

10. Sacramentorum legitimus vsus, essentialiter contingit Ecclesiam. PATET 1. Quia Ecclesia sicut per purum DEI verbum, ita per legitimum vsum Sa-
S. Bonau. cramentorum fundatur, ita enim S. Bonauentura in 2. distin: 18. q. 1. considerans illud Magistri dicentis. De latere CHRISTI in cruce dormientis profluxerunt Sacramenta: per quæ inquit fundatur Ecclesia; palam itaq; est, Sacramentorum vsum, concernere essentiam Ecclesiæ.

11. DEINDE. Vnio & nexus membrorum cum capite CHRISTO & inter se est Ecclesiæ essentialis; siquidem citra connexionem istam & vnionem nullatenus consistere potest, sicut nec humanum corpus, nisi membra cum capite & inter se connexionem habeant. Sed vsu Sacramentorum membra
Cathech. Paroch: Ecclesiæ connectuntur cum CHRISTO, veluti sacris vinculis, vt dicit Catechismus Parochorum in explicatione noni articuli Symboli; inter se etiam copulantur. Nam in baptismo inprimis incorporamur CHRISTO, & dicimur induere CHRISTVM. Gal. 3. eodemq; Sacramento inuicem copulamur. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, atq; in hac connexione consolidamur, vsu Eucharistiæ, 1. cor: 10. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Manifestum ergò est, vsum legitimum Sacramentorum, essentialem esse Ecclesiæ.

Præterea. Essentiale illud dicitur, sine quo non potest res esse, nec intelligi, nec cogitari habere perfectum esse. Atqui sine vsu Sacramento- 12.
rum, non potest esse Ecclesia, nec cogitari, habere perfectum esse; sublato enim vsu Sacramentorum, interit Ecclesia: sublato videlicet vsu baptismi, per quem tanquam per ianuam in Ecclesiam ingredimur.

Dices. 1. Signis extrinsecis, non constat essentia rei; Atqui Sacramen- 13.
ta sunt signa extrinseca, vt est in confesso apud Theologos cum August: August.
lib: 10. de Ciuit: cap. 15. vbi in definitione Sacramenti, signum in recto ponitur. Ergo vsu Sacramentorum non continetur essentia Ecclesiæ. ℞. non implicat aliquid signum esse vnius, & essentiam alterius, Constituere: Sacramenta ergo sunt signa rememoratiua passionis Christi, gratiæ diuinæ demonstratiua & causatiua, futuræ gloriæ prognostica, vt docet S. Thom: D. Thom:
3. p. q. 6. art: 3. cum hoc tamen essentiam Ecclesiæ contingunt.

Dices 2. Essentialia ita sunt affixa rei, vt eam ab alijs discernant. 14.
Atqui vsus Sacramentorum non discernit Ecclesiam à sectis, quibus communis est; quælibet enim secta gloriatur vsu legitimo Sacramentorum, vt etiam sibi tanquam proprium vendicent. Anabaptistæ siquidem legiti- Anabaptistæ.
mum vsum baptismi præ cæteris sibi arrogabant. Caluinistæ vsum Eucha- Caluinistę
ristiæ, & sic de cæteris. ℞. Licet hæretici videantur vti Sacramentis, v- Luther.
sus tamen ille minimè legitimus est, vbi nihil constanter vniforme in Sacramentorum administratione, sed vicissitudinaria variatio: cùm & numerus ipse Sacramentorum apud ipsos non seruetur debitus, & in essentialibus Sacramentorum mutatio, tàm in forma quàm in materia, nam Luthe- Luther.
rus posse baptismum etiam in ceruisia administrari docuit. Caluinus non Caluin.
requiri intentionem ministri, & multa alia à verbo Dei aliena continet doctrina illorum de Sacramentis. Ecclesia verò iisdem Sacramentis semper constanter vtitur. Itaq; Ecclesia vsu Sacramentorum à sectis distinguitur: non quidem quoad claritatem, id enim potissimùm per notas extrinsecas obtinet, distinguitur tamen per vsum Sacramentorum quoad firmitatem.

Dices. 3. Quod rei essentiam contingit, non potest ab ipsa separi. 15.
Atqui legitimus vsus Sacramentorum separatur ab Ecclesia: nam Corinthiana Ecclesia non rectè tractabat vsum Eucharistiæ, vt patet 1. cor. 11. Similiter Africanæ Ecclesiæ sub Cypriano baptismum præpostere administrabant. Ergo legitimus vsus Sacramentorum non contingit essentiam

Ecclesiæ. ℟. Aliud est loqui de particulari aliqua Ecclesia, quales fuerunt Corinthiana & Africana, aliud verò de vniuersali Ecclesia. Deinde aliud est ad tempus ignorare, aliud in perpetuum à recto vsu separari. Ecclesiæ itaq; Corinthiana & Africana, ad tempus legitimum vsum Sacramentorum ignorârunt, non tamen in perpetuum ab eo separatæ fuerunt nam ignorantia superata legitimum vsum deinceps seruauerunt.

MEMBRVM IV.

An repugnet aliquid sui notam constitui?

16. Huic dubio vltima verba Corollarij occasionem dederunt, vt inquiratur si idem sui nota constitui possit. Pro quo COLLIGITVR. Aliquid sui notam constitui, est contra rationem notæ. PATET. 1. Est de ratione notæ vt sit notior & clarior ea re cuius est nota, vt in principio dictum est. Atqui nihil potest esse notius & clarius seipso, Ergo.

17. DEINDE. Nota est aliquid aliud à re cuius est nota, Atqui nihil potest esse aliud à seipso. Ergo nihil potest esse suijpsius nota, PROPOSITIO manifesta, si enim nota non esset aliquid aliud à re cuius est nota, aliquid esset notius seipso; quod proximè improbatur. SEQVELA liquet. quia illud est notius, quod ducit in cognitionem alterius ignoti: Ergo si nota non esset aliquid aliud à re cuius est nota, aliquid esset notius seipso, quia duceret in cognitionem suijpsius ignoti.

18. PRÆTEREA. Si aliquid sui nota esset, aliquid esset accidens suum, & sibi extrinsecus adueniens; quia notæ sunt accidentia extrinsecus rei quam denotant aduenientia. Atqui nihil est suum accidens, sibi extrinsecus adueniens. Ergo

19. INSVPER. Nota priùs eo venit in cognitionem cuius est nota; nihil autem potest venire in cognitionem prius seipso.

20. DICES. Cognoscitur aliquid per seipsum, quia & ignem cognoscimus per seipsum eo quòd vrit, & aquam per seipsam eo quòd refrigerando humectat. Ergo aliquid nota suijpsius constitui potest. ℟. Cùm de ratione notæ sit, vt & aliquid aliud sit à re cuius est nota, & priùs veniat in cognitionem, clariorq; sit reipsa: nihil omnino suijpsius nota constitui potest. Quòd si aliquid cognosceretur per seipsum, iam talis cognitio non posset dici

dici per notam proprie dictam, ſed tanquam per aliud medium. Quòd verò de experimentali cognitione ignis & aquæ adfertur, etiam illa non cognoſcuntur per ſeipſa, ſed per accidentia caloris, frigoris, &c.

CONCLVSIO III.

QVibus notis inuenitur & iudicatur vera CHRISTI in terris Eccleſia, iiſdem & cognoſcitur & diſcernitur ab ijs congregationibus, quæ tales non ſunt.

VERITAS concluſionis manifeſtè liquet; dùm idem eſt motus in iudicium rei, & diſcrimen eius ab alijs. Qua enim ratione ſe habet inuentio & iudicatio Socratis ad cognitionem & diſcrimen eius ab alijs hominibus, eadem ratione ſe habet inuentio & iudicatio veræ Eccleſiæ, ad eius cognitionem & diſcrimen ab ijs congregationibus, quæ non ſunt tales: porrò per eadem ſigna & principia indiuiduantia cognoſcitur Socrates & diſcernitur ab alijs hominibus, per quæ inuenitur & iudicatur. Ergo & Eccleſia vera per quas notas inuenitur & iudicatur, per eaſdem cognoſcitur & diſcernitur à falſis. CONFIRM: quia ſicut ad cognoſcendum hunc Socratem ſingularem hominem & diſcernendum ab alijs, ſufficiunt ea principia quib⁹ inuenitur & iudicatur, ita quoq; ad cognoſcendam veram Eccleſiam & diſcernendam à falſis conuenticulis, ſufficiunt ea ſigna & notæ quibus inuenitur & iudicatur. 1.

DICES. Inuenitur per extrinſeca, cognoſcitur & diſcernitur per intrinſeca eam conſtituentia. Ergo non iiſdem notis inuenitur atq; inuenta cognoſcitur & diſcernitur. ℞. Si inuenta cognoſcitur & diſcernitur per intrinſeca quoad firmitatem, non tanquam per alias notas, quia iſta intrinſeca, non conſtituunt notas, proinde nec alias notas ab ijs quibus inuenitur, ſed ſunt aliquid aliud à notis. Hic autem dicitur, quòd non alijs notis cognoſcitur & diſcernitur, quàm quibus etiam inuenitur & iudicatur. Sed pro expeditiori explicatione. Sit 2.

ARTICVLVS I.

An detur certa ratio inueniendi & iudicandi veram Ecclesiam?

Negatiuæ parti videtur ſubſcribendum his rationibus. 1. Si daretur aliqua
certa ratio inueniendi & iudicandi veram Eccleſiam, non contingeret ab-
3. errare ab ea: id enim certum eſt, quod determinationem habet ad v-
num, nec permittit iudicium ad extranea flecti, cùm ipſum ſit euidens &
in manifeſto poſitum, id quod lib: 2. Metaph. cap. 1. confirmat Ariſtote-
les. d. *Ecquis ab oſtio aberret?* Atqui à vera Eccleſia paſſim aberrant multi
increduli. Ergo non datur certa ratio inueniendi & iudicandi veram in
terris Eccleſiam. 2. Illius inueniendi certa ratio datur quod inquiritur,
4. Sed Eccleſia vera non inquiritur. Ergo inueniendæ non datur certa ratio.
Min: Quod eſt vbiq; , viſibile & clarum, illud non quæritur, quia ſe vltro
obtutibus ingerit hominum. Atqui Eccleſia eſt vbiq; diffuſa, omnium ocu-
lis clara & manifeſtà expoſita. Ergo illa non quæritur. 3. Vel illa ratio
5. inueniendæ & iudicandæ Eccleſiæ ab intrinſecis illius, vel ab extrinſecis
eſſet petenda. Non ab intrinſecis, quia intrinſeca ſunt obſcura. Non ab
extrinſecis, quia talis ratio non valet pertingere ad indaginem veritatis,
cuius inueſtigatio difficilis, vt oſtendit Ariſt: in principio lib: 2. Metaph: &
Democritus in profundo demerſum dicit. Ergo non datur certa ratio in-
ueniendi & iudicandi veram in terris Eccleſiam. Deinde in oppoſitum
CONCLVDITVR. Eſt certa via & ratio, qua vera in terris Eccle-
6. ſia inuenitur & iudicatur. Hoc iudicium commune eſt omnium, qui cer-
tas Eccleſiæ aſſignant notas, quod etiam Patet. 1. Vera in terris Ec-
cleſia infallibiliter inuenitur & iudicatur; ſemperq; inuenta fuit, cui fide-
les omni ætate firmiter & non temere adhæſerunt. Ergo datur certa via
& ratio eam inueniendi & iudicandi.

Deinde. Per notas & Symbola inuenitur & iudicatur vera Eccleſia: &
7. hæc ſunt certa & determinata, ita vt nefas ſit etiam numerum eorum pro-
prio arbitrio immutare, vt infra dicetur. Ergo datur certa via & ratio
eam inueniendi.

Præterea. Si non eſſet certa via & ratio inueniendi & iudicandi ve-
8. ram Eccleſiam, nunquam tuti eſſe poſſemus, nos eſſe in vera Eccleſia, ſed
ſemper dubij maneremus & perplexi. Deinde non eſſemus tuti quid cre-
dendum, quiduè deteſtandum; nam per authoritatem Eccleſiæ cognoſci-

mus credenda. Hæc verò sunt maxima incommoda & inconuenientia. Ergo datur certa via & ratio inueniendi & iudicandi veram in terris Ecclesiam.

9. Ad arg: ℞. Ad 1. Ideo aberrant multi à vera Ecclesia, quia aberrant à certa via & ratione inueniendi & iudicandi eam, Hæc etiam certa ratio licet exhibeat veram Ecclesiam, non tamen euidenter exhibet verum, id est hanc esse veram (vt de illis primis pronuntiatis loquitur Aristot: à quibus non contingit aberrare) indeq; multi sua peruicatia à vera Ecclesia alienantur.

10. Ad 2. ℞. neg: Min: Ad prob: d. Sicut debilitas visus ita intellectus nostri ex eo arguitur, quòd non solùm abstrusa, verùm etiam clara & manifesta cum labore inuenit. Sap: 9. id ostendit scriptura. d. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Vnde licet Ecclesia sit visibilis, & oculis omnium exposita, quia tamen in medio sectarum versatur, ideò non sine labore quærenda vt inueniatur.

11. Ad 3. ℞. Rationes inueniendi & iudicandi veram Ecclesiam, non quidem ab intrinsecis, vt patet ex ijs, quæ circa secundam conclusionem dicta sunt, verùm ab extrinsecis desumuntur, quæ licet non pertingant ad quid sit veritatis, sufficienter tamen declarant, an sit, quod intentum est in præsenti.

ARTICVLVS II.

An inuenta Ecclesia protinus cognoscatur & discernatur?

Caluinus lib: 4. instit: cap. 1. veram Ecclesiam à solo DEO cognosci docebat, vt refert Bellarm: in lib: de Ecclesia militante c. 2. ex eaq; Caluini doctrina sequitur, non posse à nobis cognosci veram Ecclesiam, nec à falsa discerni. Itaq; pro parte negatiua propositi articuli, istæ rationes afferri possunt. 1. Actus qui natura sunt distincti, non necessario vnus infert alterum. Atqui inuenire, cognoscere & discernere sunt actus naturâ distincti; inuenire enim est præsentiam rei deprehendere: cognoscere autem est rem qualis in se est contemplari: tandem discernere est diuersitatem eius ab alijs proferre. Ergo ex inuentione non necessario infertur cognitio aut discrimen rei: nec Ecclesia protinus cognoscitur aut discernitur, vt est inuenta.

(Margin: Caluin: Bellarm: — 12.)

13. uenta. 2. Multi inueniunt Ecclesiam nec tamen cognoscunt eam, aut discernunt ab alijs; vt sunt infideles, qui præsentem apud nos deprehendunt, nec tamen cognoscunt hanc esse veram & non aliam. In opposi: tamen CONCLVDITVR. Prudenter inuenta Ecclesia vera, protinus cognoscitur & discernitur ab ijs congregationibus, quæ non sunt tales. Pa-
14. tet. conclusio 1. Quia vera Ecclesia per propria signa & symbola cognoscitur atq; ab alijs discernitur, Sed dùm prudenter inuenitur, nonnisi per propria signa & symbola inuenitur. Ergo dùm prudenter inuenitur protinus cognoscitur & discernitur. Confirm: Quia signa propria non possunt exhibere rem præsentem, quin continuo per eadem res cognoscatur, & ab extraneis distinguatur.

Deinde. Inuenta re quiescit inquisitio: sed tùm demum quiescit inqui-
15. sitio veræ Ecclesiæ, dùm ipsa prudenter per suas notas cognoscitur, per quas & ab alienis sectis discernitur. Ergo inuenta prudenter vera Ecclesia, protinùs cognoscitur & discernitur. Nam cognitionem eius & discrimen ab alijs, directè efficiunt propriæ notæ, sine quibus prudenter inueniri non potest.

Præterea. Iudicium est per cognitionem, & seclusa cognitione, aut
16. non est, aut temerarium est. Atqui Ecclesia vera dùm prudenter inuenitur, protinus etiam iudicatur. Ergo & cognoscitur, & discernitur.

Ad arg: R. Ad 1. Tametsi dicantur actus distincti inuentio & cogni-
17. tio atq; discretio, quia tamen vnus importat alterum, & idem eorum terminus, scilicet quies inquisitionis, ideo posita prudenti inuentione veræ Ecclesiæ cum iudicio, continuo cognoscitur & discernitur.

18. Ad 2. R. Qui prudenter cum pietate quærunt, dum inueniunt protinus cognoscunt, & discernunt: porrò infideles quia non quærunt prudenter cum pietate, sed in inquisitione deficiunt, ideo nec inueniunt nec cognoscunt; non inueniunt quia non ijs rationibus & vijs inquirentes progrediuntur quibus decet & expedit, proinde non debent dici inuenisse Ecclesiam, sed in eam offendisse. Quæ sint autem viæ & rationes inueniendi veram Ecclesiam, eamq; cognoscendi, in sequentibus dicetur.

ARTICVLVS III.

An inueniendæ veræ Ecclesiæ sit certus locus?

19. Non esse, ita ostenditur. 1. Quod abstrahit ab omni loco, illius inueni-

 endi

endi non poteſt aſſignari certus & determinatus locus, At vera Eccleſia abſtrahit ab omni loco, cùm non circumſcribatur peripheria loci ſicut res localis: vera enim Eccleſia eſt intelligibilis, ſola fide perceptibilis, vt dicimus. Credo Sanctam Eccleſiam, Ergo illius inueniendæ non eſt certus locus. 2. Quod tranſcendit omnia loca, illius inueniendi non datur cert⁹ locus; ſicut apud Metaphyſicos quod tranſcendit omnia prædicamenta, illius certum aliquod prædicamentum aſſignari non poteſt, Atqui Eccleſia vera tranſcendit omnia loca, longè lateq; diffuſa per orbem terrarum, Ergo. 3. Quo hæreſes conſignantur, illud Eccleſiæ veræ tribui non debet, Sed hæreſes certis locis continentur & inueniuntur; ita enim S. Auguſt: lib: 4. de Symbolo ad Catech: cap. 10. Quæcunq; congregatio, cuiuſcunq; hæreſis in angulis ſedet, Et Vincentius Lyrinenſis cap. 34. Quæ inquit vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Ergo veræ Eccleſiæ inueniendæ non eſt certus locus. In oppoſitum tamen 20. 21. Auguſt. Lyrinen.

CONCLVDITVR. Eſt certus locus inueniendæ CHRISTI veræ in terris Eccleſiæ. Pro determinatione concluſionis NOT: Locum hic non ſumi ſtricta acceptione Phyſica, pro circumferentia corporis ambientis, ſed moraliter, pro vbi morali, tanquam dicatur, vbi inuenitur vera CHRISTI Eccleſia in quibus hominibus & populis. Et quidem certum eſt, non inueniri apud Iudæos, non apud Mahumetanos, non apud Saracenos, &c. tandem ſi datur certus aliquis cœtus & congregatio populi in quo vera CHRISTI Eccleſia inueniatur. Nam hæretici quia inuiſibilem Eccleſiam mente concipiunt, ideo iuxta illos non eſt modus & locus inueniendi eam, Apud Catholicos viſibilis Eccleſiæ inueniendæ datur modus & locus, datur certa congregatio populorum, in qua vera Eccleſia quærenda & inuenienda. Hoc poſito concluſio. PATET. 1. Eſt certus locus vbi CHRISTVS fundauit Eccleſiam ſuam, nempe illa Petra Matth: 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: dantur etiam certi homines & populi, ſeu certa congregatio populorum cum illa Petra communicantium & ab illa dependentium. Ergo datur certus locus inueniendæ veræ Eccleſiæ; nempe Cathedra Petri, ſuper quam omnes antiqui Patres ædificatam intelligunt Eccleſiam, dùm CHRISTVS dicit, *Super hanc Petram &c.* ita enim Optatus lib: 2. contra Parmen: Schiſmaticum dicit & peccatorem eſſe, *qui contra vnam & ſingularem Petri Cathedram, in qua vnitas ab omnibus ſeruatur, alte-* 22. Optat.

Cyprian. *ram collocaret.* S. etiam Cypr: dicit. *Qui Cathedram Petri super quam fundata*
S. Hieron: *est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* S. Hieron: vt habetur 24. q. 1. alloquens Romanum Pontificem. d. *Ego nullum præmium nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri consotior, super illam petram Eccle-*
Augustin. *siam fundatam scio*, S. August: serm: 15. de Sanctis loquens de Cathedra Petri, d. *Petrum fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit.* Origen: Homil: 6.
Origen: in Matth: *Vide* inquit *quantam potestatem habet petra. super quam ædificatur Ecclesia, vt etiam iudicia eius maneant firma, quasi Domino iudicante per illam.*
Chrysost: S. Chrysost: Homil: 27. ex varijs in Matth: locis. *Princeps* inquit *Aposto-*
Epiphan. *lorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam.* Epiphan: in Ancorato. *Ipse* inquit *Dominus constituit Petrum petram firmam, super quam Ecclesia* DEI *ædificata est.*

23. DEINDE. Vniuscuiusq; rei visibilis inueniendæ, datur certus locus, Atqui vera CHRISTI in terris Ecclesia est visibilis, vt supra deductum manet. Ergo veræ CHRISTI in terris Ecclesiæ inueniendæ datur certus locus.

24. PRÆTEREA. Datur certus locus, in quo est legitima successio Sacerdotum & Episcoporum, vnde doctrinæ veritas semper petita fuit. Ergo datur certus locus inueniendæ veræ Ecclesiæ. ANT: Patet omnibus intuentibus Romanam PETRI sedem. CONSEQ: Declaratur, quia ibi est vera
Iren: Ecclesia, vbi legitima successio Episcoporum: ita enim Iren: lib: 3. cap: 3. Et lib: 4. cap. 63. ex successione Episcoporum, ostendit veram Eccle-
August. siam & doctrinam Apostolorum. Idem canit S. August: in Psal: contra partem Donatistarum, d. *Venite fratres si vultis vt inseramini in vite. Dolor est cùm vos videmus præcisos ita iacere. Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illorum Patrum, quis cui successit videte. Ipsa est Petra quam*
Tertull: *non vincunt superbæ inferorum portæ.* Tertullian. quoq; in lib: de præscript: prouocat ad successionem Episcoporum, vt innotescat vera Ecclesia. *Edant* inquit *hæretici origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem.*

25. AD arg: ℟. Ad 1. Lutherus in lib: de abroganda Missa priuata. Ecclesiam ita abstrahere ab omni loco asserebat, vt diceret eam occultam esse in Spiritu & solùm credi. *Quis* inquit *nobis Ecclesiam monstrabit, cùm sit occulta in Spiritu & solùm credatur? sicut dicitur. Credo Ecclesiam sanctam.* QVO posito ad arg: ℟. neg: MIN: nam mysterium quidem internum

 quod

quod creditur in Ecclesia abstrahit à loco, porrò homines tanquam lapides viri & visibiles ædificium Ecclesiæ componentes, loco continentur.

Ad 2. ℞. Sicut Ecclesia impleuit totam terram, in omnibus gentibus fructificans, quod de illa vinea Psal: 79. dictum est, ita quoq; certus locus consistendi totius corporis, potest dici totus mundus, capite in Petri sede constituto: & sic inuenitur per suam amplitudinem in omnibus gentibus, cohærentibus sibi in vnitate fidei, & cum Cathedra Petri, quæ in successione vsq; adhuc Pontificum, vsq; ad Alexandrvm VII. feliciter perseuerat immota. 26.

Ad 3. ℞. Hæreses ita certis in locis inueniuntur, vt illis constringantur; nam Donatistarum contra quos disputauit S. Augustinus meridie constringebatur, nec vltra extendebatur, Lutherana & Caluiniana ita aliquibus partibus Occidentis coarctantur, vt nec in Oriente, nec in Meridie, nec in Africa aut Ægypto vel Æthiopia fama nominis illorum audiatur. Ecclesia autem in loco certo inuenitur, non quod particulari loco aliquo constringatur, sed quia in certo genere & cœtu hominum inuenitur, illorum scilicet qui cum Cathedra Petri communicant, tanquam membra & corpus cum capite. 27.

Corollarivm I.

Nota seu signum, non alio fine instituitur, nisi vt ducat in cognitionem rei alterius, sitq; ad tollendam dubitationem sufficiens argumentum, habens quatuor proprietates, Euidens Recurrens: id est, vbi illud est, ibi rem necessario esse oporteat. & contra, vbi non est, nec rem quidem esse, Non commune, sed proprium, Non in penetralibus abditum, sed in aperto positum.

Ad quem finem notæ & signa instituantur, tum qualia esse debeant, vt rem certo & infallibiliter ostendant, ad eamq; inueniendam & cognoscendam sine errore perducant, præsens edicit Corollarium; eius autem doctrina membris subiectis explicabitur. I.

MEMBRVM I.

V. notæ Ecclesiæ debeant esse sufficientia argumenta, ad eam cognoscendam?

Affirmatiuè COLLIGITVR. Notas Ecclesiæ debere eam sufficienter indicare. Et ita sentiunt omnes, qui redarguunt & reijciunt insufficientiam notarum ab hæreticis confictarum, vt videre est apud Cardinalem Bellarm: in lib: de notis Ecclesiæ. Et PATET. 1. Quia notæ Ecclesiæ ad eum finem instituuntur, vt sufficienter doceant, quæ sit vera Ecclesia, quomodo cognoscenda, & à falsa discernenda. Nec profectò dici deberent notæ, nisi sufficienter ducerent in cognitionem eius, cuius sunt notæ, deficerentq; à suo fine & instituto: nam illa, perseuerantia in confessione fidei, item obedientia erga ministros verbi, quæ ab hæreticis excogitantur, quia non docent sufficienter etiam secundùm hæreticos, quæ sit vera Ecclesia, idcirco notarum rationem habere non possunt.

2. DEINDE. ex ista analogia colligitur. Sicut demonstrationes comparantur propter doctos, ita symbola & notæ propter populares, qui intrinseca & essentialia rei infirma acie penetrare non possunt. Atqui demonstrationes sufficienter doctis rem cognitam faciunt: est enim demonstratio sciendi instrumentum seu syllogismus faciens scire, proinde sufficienter facit rem scire, quia per propriam causam, Ergo & notæ popularibus debent rem sufficienter cognitam facere, adeoq; notæ Ecclesiæ debent esse sufficientia argumenta ad tollendam dubitationem, sitne hæc vera DEI Ecclesia.

3. PRÆTEREA. Plurima & maxima incommoda inde sequerentur, si notæ Ecclesiæ non essent sufficientia argumenta ad tollendam dubitationem de vera Ecclesia, Tùm quia nunquam securi essemus nos esse in vera Ecclesia, quæ per notas cognoscenda est. Tùm quia nunquam firmi & stabiles essemus in fide, quàm magisterio Spiritus sancti per doctrinam Ecclesiæ discimus. Tum quia de salute periclitaremur, quàm nemo nisi in vera Ecclesia consequi potest. Scaturirent inde alia innumera mala, quod etiam exemplo hæreticorum manifestum est, qui quoniam non habent tales notas quæ sufficienter ducant in cognitionem veræ Ecclesiæ, ideo aberrant à vera Ecclesia, à vera fide & salute æterna.

Dices. Si notæ Ecclesiæ essent sufficientia argumenta ad cognoscendam veram Ecclesiam, non contingeret cognoscentes eiusmodi notas, ignorare veram Ecclesiam: sicut non contingit ignorare conclusionem, qui cognoscit medium demonstrationis; plurimi autem sunt qui per veras Ecclesiæ notas, veram non cognoscunt Ecclesiam, sed in sua perdurant ignorantia. Ergo notæ Ecclesiæ non possunt esse sufficientia argumenta ad eam cognoscendam. ℞. 1. ex notis Ecclesiæ non posse tàm euidenter cognosci Ecclesiam, sicut ex medio demonstrationis cognoscitur conclusio. ℞. 2. Sicut qui medium demonstrationis agnoscit, non potest ignorare conclusionem, ita qui veras Ecclesiæ notas tenet, non errat ab Ecclesia; hæretici autem & alij infideles, quia veras Ecclesiæ notas non agnoscunt, ignorant veram Ecclesiam, ignorantiâ scilicet prauæ dispositionis, qua veritati contrarium opinantur. 4.

MEMBRVM II.

An quatuor illæ proprietates sint de ratione notæ?

Iam est extra controuersiam, notas debere esse sufficientia argumenta ad cognoscendam veram Ecclesiam: sed quæritur vlteriùs vt possint sufficienter ducere in cognitionem Ecclesiæ, an quatuor illas proprietates necessariò habere debeant, scilicet Euidens, Recurrens seu reciprocum & conuertibile, proprium, & in aperto positum? pro resolutione affirmatiuè 5.

COLLIGITVR. Veræ notæ Ecclesiæ sine his quatuor proprietatibus esse non possunt. Subscribit hæc collectio doctrinæ Bellarmini Cap: 2. de notis Eccl: & Patet, 1. Quia separatis quatuor istis proprietatibus à notis Ecclesiæ, non possunt esse sufficientia argumenta ad eam cognoscendam. Ergo sunt de ratione notarum. Ant: Patet exemplo notarum ab hæreticis excogitatarum, quales sunt v. g. sincera prædicatio verbi Dei, & sincerus Sacramentorum vsus, prout Augustanæ & Wirtembergensi placet confessionibus; & constantia in confessione fidei atq; obedientia erga ministros verbi, prout Magdeburgenses volunt: quæ notæ ideo veram Ecclesiam non demonstrant, quia sunt orbæ dictis proprietatibus: nec enim euidenter credibile faciunt vel apud ipsos hæreticos: nec recurrunt cum ipsorum sectis; nec alicui ita propriè conueniunt, vt non etiam communi-

Bellarm:

Confess. Augustana Wirtem-bergen: Magdebur.

centur alijs, &c.

6. DEINDE. Notæ Ecclesiæ ita certò & infallibiliter eam debent demonstrare, vt eam simul discernunt ab omni falsa religione Paganorum, Iudæorum, & hæreticorum: id verò per prædictas proprietates demum assequuntur, quando ita euidenter attestantur Ecclesiæ, vt alteri conuenire non possunt. Nam Catholicum & Apostolicum, quæ sunt notæ veræ Ecclesiæ, ita euidenter eidem attestantur, vt reciprocentur cum ea, nulliq; alteri conueniant, & omnium oculis exposita sint.

7. PRÆTEREA. Si absq; istis proprietatibus possent veræ notæ consistere, liberum esset vnicuiq; ad libitum & arbitrium suum notas confingere: quod est absurdum, ita enim nihil certum & immobile de Ecclesia statui posset. Sed talem quisq; imaginari posset Ecclesiam, quales ad illam cognoscendam effingeret notas. Ergo sine prædictis proprietatibus notæ veræ Ecclesiæ esse non possunt.

8. INSVPER. Qualis est Ecclesia, tales notæ ducentes ad eius cognitionem esse debent. Atqui Ecclesia est clara, euidens & in manifesto posita. *Non enim potést abscondi ciuitas supra montem posita.* Matth: 5. Est vna. Cant. 6. *Vna est columba mea.* Est à falsis religionibus distincta, à sectis scilicet satanæ. Quæ est enim communicatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras. 2. cor. 6. Ergo & notæ ipsius debent esse claræ & euidentes, in aperto positæ, omnibus obuiæ; & quia Ecclesia vna, debent cum ipsa reciprocari, ipsiq; propriè conuenire.

9. 2. Metaph. T. 1. DENIQ; Principia cognoscendi debent esse euidentia, clara & in aperto posita, seu primò sese offerentia, vt sint tanquam locus ianuæ in domo quem nullus ignorat: debent esse propria, nam & talia ad demonstrationem comparanda docet Arist: lib: 1. poster. quod enim commune est multis, non ducit in certam & indubitatam vnius cognitionem. Atqui notæ Ecclesiæ sunt principia suo modo ducentia ad eius certam & infallibilem cognitionem, Ergo debent esse euidentes, claræ, in aperto positæ, propriæ & cum ipsa Ecclesia recurrentes seu reciprocæ.

10. DICES. 1. Si euidens esset proprietas notarum Ecclesiæ, efficeret euidenter verum hanc esse veram DEI Ecclesiam, Atqui hoc efficere non possunt: aliás non esset articulus fidei hanc esse veram DEI Ecclesiam, si euidentia esset veritatis: deinde nullus negaret hanc esse, sicut nemo negat propositiones à Mathematicis demonstratas, quæ sunt euidentes. Ergo

 eui-

euidens inter proprietates notarum Ecclesiæ numerari non debet. ℞. cùm dicitur euidens esse proprietas notarum Ecclesiæ, sensus est, quòd notæ debeant esse natura sua cognitæ, perspectæ & non obscuræ. Deindè quandò infertur quòd debeant efficere euidenter verum hanc esse veram DEI Ecclesiam, non sequitur; non enim ex hoc euidenter dicuntur quòd efficiant euidenter verum, sed quòd euidenter credibile præstent. hanc esse veram Ecclesiam: aliud est enim euidenter verum, aliud euidenter credibile. vt optimè explicat Bellarm: cap. 3. Et euidenter quidem verum dicitur quod vel in se, vel in suis principijs videtur. In se vt illud. Quæ idem æqualia, & interse sunt æqualia. In suis principijs vt illud. Omnes rectæ lineæ à centro ad peripheriam circuli ductæ sunt æquales, quod demonstrat Euclides, elemento primò. Porrò euidenter credibile dicitur, quod nec in se, nec in suis principijs videtur, tot tamen & tam grauia testimonia habet, vt quisq; sapiens merito id credere debent. Ecclesiæ ergo notæ non faciunt euidentiam veritatis simpliciter, efficiunt tamen euidentiam credibilitatis; quanquam & euidenter verum efficere possunt, apud eum, qui admittit scripturas & Patrum vetustorum doctrinam, supposita scilicet veritate scripturarum, & doctrinæ patrum quod enim inde euidenter deducitur, est euidenter verùm. Bellarm:

DICES. 2. In aperto positum, est visibile, Atqui notæ Ecclesiæ non necessariò sunt visibiles. Ergo non est proprietas earum in aperto positas esse: si enim esset proprietas necessariò conueniret. MIN: patet ex S. Chrysost: qui Homil: 49. in Matth: d. interdum nullum esse visibile signum, quo vera Ecclesia cognoscatur, & ideo tunc ad solas scripturas esse recurrendum, quod & S. August: Epist: 166. docet. *In scripturis* inquit *didicimus Christum, in scripturis didicimus Ecclesiam.* Non ergo ex signis exterioribus, & in aperto positis. ℞. neg: MIN: ad locum Chrysost: supra responsum est. Conclusio 2. art: 2. nempe opus illud imperfectum super Matth: deprauatum esse ab Arianis, in quo etiam Homil: 48. Homonsianos, qui consubstantialitatem filij cum patre confitentur, hæreticos non erubescit appellare. Augustinus etiam docet ex scriptura probari vbi sit Ecclesia, non tanquam ex nota Ecclesiæ, sed quia scriptura docet quæ sint notæ, dùm docet qualis illa sit, vbi ceperit, quomodo creuerit. II. Chrysost: August.

COROLLARIVM 2.

Intrinseca rei, omnibus hisce proprietatibus carentia: non enim sunt euidentia, non in aperto posita, nec ipsa Ecclesia clariora, notæ & signi rationem habere non possunt.

De intrinsecis Ecclesiæ, quid sit censendum in ordine ad notas & tesseras
1. ipsius in præsenti Corollario decernitur: sunt autem intrinseca illa omnia, quibus rei substantia consistit; cuiusmodi sunt vera fides, pura & incorrupta verbi DEI prædicatio, & alia. Verùm iuxta solitam methodum. Sit

MEMBRVM I.

An intrinsecis Ecclesiæ conueniant supradictæ proprietates?

Sint pro exemplo, vera fides, & pura atq; incorrupta verbi DEI prædicatio: hæc enim sunt intrinseca Ecclesiæ, quæ pro notis passim ab hæreticis vsurpantur: & de talibus in præsenti quæritur, vtrum eis conueniant prædictæ proprietates notarum, pro quo COLLIGITVR. Intrinseca Ecclesiæ carent proprietatibus veras notas constituentibus. PATET. 1. Nec euidens, nec clarum, nec in aperto positum, intrinsecis Ecclesiæ conuenit. Et in primis euidens non conuenit; illud enim est quod vel in se, vel in suis principijs videtur, vt iam dictum est. Atqui fides vera V. G. quæ intrinsecis substantiam Ecclesiæ constituentibus annumeratur, nec in se, nec in suis principijs videtur. Non in se, quia de ratione fidei est obscuritas, cùm ni-
D. Thom: hil esse obiectum fidei nisi sub ratione non apparentis, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 4. & 5. Non etiam ex suis principijs, cùm diuina reuelatio, quæ est formale fidei sit obscura, tàm ex parte rei reuelatæ, non enim clarè & euidenter ostendit rem reuelatam, quàm ex parte ipsius reuelationis, de qua non constat clarè & euidenter, quòd à DEO sit facta.

DEINDE. Pura & incorrupta verbi DEI prædicatio, legitimus Sacramen-
2. torum vsus & similia, quæ intrinseca sunt Ecclesiæ, non sunt adeo clara, vt cuiq; manifestè constet hîc esse puram & incorruptam prædicationem, esse quoq; legitimum vsum Sacramentorum, nisi aliunde clarè & manifestè propositum fuerit: neq; enim clarum est & in aperto de pura & incorrupta præ-

dicatione apud Lutheranos cui contradicunt Caluinistæ, & contra; non item de legitimo vsu Sacramentorum apud vtrosq;, cui contraueniunt Anabaptistæ.

PRÆTEREA. Proprietates, veras Ecclesiæ notas constituentes, sunt qualitates extrinsecæ, sicut etiam supra manet insinuatum. Ergo non conueniunt intrinsecis; aliàs non dicerentur intrinseca, cùm aliud sit intrinsecum, aliud extrinsecum, clarum & obscurum, euidens & ineuidens. 3.

DICES. 1. Quod sensibus percipitur clarum est, euidens & in aperto positum. Atqui tàm pura & incorrupta verbi DEI prædicatio, quàm fides ipsa sensibus percipiuntur, de fide enim Rom: 10. Apostolus dicit quòd sit ex auditu. Ergo proprietates, veras Ecclesiæ notas constituentes, conueniunt intrinsecis ipsius. ℞. Sensibus quidem percipiuntur verba significantia ea, quæ sunt fidei, porrò nec fides ipsa, nec res, de quibus est fides, sensibus percipi possunt: simili modo nec de pura & incorrupta prædicatione sensus iudicare possunt, quamuis verba ipsa prædicationis percipiant. 4.

DICES. 2. Intrinseca Ecclesiæ ita ipsi sunt propria, vt alteri non sint communia: sunt enim cum ipsa recurrentia & reciproca; nam vbi illa sunt, ibi etiam Ecclesia, & vbi illa non sunt, nec Ecclesia. Ergo proprietates veras Ecclesiæ notas constituentes, insunt intrinsecis ipsius. ℞. Proprietates quibus notæ veræ Ecclesiæ constituuntur, ita inter se connectuntur, vt vna dumtaxat aut altera sine reliquis non sufficiat: intrinseca autem licet sint propria & non communia, sint quoq; recurrentia, quia tamen non sunt euidentia, non in aperto posita, non possunt dici habere proprietates verarum notarum constitutiuas, eò quòd in numero completo eas non habeant. 5.

MEMBRVM II.

An intrinseca Ecclesiæ, quia carent illis quatuor proprietatibus, ob id notarum rationem habere non possint?

Ex dictis pendet membrum istud, vbi enim constitit intrinseca Ecclesiæ carere illis quatuor proprietatibus, per quas notæ constituuntur; hic iam quæritur, an hæc sit completa ratio, ob quam notæ esse non possint? itaq; affirmatiue 6.

COLLIGITVR. Completa ratio est, ob quam intrinseca Ecclesiæ, no-

notæ & signa esse non possunt, quia quatuor illis destituuntur proprietatibus. PATET 1. Quo aliquid constituitur in suo esse; illius defectus est ratio completa cur non sit in suo esse, Sed quatuor proprietatibus supra positis, aliquid constituitur in esse notæ seu signi. Ergo in quo quatuor istæ proprietates non concurrunt, non potest esse signum seu nota, Atqui non concurrunt in intrinsecis Ecclesiæ, Ergo habetur completa ratio, cur notæ & signa esse non possint.

7. DEINDE. Si non esset hæc completa ratio, nihil certum & determinatum posset statui de notis Ecclesiæ, sed daretur licentia, vagandi in statuendis sine lege & regula, si non esset necesse reuocare omnes ad normam certam & definitam, quæ in istis quatuor potissimùm & principaliter expletur.

DICES. 1. Si intrinseca Ecclesiæ ideo rationem notarum habere non
8. possunt, quia carent illis quatuor proprietatibus. Ergo nec sanctitas rationem veræ notæ habere potest. CONSEQ: Patet. quia prædictis caret quatuor proprietatibus; non enim euidens est, nec in aperto positum. Iob. 9. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* ℞. quidquid de sanctitate singularium hominum & membrorum, totius Ecclesiæ sanctitas clara, euidens & in aperto posita; euidens enim sanctitas est ipsius professionis, quæ nihil continet falsum quoad doctrinam fidei, nihil iniustum, quoad doctrinam morum; quod in nulla secta, siue Paganorum, siue Iudæorum, siue hæreticorum inuenitur. Nam in omni secta tot sunt falsitates doctrinæ & impietates, quæ in specie recensere quis non tædio afficeretur? porrò de veræ
Augustin. DEI Ecclesiæ sanctitate, lib: 2. de Ciuit: cap: 28. S. Augustinus pronuntiat. *In Christianis Ecclesiis nihil turpe & flagitiosum spectandum imitandumq́ proponitur, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

9. DICES. 2. Notæ non requirunt illas quatuor proprietates. Ergo intrinseca Ecclesiæ non ideo rationem notarum amittunt, quia illis quatuor proprietatibus destituuntur. ANT: Si notæ Ecclesiæ requirerent quatuor illas proprietates, essent signa necessaria, media & indicia, quæ Arist: multis in locis, lib: 2. prior: cap: 27. & lib: 1. Rhet: cap: 2. & alibi τεκμήρια vocat, quæ efficiunt vt rem sciamus. Atqui notæ Ecclesiæ non sunt eiusmodi media & indicia, quæ efficerent vt rem sciamus; non enim scimus per notas, sed credimus hanc esse veram Ecclesiam. Ergo notæ non requirunt

quatuor illas proprietates. ℞. neg: ANT: Ad prob: d. Videntes notas commonstrantes Ecclesiam, credimus hanc esse veram: & quia nos fideles ex his principijs non minori firmitate assentimur huic veritati, quàm communiter omnes assentiuntur alicui conclusioni ex principijs naturaliter notis, ideo notæ istæ & signa dicuntur efficere vt rem sciamus. Confer: D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 5. 2m.

COROLLARIVM 3.

Jn argumentis hæreticorum, probantium verbum DEI scriptum, & legitimum vsum Sacramentorum, esse tesseras internas demonstrantes veram Ecclesiam, petitionis principij committitur fallacia.

Mutuanda sunt aliqua à philosophis, etiam circa istius Corollarij explicationem; Philosophi enim petitionem principij vocant idoneitatem decipiendi, prouenientem ex eo, quòd aliquod antecedens, creditur probare aliquod consequens, propter apparentem notioritatem eius, quod non probat, cùm sit æquè notum, vel minùs notum, quàm consequens, vt Petrus Hispanus loquitur. Duplicemq; colligunt petionem principij ex Arist: in 1. Elench: aliam vocant statim, aliam non statim, vt videre est apud Petrum Tataretum. Petitio principij statim est acceptio alicuius propositionis ad probandam seipsam. V. G. Socrates currit. Ergo Socrates currit. ταυτόλογια vulgo nugatio dicitur, secundam quam nulla sumitur fallacia, nec continetur sub aliqua specie argumentationis. Petitio principij Non statim est, quando accipitur aliqua propositio ad probandam aliam propositionem æquè notam, vel magis notam. Hoc posito. Sic

1

Arist: Tataret.

MEMBRVM I.

An sit fallacia petitionis principij scripturam & legitimum vsum Sacramentorum asserere tesseras internas Ecclesiam demonstrantes?

Tribus modis propriè fallacia petitionis principij committitur, vt notat Tataretus in Tract: 6. Petri Hispani; 1. quando maior non est notior

consequente. v. G. Omne habens materiam est corruptibile. Sed asinus habet materiam. Ergo asinus est corruptibilis. Maior non est notior consequente, quia non pauci in via Scoti dicunt cœlum habere materiam eiusdem rationis cum quatuor elementis, est tamen incorruptibile. 2. Quando Minor non est notior conclusione. v. G. Omne viuens est animatum. Sed dentes sunt viuentes. Ergo sunt animati. 3. Quando nulla præmissarum est notior conclusione, v. G. Animal nobilissimam habens figuram, est nobilissimum, sed homo nobilissimam habet figuram. Ergo est animal nobilissimũ. His iam dictis COLLIGITVR. Scripturā, & legitimũ vsum Sacramentorũ, asserere tesseras internas Ecclesiā demōstrantes, petitionis principij committitur fallacia. Ita omnes quos videre potui negotium istud Catholicè pertractantes. Videndus est Cardinalis Hosius. lib: 5. contra Brent: Bellarm: lib: de notis Ecclesiæ. cap: 2. Thomas Bozius lib: 16. de Ecclesia cap: 10. PATET. 1. Quando antecedens videtur probare consequens propter apparentem notioritatem & non probat, committitur fallacia petitionis principij. Atqui asserere scripturam & legitimum vsum Sacramentorum esse tesseras internas demonstrantes veram Ecclesiam, est assumere antecedens quod creditur probare consequens propter apparentem notioritatem & non probat. Ergo. MIN: Tunc assumitur antecedens quod creditur probare consequens & non probat, quando vel maior, vel minor, vel vtraq; præmissarum non est notior conclusione. Atqui in argumentis asserentibus scripturam & legitimum vsum Sacramentorum esse tesseras veram Ecclesiam demonstrantes, vel maior, vel minor, vel neutra præmissarum est notior conclusione. Ergo asserere scripturam & legitimum vsum Sacramentorum esse tesseras internas veram Ecclesiam demonstrantes, est assumere antecedens quod videtur probare consequens & non probat. MIN: Patet. Nam si ita quis argumentatus fuerit. Vbi est purum & verum DEI verbum scriptum cum legitimo vsu Sacramentorum, ibi est vera Ecclesia, sed apud Lutheranos v. G. vel Caluinistas, est verum & purum DEI verbum scriptum, est legitimus Sacramentorum vsus. Ergo apud Luteranos & Caluinistas est vera Ecclesia. Quis non videt hic manifestam fallaciam petitionis principij? vbi maior & minor æquè obscuræ sunt & ignotæ atq; ipsa conclusio. Nam in primis maior non est adeò nota, vt ex ea consequens sine fallacia colligatur, siquidem vt supra dictum est, & authores allegati docent, non scriptura aut legitimus vsus Sacramentorum de

Hosius. Bellarm: Bozius

Ecclesia, sed contra Ecclesia tanquam notior de ipsis iudicat. Nunquam enim scriptura (qua omnes vtuntur, Iudæi & hæretici, imò vt Hosij vtar verbis, ipse diabolus, & ad quam prouocant) vel ita clarè potest sententiam pronuntiare inter litigantes, vt finem imponat controuersiæ, vel Ecclesiam tàm manifestè ostendere, vt quisq; prudenter intra hanc manere constituat: quod idem de legitimo vsu Sacramentorum censendum. Conuertens ergo ista, vbi est vera Ecclesia, ibi est verum & purum Dei verbum scriptum, est legitimus vsus Sacramentorum; longè notior est, quàm illa conuersa. Vbi est verum & purum Dei verbum scriptum, & legitimus vsus Sacramentorum, ibi est vera Ecclesia; siquidem vt iam dictum est, vera Ecclesia de his, non hac de vera Ecclesia iudicant. Quantum ad minorem, etiam ipsorum sectariorum iudicio & perpeti discordiá, nullam notioritatem habet: præripiunt enim sibi inuicem verum Dei verbum scriptum, & legitimum Sacramentorum vsum Lutherani cum Caluinistis, & tàm hi, quàm illi sibi solis arrogant, & hactenus apud illos sub iudice lis est, quousq; acquieuerint claræ & euidenti, veræ Ecclesiæ Catholicæ, super hac lite & controuersia, sententiæ. *Cuius prædicatio vndiq; constans & æqualiter perseuerans, testimonium habens à Prophetis & ab Apostolis, & ab omnibus discipulis*, vt Iren: lib: 3. cap: 40. dicit. Hosius. Iren:

Deinde. Sumere pro confesso id, quod est in controuersia, est petitio principij, scilicet dùm postulat sibi dari quod probare debet, vt Ioachimus Perionius lib: 3. de Dialect: dicit. Atqui hæretici verbum Dei scriptum, & legitimum vsum Sacramentorum, tesseras veram Ecclesiam demonstrantes, dum probare nituntur, assumant argumentando pro confesso id, quod est in controuersia. Dùm enim Lutherani pro confesso sumunt apud se esse verum & incorruptum verbum Dei, Ariani id in controuersiam vocant, qui id sibi priùs arrogabant. Dùm Caluinistæ legitimum vsum Sacramentorum, siue baptismi, siue Eucharistiæ, indubitanter apud se solos persuasum haberi volunt: in hoc à Lutheranis, in illo ab Anabaptistis reprehenduntur, & ad controuersiam euocantur. Ergo in argumentis hæreticorum, probantium Dei verbum scriptum, & legitimum vsum Sacramentorum, esse tesseras veram Ecclesiam demonstrantes, petitionis principij fallacia committitur. Internæ ergo notæ, quales confingunt hæretici, citra petitionem principij non possunt adhiberi inueniendæ veræ Ecclesiæ, quæ cum sit externa & visibilis, tesseræ & veræ notæ eius, debent esse externæ & in aper- 2. Perion.

to positæ, omnibus manifestæ, debent esse cum Ecclesia reciprocæ, vt vbi est Ecclesia, ibi sint eius notæ, & vice versa.

3. PRÆTEREA. Petitio principij est, cum ignotum peræquè ignotum aut ignotius probatur. Atqui hoc contingit asserendo verbum DEI scriptum, & legitimum vsum Sacramentorum esse tesseras veram Ecclesiam demonstrantes: ignotius enim est verbum DEI scriptum, & legitimus Sacramentorum vsus, quàm Ecclesia, quæ nota est, & manifesta. *Vbiq; enim prædicat veritatem, & hæc est* ἑπτάμυχος *lucerna Christi baiulans lumen, quia huic*
Iren: *creditum est lumen Dei,* ait Iren: lib: 5. cap: 20.

4. DICES. Fallacia est peccatum contra Syllogismum: nam si nullo modo contra Syllogismum peccet, fallacia dici non debet. Atqui probare verbum DEI scriptum, & legitimum vsum Sacramentorum esse tesseras veram Ecclesiam demonstrantes non est peccatum contra Syllogismum. Ergo non est fallacia. MIN: Patet. quia neq; est contra formam, cùm disponitur in debita figura & modo, neq; contra materiam, cùm non sit aliqua præmissarum falsa. ℞. In prædicta petione principij, tametsi non contingat peccatum contra Syllogismum simpliciter dictum, de cuius ratione solùm est, dispotio duarum præmissarum in modo & figura, est tamen peccatum contra Syllogismum demonstratiuum, qui sit probatiuus suæ conclusionis. Itaq; in hac fallacia petitionis principij, probantium scripturam & legitimum vsum Sacramentorum, esse tesseras Ecclesiam demonstrantes, est peccatum in materia, non solùm ex eo, quod aliqua præmissarum sit falsa (quod liquidò constat) sed etiam quia antecedens non probat consequentiam, ob rationes iam dictas.

MEMBRVM II.

An purum Dei verbum scriptum, & legitimus Sacramentorum vsus, sint apud hæreticos?

5. Tantopere his gloriantur hæretici, vt etiam exinde sibi blandiantur, veram Ecclesiam apud se manere, sed contra ipsorum inanem fastum & præsumptionem

COLLIGITVR. Nec purum DEI verbum scriptum, nec legitimus Sacramentorum vsus, apud hæreticos vnquam fuerunt. Et de scriptura quidem qua destituuntur hæretici PATET I. Tria namq; potissimùm spe-

ſpectari debent in ſcriptura, vt optimè notauit Becanus 1. Canon ſeu catalogus librorum ſcripturæ, Secundo verſio, Tertio ſenſus & interpretatio. Becan:
Atqui hæretici nec canonem authenticum, nec verſionem authenticam, nec ſenſum verum, & interpretationem habent. Ergo non habent purum Dei verbum ſcriptum. Quantum ad Canonem res manifeſta. quia diuerſæ ſectæ, diuerſum catalogum librorum ſcripturæ ſibi confinxerunt: alium Ariani, alium Macedoniani, alium Manichæi, alium nunc Lutherani, atq; alium Caluiniſtæ; nulli autem ſunt conſtantes in ſuo Catalogo: nunc in Canone reponunt hos libros, nunc illos reijciunt. Quantum ad verſionem, nullam conſiſtentem retinent, ſed vnuſquiſq; ſciolus Hebræici aut Græci ſermonis, verſionem credit ex ſuo cerebro. Quantum deniq; ad ſenſum ſeu interpretationem, nullam habent veram, ſed Catholicis quibuſuis authoribus repugnantem ac inter ſe diſcordem: Scripturas priuata interpretatione detorquent à vero ſenſu, quod facere non licet 2. Petr: 1. Verſ: 20. Quantum inter ſe de ſenſu & interpretatione ſcripturæ ſint diſcordes, oſtendit Iren: lib: 4. cap: 69. d. *Tantæ ſunt de vno in eos diuerſitates, de ijſdem ſcripturis varias habentes ſententias, & vno eodemq; ſermone lecto, vniuerſi obductis ſupercilijs agitantes capita.* Et Iſidorus lib: 3. de ſummo bono. *Scripturas* inquit *hæretici ſano ſenſu non ſapiunt, ſed eas ad errorem prauæ intelligentiæ ducunt, neq; ſemetipſos earum ſenſibus ſubdunt, imò eas peruersè ad errorem proprium pertrahant.* Iren. Iſidorus.

Deinde. Hæretici reijciunt ſcripturas: & aliquando integros libros, quos Eccleſia Catholica pro Canonicis agnouit & decreuit recipiendos: aliquando mutilant capita, truncant, diſcerpunt. Deniq; totum repudiant, vt fusè proſequitur Bellarm: lib: 1. de verbo Dei cap: 5. & ſeq. nam & ex prima epiſt: Ioannis deleuit illud Luther. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, Verbum & Spiritus ſanctus.* vt notat Vaſq. in 1. p. D. Thom: diſp: 109. cap: 1. Item epiſtolam Iacobi Apoſtoli integram idem Lutherus reiecit, eo quòd ſuo dogmati de ſolius fidei iuſtificatione manifeſtè contradicat, plurima etiam hæretici ſuis adiectionibus in ſcripturis deprauant. Ergo illi purum Dei verbum ſcriptum non habent. Conſeq. liquet, quia non habent integrum vt iam conſtat. 6. Bellarm: Vaſqu.

Dices 1. Sine ſcripturis nihil hæretici loquuntur, vbiq; eas proferunt. Ergo habent purum Dei verbum ſcriptum. ℞. Iam conſtat hæreticos non habere integram ſcripturam, de qua plurima ſacrilega præſumptione reijciunt: deinde ſi quid de illa haberent, corticem duntaxat ſine medulla, 7.

Hilar. scripturam sine sensu. Vel vt S. Hilar: ad Constantium Augustum d. *Omnes scripturas sine sensu loquuntur, porrò scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo, non in prævaricatione, sed in charitate,* vt ibid: dicit.

8. DICES. 2. Etiam Catholici dubitauerunt de nonnullis scripturæ libris, vt de libro Tobiæ. Iudith. Sapientia. Ecclesiastico. Apocalipsi. &c. Ergo pari ratione ob hoc apud Catholicos non est, vel non fuit purum DEI verbum scriptum. ℞. qui aliquando dubitabant de prædictis aut alijs scripturæ libris, non pertinaciter id faciebant, quia pari erant acquiescere iudicio Ecclesiæ, vt hæretici pertinaciter contra iudicium Ecclesiæ Catholicæ reijciunt aliquas scripturas. Deinde quòd aliqui ante iudicium & decretum Ecclesiæ dubitauerunt, per Patrum in Concilijs generalibus sententiam congregatorum, dubitationi finem imposuerunt; ad hoc enim Concilia congregantur, vt de quibus rebus dubitatur, de ijs quid certo teneri debent, decertantur.

9. DICES. 3. Vbi diligenter præcauetur, ne admisceatur verbo DEI aliquid extraneum & alienum, vbi est purum verbum DEI. Atqui apud Lutheranos & Caluinistas diligenter præcauetur, ne admisceatur aliquid extraneum & alienum à verbo DEI, dùm illud solum retinent, quod continetur in scripturis,& præter scripturas nihil admittunt: quod Lutherus ipse admonuit, in cap: 1. Gal: d. *Neq; alia doctrina in Ecclesia tradi debet & audiri, quàm purum DEI verbum, hoc est sancta scriptura.* Idem Brent: in prologom: cap: de traditionibus. Idem Caluinus cap: 8. lib: 4. instit. Ergo apud Lutheranos & Caluinistas est purum & putum DEI verbum scriptum. ℞. ita sibi persuadent hæretici qui contra Ecclesiasticas & Apostolicas traditiones debacchantur, tanquam sint alienæ à verbo DEI, ast suo sensu decipiuntur: nihil enim Ecclesiasticæ vniuersales traditiones contrarium aut extraneum à verbo DEI continent, sed per ipsas obscurus DEI verbi scripti sensus aperitur, qui apud diuersos, diuersus esset: hæretici verò quia hanc Ecclesiastici sensus regulam respuunt, qua scripturæ cœlestis intelligentia dirigitur, purum DEI verbum scriptum habere non possunt. Lyrin: cap. 41.

10. DE VSV QVOQ; SACRAMENTORVM. PATET. 1. Nam abusus Sacramentorum opponitur legitimo vsui. Atqui apud hæreticos est abusus Sacramentorum. Ergo non est legitimus vsus, MIN: liquet de baptismo, nam Lutherani ex solo odio Papæ rebaptizant baptizatos à Catholicis, imitati Marcionitas, qui secundo & tertio baptizabant: id manifestum est ex e- Lutherani

piſtola Lutheri ad duos Plebanos, quam citat Hoſius lib: 3. contra Brent: Hoſius in
porrò ſicut vnus Devs, vna fides, ita vnum baptiſma. Et in materiam bapti- principio
ſmi Lutherus cap: 17. colloquiorum Sympoſiacorum hunc abuſum indu- libri 3.
xerat, vt diceret, quoquid balnei nomine nuncupari poteſt, ſiue illud ſit lac, Luther.
ſiue vinum, ſiue ceruiſia, eſſe aptum ad baptizandum: & omnes Chriſtia-
nos promiſcuè habere poteſtatem in quouis Sacramento, vt refert Bernar- Refert Bel
dus Lucemburgus, Caluiniſtæ in Sacramentum pœnitentiæ eum abuſum larm: lib:
inuexerunt, vt omnia peccata publicè confitenda aſſerant. In antidoto Con- 1. c. 2. de
cilij Trid: Caluinus dicit baptiſmum non eſſe neceſſarium ijs paruulis, qui Sacramen.
ex fidelibus parentibus naſcuntur, ex illegitimo verò thoro matris non pro- Baptiſmi.
deſſe. Item in eadem antidoto, intentionem in miniſtris Sacramentorum Lucemburg:
non requiri. Caluin:

Deinde. Spoliare Sacramenta propria virtute & efficacia, eſt legitimum 11.
eorum vſum euertere & perdere; legitimus enim eorum vſus, non poteſt
eſſe ſine propria virtute & efficacia, ſiquidem virtus Sacramenti eſt id, per
quod Sacramentum operatur effectum ſuum, id eſt gratiam. Atqui Luthe-
rani & Caluiniſtæ, vt olim Meſſaliani Sacramenta ſpoliant virtute & effica- Lutherani
cia, ſoliq; fidei tribuunt omnia, Sacramentis autem nihil, niſi vt ſint nuda Caluiniſtę
ſigna, bonæ voluntatis Dei in nos, & ideo aliquam ſignificandi, ſed nullam Meſſaliani
ſanctificandi internam vim habere: id ita referunt Sanderus lib: 7. de viſi- Sander.
bili monarch: circa annum 1544. Et Bellarm: lib: 1. de Sacram: in genere Bellarm.
cap. 1.

Præterea. Legitimus vſus Sacramentorum, continet legitimum eo- 12.
rundem numerum. Atqui apud hæreticos non eſt legitimus Sacramento-
rum numerus; nec item conſtanter perſiſtunt penes aſſignatum apud ſe nu-
merum, ſed aliquando plura aliquando pauciora recenſet. Etenim aliqui
duo tantum, Sacramenta agnoſcunt, baptiſmum & Euchariſtiam, vt Luthe- Luther.
rus in captiuitate Babylon: & Zwinglius de vera & falſa religione. Aliqui Zwingel.
tria ponunt, vt Lutherus, Baptiſmum, Euchariſtiam & Pœnitentiam; Cal- Caluin.
uinus autem Baptiſmum, Cænam & Ordinationem. Aliqui quatuor ſtatu-
unt, Baptiſmum, Cænam, Pœnitentiam & Ordinationem, vt Philippus Melancht:
Melanchton, & alij alia, nunquam tamen conſtanter.

Insvper. Errores contrariantur legitimo vſui Sacramentorum, qui a- 13.
pud hæreticos plurimi contingunt, imò quaſi ex induſtria committuntur.
Nam Anabaptiſtæ adultis tantum dant baptiſmum, non etiam paruulis, pri- Anabapti-

Zwingiel. Caluin. Luther. uantes eos medio, fine quo nemo saluari potest. Zwingliani & Caluinistæ in administratione Eucharistiæ errant, vt negent esse verum corpus Christi. Lutherani tantum in vsu; cùm tamen ipse CHRISTVS, priusquam dedisset Apostolis, tenens in manu, suum esse corpus pronuntiauit vt ponderat Concil: Trid: Sess. 13. cap. 3. in decreto de SS. Eucharistiæ Sacramento. (Concil: Trid;)

14. DICES 1. Etiam apud Catholicos in Sacramentorum administratione vana multa adhibentur. Ergo apud illos quoq; non est legitimus Sacramentorum vsus. ANT: probant hæretici, qui in baptismo vanitatis arguunt exorcismos, eosq; videt Caluinus lib: 4. instit: cap: 19. Vocans inanem & fictam ceremoniam, Brentius in confessione Wirtemberg: cap: de baptismo, damnat vsum Chrismatis, quod dicit ad elementa mundi pertinere. Iudæisq; in vsu fuisse in ceremonijs veteris testamenti. In Sacramento Confirmationis, Caluinus loco supra dicto, formam reprehendit, quâ dicitur. Confirmo te Chrismate salutis: dicitq; eos abiurare salutem quæ in CHRISTO est, qui vocant Chrisma salutis: & sic in alijs Sacramentis putant se inuenire quod obicijant. R. neg: ANT: Ad prob: d. Quantum ad exorcismum, vtitur eo Ecclesia circa Baptismum ad coërcendos dæmones, quam potestatem accepit à DEO, vt antiquissimi Patres testantur. Iustinus in Triphone, Tertull: in lib: de corona militis. Cyrill. Catech. 1. Cypr. & alij. Quantum ad Chrisma, si illud à Baptismo excludendum est, quia ad elementa mundi pertinet, multo magis excludenda est aqua, quæ magis ad elementa mundi pertinet quàm Chrisma: deinde si ideo Chrisma excludi debet, quia vnctiones in vsu fuerunt Iudæis, potiori ratione aqua debet excludi, quia frequentiores illis erant ablutiones aquæ, quàm vnctiones olei. Præterea panis quoq; per eandem viam deberet excludi à Sacramento Eucharistiæ, quia etiam aqud Iudæos fuerunt panes propositionis & primitiarum. Quis non videt quàm perperam ista ab hæreticis obijciantur? Quantum ad formam Confirmationis, dicitur Chrisma salutis eo, quia est instrumentum applicandæ nobis gratiæ & salutis per Christum factæ. (Calain: Brent. Caluinus. Iustinus. Tertull: Cyrill: Cyprian.)

15. DICES. 2. In Sacramentorum corporalibus elementis non est virtus effectiua & causatiua gratiæ. Ergo virtutem hanc & efficaciam à Sacramentis amouere, non est contra eorum legitimum vsum. ANT: quia virtus causatiua gratiæ est spiritualis. Sed in corporalibus Sacramentorum elementis non est virtus spiritualis. Ergo non est virtus effectiua & causatiua gratiæ. MIN: Si in corporalibus Sacramentorum elementis esset vir-

tus spiritualis, aut ita quòd sit propria ipsis; aut ita quòd recipiant eam ab alio, Sed neutro modo virtus spiritualis in corporalibus Sacramentorum elementis esse potest. Non primo modo, quia quod est proprium alicuius, fluit ab eius essentia, sicut risibile ab essentia hominis; & ita non potest rem à cuius essentia fluit transcendere: porrò virtus spiritualis transcendit corporalia Sacramentorum elementa. Non etiam secundo modo, quia quod recipitur ab alio, est in eo per modum recipientis: virtus ergo ista spiritualis, deberet esse in corporalibus Sacramentorum elementis per modum ipsorum. ℞. neg: Ant. Ad prob: d. quanquam virtus spiritualis, non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis & completæ, instrumentaliter tamen virtus spiritualis potest esse in corpore, quatenus corpus potest moueri ab aliqua substantia spirituali, ad aliquem effectum spiritualem producendum: itaq; corporalia Sacramentorum elementa à Deo mouentur ad inducendam gratiam, indita illis virtute spirituali tanquam instrumentis à causa principali.

COROLLARIVM 4.

Quia hæretici in assignandis notis Ecclesiæ sunt inconstantes, manifestè ostendunt apud se non esse veram Ecclesiam.

Breuitatem sectando, Corollarium præsens non ampliùs quàm in duo membra distribuetur. Sit proinde

MEMBRVM I.

Quæ hæreticorum in assignandis notis Ecclesiæ inconstantia?

Temeritate sua temulenti, vacillant in omnibus hæretici, & ne in vno quidem puncto, omnimodis sibi sunt constantes: ita quoq; in designandis & constituendis Ecclesiæ notis, nihil firmum & stabile ponunt. I.
Primò quidem quia Lutherani & Caluinistæ in hoc negotio subscribunt sententiæ antiquorum hæreticorum, eorum insaniam iam pridem damnatam approbantes, & Catholicam veritatem repudiantes. Amplectuntur enim eas Ecclesiæ notas, quas antiqui hæretici excogitauerunt, cùm Magde- Lutherani Caluinistæ. Magdebur

 gde-

gen: gdeburgenſes Eccleſiæ veram eſſe notam contendunt, quòd aliqui in confeſſione fidei perſeuerant vſq; ad mortem. Et hanc quidem inſaniam olim fuiſſe Montaniſtarum, teſtatur Euſebius lib: 5. Hiſtor: cap. 18. Auguſt: ſerm: 50. de verbis Domini. Meſſalianorum, Epiphanius hæreſi 80. Donatiſtarum, Auguſtinus Epiſt: 68. Anabaptiſtarum. Bernardus ſerm: 66. in Cant: Adamitarum, Æneas Siluius cap: 41. hiſtoriæ Bohemorum. Dicunt præterea notam Eccleſiæ eſſe perfectam populi ſanctitatem, innocentiam & vitæ integritatem, quod ſomnium fuit Nonati, & Donatiſtarum. Tandem cum antiquis hæreticis repudiant notas Catholicorum, cùm negant multitudini, antiquitati & dignitati Chriſtianorum plus deferendum eſſe: quod Eunomij fuit deliramentum, vt teſtis eſt S. Baſilius lib: 1. contra eundem. d. Quid tu narras? non dabimus plus antiquitati? non reuerebimur Chriſtianorum multitudinem? tàm eorum qui ſunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Euangelium prædicatum eſt? nullam rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni ſpirituali gratia claruerunt? &c.

Montaniſtæ. Meſſaliani Donatiſtæ Anabaptiſtæ. Adamitæ. Nonatus. Donatiſtæ Eunomius Baſil.

2\. Luther. DEINDE. Lutherus in lib: de Concilijs, notam Eccleſiæ conſtituit in pura, vera & incorrupta Euangelij prædicatione, nec tamen oſtendit, quæ ſit iſta pura, vera & incorrupta prædicatio, ſi enim dixerit eam eſſe quam ipſe exorſus eſt, petet principium, nec poterit vlla ratione oſtendere, per omnes ætates in multis gentibus eam prædicationem continuatam fuiſſe. Deinde idem Lutherus in lib: de Eccleſia, ſuſtinet minùs puram prædicationem; eadem Caluini mens lib: 4. inſtit: cap. 1. Atqui hæc quanta ſit inconſtantia quis non videt?

Caluin:

3\. PRÆTEREA. Cùm notam Eccleſiæ dicunt legitimum vſum Sacramentorum, etiam in hoc produnt ſuam inconſtantiam, nam dicunt licitum eſſe mutare formam baptizandi à CHRISTO præſcriptam, vti de Brentio narrat Hoſius lib: 3. Lutherus ipſe. Philippus quoq; Melanchton & Bucerus, nunc dicunt legitimum vſum Euchariſtiæ neceſſario requirere vtramq; ſpeciem, nunc ſufficere vnam, teſtis eſt Hoſius eodem loco. Atqui hæc nonne pudenda inconſtantia?

Brent: Luther. Melanchthon. Bucer.

4\. INSVPER. Dicunt notam Eccleſiæ eſſe confeſſionem fidei vſq; ad mortem: deinde dicunt ceſſaſſe confeſſionem veræ fidei per multa ſecula ante Lutherum. Ergo confeſſio fidei vſq; ad mortem, eſt nota Eccleſiæ & non eſt. Eſt ex ipſorum aſſertione, Non eſt, quia aliquot ſeculis ceſſauit, quod de vera nota Eccleſiæ dici non poteſt; quia vera nota ſemper eſt cum

Ecclesia, Ergo inconstantes sunt in assignandis notis Ecclesiæ, ex quo manifestè conuincuntur non habere veram Ecclesiam.

Dices. Etiam Catholici variant in assignandis notis Ecclesiæ. Ergo par est ratio inconstantiæ in hac parte apud Catholicos & hæreticos. Ant: Patet, quia aliqui plures, aliqui pauciores assignant. Etenim præter antiquos Patres, Hieronymum qui contra Luciferianos duas ponit, Augustinum qui in libro contra Epist: fundam: cap. 4. ponit sex. Vincentium Lyrinensem qui in suo commonitorio ponit tres. D. Thomas in Opusc: de Symb: Hosius, & Catechismus Parochorum in expositione Symboli, posuit quatuor. Sanderus lib. 8. de visibili monarh. cap. 50. ponit sex. quas & dotes appellat, Bellarm: numerat quindecim & alij alium numerum producunt. ℞. nullum est vestigium inconstantiæ inter Catholicos in assignandis notis Ecclesiæ, cùm ex antiquo omnes didicerint idem dicere. Et in hoc quidem negotio re inter se omnes conueniunt, sed modo expiicandi abundant. Nam singuli propter faciliorem viam demonstrandi veram Ecclesiam, abundant in assignando numero notarum, summa tamen rei in eo posita est, quòd omnes illæ notæ, ad quatuor in Concilijs designatas reuocari possint, ita vt quatuor istæ in illis explicentur, & illæ in istis quatuor contineantur. Atq; in hoc negotio nihil commune hæreticis cum Catholicis intercedit. 5.

Hieron: Augustin. Lyrin. D. Thom: Cathechis: Parochor. Sander. Bellarm.

MEMBRVM II.

Cur hæretici non eas notas Ecclesiæ assignant quas Catholici?

Qvæ notæ & Symbola Ecclesiæ veræ statuantur à Catholicis, res est plana & manifesta, & infra manifestior fiet: non enim ad libitum suum quiuis notas excogitat, sed quæ antiquitùs à Concilijs fuerunt designatæ, & à Patribus frequentatæ, ijs Catholici semper veram inuestigant & discernunt Ecclesiam. Porrò hæretici nullam ex illis recipiunt, sed pro suo arbitrio quisq; id sequitur, quod suo magis sapit palato: cur autem sic faciant, in præsenti quæritur, pro quo 6.

Colligitvr. His prætensionibus hæretici prætereunt, notas Ecclesiæ à Catholicis positas. Primò Ne palam ostendant se esse extra veram Ecclesiam: notæ enim à Catholicis constitutæ, ita veram ostendunt Ecclesi-

am cui sunt reciprocæ, vt falsæ nullatenus conuenire possint, Si ergo has notas admitterent, iam manifestè deprehenderetur, ipsiq; nolint velint faterentur, apud se Synagogam esse malignantium non veram Ecclesiam, cui nulla nota veræ Ecclesiæ conuenire posset. Et quidem si dixerint vnitatem Ecclesiæ veræ notam esse, apud se non esse veram Ecclesiam agnoscant est necesse, qui nunquam permanent in vnitate, in dies alij atq; alij. Si sanctitatem eo sensu quo Catholici, extra veram Ecclesiam se esse videbunt, quorum doctrinæ multa impia & flagitiosa continent. Si Catholicum aut Apostolicum, adhuc manifestiùs suis se iaculis conficient.

7. DEINDE. Id odio faciunt, oderunt enim lucem veritatis Catholicæ. atq; malitia excæcante, dilexerunt tenebras magis quàm lucem, errant à via veritatis, ambulantes vias difficiles, de quibus pulchrè Iren: lib: 5. cap: 20. *Necessitatem* inquit *habent hæretici, quoniam sunt cæci ad veritatem, alteram & alteram ambulare exorbitantes viam, & propter hoc inconsonanter & inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinæ ipsorum.*

Iren:

8. PRÆTEREA. Cùm hæretici vt neophyti, semper nouarum rerum sint inuentores, quibus probata viluit antiquitas, spreuerunt antiquam Ecclesiam, quam demonstrant notæ à Catholicis designatæ, nouam sibi ædificant, eiq; accommoda excogitant noua symbola & notas, à Catholicis diuersas: vt deficientes ab antiqua & vera Ecclesia, possint in noua, falsa, à se excogitata tranquillari. Atq; ita quales Ecclesiæ sunt ædificatiores, talia symbola & notas fabricantur, quale vinum vendunt, talem hederam appendunt.

9. DICES. Hæretici easdem notas Ecclesiæ statuunt quas Catholici, Ergo membrum falso nititur fundamento. ANT: Patet ista deductione. Nam Catholici Sanctitatem inter notas Ecclesiæ ponunt, eadem doctrina hæreticorum, scilicet perfectam sanctitatem populi, vitæ innocentiam & integritatem, etiam Nouatus, Donatistæ & Anabaptistæ notam Ecclesiæ dixerunt, & nunc Lutherani cum Caluinistis. Deinde inuictam fidem & constantiam. Sanderus lib. 8. vsibilis Monarch: cap: 50. notis Ecclesiæ annumerat, hoc idem Montanistæ. Magdeburgenses & Caluinus. Præterea vnionem membrorum inter se & cum capite ostendit Bellarm: cap. 10. at omnes hæretici ad vnionem cum CHRISTO capite appellant. Insuper sanctitatem doctrinæ ad idem facere etiam Bellarm: cap: 11. & 12. docet, atqui etiam sanctitatem doctrinæ seu incorruptam prædicationem Euangelij Lutherus, & ante hunc longè Arius atq; alij ad notas Ecclesiæ spe-

Nouatus. Donatist: Anabapt. Sander. Montanist Magdebur Caluinus. Bellarm: Luther. Arius.

ctare volebant. Deniq; notam esse Ecclesiæ lumen propheticam, declarat Bellarm: cap: 15. idem Montani sectatrices Priscilla & Maximilla præferebant, & sic de alijs. Ergo nullum est discrimen inter notas Ecclesiæ ab hæreticis & Catholicis assignatas. ℞. Maximum discrimen, nam licet pro signis Ecclesiæ ea vsurpauerint hæretici quæ à Catholicis ponuntur, in diuerso tamen sensu. Et sanctitatem quidem populi pro nota Ecclesiæ assumunt hæretici, eam tamen quæ nullibi apparet, nullibi inuenitur, nulli conspicua, soli Deo nota. Catholici autem eam sanctitatem proferunt, quæ omnibus manifesta est, & à Deo multis comprobata etiam signis & miraculis. Quòd verò inuictam fidem seu perseuerantiam in confessione fidei addant hæretici: constantia Sanctorum Martyrum in fide, longè diuersa ab ista pertinacia & duricie hæreticorum: nam hæretici in pertinacia suam perseuerantiam collocant, quòd vnus aut alter duntaxat tàm perseuerans in pertinaci prauitate fuerit. Sed tales inquit S. Cyprianus de simplicitate prælat. cap. 3. *etiamsi occisi in confeßione Christi nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec paßione purgatur.* Inuicta autem fides Catholicis & constantia denotat veram Ecclesiam, quòd nulla vis, nulla tormenta, nulli persecutionum turbines fidem Ecclesiæ superare possunt. Vnde S. Leo. Serm: 1. de natali Apost: Petri & Pauli. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dùm grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Quin etiam fides Ecclesiæ omnes aduersarios suos, tàm Iudæos quàm Ethnicos aut etiam hæreticos superauit, vicit & subegit, nam hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra, & cùm vna die, aliquot centena Christianorum occiderentur, illorum fortitudine & patientia, tot millia ad Christum conuertebantur. Dum etiam vnionem membrorum inter se, & cum capite Christo hæretici vociferantur, recedunt ab ea vnitate, quam Catholici notam Ecclesiæ agnoscunt, dùm enim inter se varia schismata excitant, vnum corpus cum capite constituere non possunt. Deinde apud veteres pro nota Ecclesiæ semper habebatur coniunctio cum capite Vicario, id est Petro & eius successore, inde S. Hieron: Epist: 58. ad Damas. Si quis Cathedræ Petri coniungitur meus est. Cum ab hoc capite desciuerint hæretici, aliunde vnionem notam Ecclesiæ sumunt quàm Catholici. Si ad sanctitatem doctrinæ respiciamus, aliud hæretici volunt per veram & incorruptam prædicationem Euangelij, aliud sanctitas doctrinæ apud Catholicos; hæretici pro-

Priscilla. Maximil- Cyprian. Leo. S. Hieron:

prio quisq; ingenio incorruptionem prædicationis Euangelij metiuntur, nec vlla hæresis extitit, quæ id sibi non arrogauerit, quamuis innumera falsa & impia docuerit, vt inspectis singulis hæresibus liquido constat. Catholicis autem doctrina sancta est, quæ nihil falsum, nihil erroneum, nihil impium continet, nihil turpe, nihil contra rationem, vt possim apud hæreticos impia, falsa, turpia, quæ turpe est & dicere, docentur, vt clarè ostendit Bellarm: de notis Ecclesiæ, cap. 9. & 11. Deniq; lumen propheticum, aliunde hæreticis atq; aliunde Catholicis est nota Ecclesiæ; hæretici ex sua insania, quæ pollicebantur, nunquam sunt impleta, vt de Montano refert Vincentius Lyrinen: cap: 24. Catholicis lumen propheticum notat veram Ecclesiam, quod euentus prædictorum confirmat, tali lumine plurimi in Ecclesia Catholica futura prædicebant, quæ & eueniebant singula.

Bellarm:

Lyrinen:

COROLLARIVM 5.

Itaq; insulsè Lutherus Orationem & Psalmodiam, item mœstitiam internam: Caluinus & Magdeburgenses alacritatem ad patiendum inter notas Ecclesiæ veræ recensent.

1. Norunt affatim hæretici, legitimas Ecclesiæ veræ notas, non posse suis vllo modo quadrare Synagogis, vt iam dictum est, ideo pro conditione ipsarummet Synagogarum confingunt notas & tesseras, sed quia id perperam & sine fundamento faciunt, Corollarij præsentis eloquitur contextus, pro quo sit.

MEMBRVM I.

An Oratio & Psalmodia possit Ecclesiæ nota censeri?

Lutherus in lib: de Concilijs & Ecclesia, in septenario notarum numero, etiam orationem publicam & psalmodiam lingua vulgari reponit, contra quem negatiuè

COLLIGITVR. Et PATET 1. Nam duplicia sunt symbola & signa, quæ ad inueniendam & cognoscendam veram Ecclesiam ordinantur & assumuntur. Alia sunt necessaria, quæ necessariò commonstrant, ad quod commonstran-

ſtrandum inſtituuntur, à Græcis τεκμήρια dicta, id eſt indicia, quæ verè ſunt media vt rem ſciamus. Alia ſigna non neceſſaria εἰκότα quaſi congrua dicta, quæ etſi ſingula rem non demonſtrant, multa tamen ſimul collecta, tanquam certa quædam veſtigia ad ipſam deducunt. Atqui oratio publica ſeu pſalmodia, nec primi generis ſignis annumerari poteſt; talia enim ſunt illa quatuor vulgata, nempe quòd Eccleſia ſit vna, ſancta Catholica & Apoſtolica: nec ad ea, quæ ſecundi generis ſigna Eccleſiæ ſunt, duci poteſt. vt eſt præſentia Spiritus ſancti, conuenientia cum ſuis imaginibus in ſcriptura expreſſis, conuenientia cum lege naturæ, &c. nihil enim iſtorum eſt oratio publica ſeu pſalmodia. Ariſt: libr 2. prior. cap. 27.

Deinde. Notæ debent ſufficienter declarare quæ ſit vera Eccleſia. Atqui oratio publica & pſalmodia id præſtare non poteſt aliam ſecundùm Lutherum; non enim declarat quo ſunt verè iuſti & electi, in quibus ſolis veram Eccleſiam Lutherus ſtatuit. Ergo oratio publica ſeu pſalmodia, etiam à Luthero contra ſuam mentem pro nota Eccleſiæ decernitur. 2.

Præterea. Oratio ſeu Pſalmodia, nec vt ex corde procedit, nec vt eſt externa, nota veræ Eccleſiæ eſſe poteſt. Ergo nullo modo, Conseq: Patet. quia his duobus modis poteſt oratio conſiderari. Ant: quoad vtrumq; manifeſtatur. Nam ſi conſideretur oratio vt ex corde procedit, ſic eſt interna. Ergo inuiſibilis. Ergo incognita & occulta. Ergo Eccleſiam notificare non poteſt, quia nota debet eſſe naturâ ſuâ cognita, vt ſæpiùs dicitur, & notior eâ re, quam notificat. Si etiam conſideretur vt eſt externa, ſic eſt communiſſima, omnes enim ſectæ orant & Pſalmos canunt: atq; hoc etiam modo non poteſt eſſe nota, de cuius ratione eſt, vt ſit propria non communis. 3.

Dices. Oratio publica & Pſalmodia indicat vbi eſt vera Eccleſia. Ergo eſt nota inueniendi & cognoſcendi eam, Conseq: Patet, quia nota ex ſua ratione id præſtare debet, Ant: Quod indicet vbi eſt Christvs, indicat vbi vera Eccleſia: quia vbi eſt Christvs, ibi vera Eccleſia, ita enim Iren: lib: 3. cap: 40. *Vbi Eccleſia, ibi & Spiritus, & vbi Spiritus Dei, ibi Eccleſia & omnis gratia.* Atqui oratio publica & pſalmodia indicat vbi eſt Christvs, adeſt enim orantibus & pſallentibus. Matth: 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ſum in medio eorum.* Ergo oratio publica ſeu pſalmodia indicat, vbi eſt vera Eccleſia. R. neg: Ant: Ad prob: d. nec oratio publica, nec pſalmodia indicat vbi eſt Christvs, nec ille locus Matth: 18. adductus, ad 4. Iren.

ad intentum orationum aut pſalmodiæ quidquam ſuffragij ferre poteſt, ſed eſt de iudicio prælatorum Eccleſiæ congregatorum, qui dùm ſententiant in obedientem congregati duo vel tres, inuocato nomine CHRISTI (quod faciebat Paulus 1. cor. 5.) errare in ſententia ferenda, propter CHRISTI directionem, qui in medio eos dirigit, non poſſunt: nam de hoc iudicio ſupra dixit. *Dic Eccleſiæ.* Sed eſto de oratione intelligatur locus ille, adhuc tamen oratio publica & pſalmodia ex eo vera nota Eccleſiæ eſſe & deduci non poteſt. Nan vera nota debet clarè rem indicare, oratio autem duorum vel trium non indicat clarè vbi ſit vel Eccleſia vel CHRISTVS, qui non in omni congregatone duorum vel trium aut plurium eſt, ſed in congregatione tantum eorum, qui in eius nomine congregantur; qui verò congregentur in nomine CHRISTI orantes, adhuc minimè clarum aut manifeſtum eſt, proinde nihil clarè aut manifeſtè indicare poteſt, inuiſibile eſt, viſibilis itaq; Eccleſiæ nota eſſe non poteſt.

MEMBRVM II.

An mæſtitia interna indicet clarè veram Eccleſiam?

5. Inter notas à Luthero poſitas, quartum obtinet locum iſta mæſtitia interna, ex qua ille inueniri & cognoſci veram Eccleſiam aſſerit: pluraq; conglomerat, videlicet puſillanimitatem, externas perſecutiones, vocari ab hominibus hæretici, internam mæſtitiam, vt eſt apud Bellarm: nam & Paulus talia ſe perpeſſum ſæpius commemorat. 2. Cor: 6. *Vt ſeductores & veraces.* Cap. 7. *Omnem tribulationem paſſi ſumus, foris pugnæ, intus pauores*, contra iſta tamen negatiuè

Bellarm:

COLLIGITVR. Nec interna mæſtitia, nec puſillanimitas, nec perſecutiones externæ, notæ Eccleſiæ veræ eſſe poſſunt. PATET. 1. Obſcurum nihil clarè & manifeſtè indicare poteſt. Sed mæſtitia interna eſt obſcura, cùm interna ſit in corde hominis. Quis autem hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo? 1. cor: 2.

6. DEINDE. Indicium perturbatæ conſcientiæ, quodué magis ſicophantam teſtatur & probat, nota veræ Eccleſiæ eſſe non poteſt. Atqui mæſtitia interna eſt eiuſmodi, quæ arguit perturbatam conſcientiam. Sap. 17. *Cùm ſit timida nequitia, dat teſtimonium Condemnationis, ſemper enim præſumit ſæua, perturbata conſcientia*: Sicophantas notat, quales fuerunt Flagellantes, de quibus

Flagellant

quibus Bernardus Lucemburg: in Catalogo hæresum, lib: 2. lit: F. qui multa simulata signa religionis præferebant, quibus multa vitia tegebant, & alebant ocultè, potius ergo lætitia interna esset nota Ecclesiæ, quàm mæstitia interna, quia illam frequenter commendant scripturæ, Ps: 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, propter quod lætatum est cor meum.* & Psal: 99. *Seruite Domino in lætitia*, Rom: 14. *Regnum Dei est gaudium in Spiritu sancto*, Ephes: 5. *Psallentes in cordibus vestris Domino.* Philipp. 4. *Gaudete in Domino semper.* Colos. 3. *Cantantes in cordibus vestris DEO.* Lucemburg:

7. Præterea. Pusillanimitas est vitium. Ergo nota Ecclesiæ esse non potest. Ant: ex plurimis scripturæ locis deducitur, Ecclesiastici 7. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Matth: 8. Pusillanimes redarguuntur. *Quid timidi estis modicæ fidei?* ideo etiam D. Thom: 2. 2æ. q. 133. art: 2. 3m: pusillanimitatem grauius esse peccatum præsumptione ostendit. D. Thom:

8. Deniq; externæ persecutiones notam Ecclesiæ statuere non possunt: quia notæ debent perpetuo esse cum Ecclesia; At externæ persecutiones non sunt eiusmodi. In principio quidem Ecclesia graues passa est persecutiones. & in fine patiatur, in medio autem tranquillatur. Deinde notæ non debent esse communes multis, sed vni propriæ, externæ autem persecutiones sunt communes, etiam sectis hæreticorum.

9. Dices 1. Vbi est mœstitia interna, ibi vera Ecclesia. Ergo est vera nota, veræ Ecclesiæ. Ant: Vbi est vera pœnitentia, ibi vera Ecclesia; siquiden extra veram Ecclesiam, non est vera pœnitentia. Atqui vbi est mœstitia interna, ibi vera pœnitentia. Ergo vbi est mœstitia interna, ibi vera Ecclesia. Min: Vbi est vera contritio, ibi vera pœnitentia. Sed vbi est mœstitia interna, ibi vera contritio: vera enim contritio est terror minarum legis, e.. mortificatio mentis, quæ nihil est aliud quàm mœstitia interna. Ergo vbi est mœstitia interna ibi vera contritio. ℞. 1. Neg: Conseq: multa enim sunt cum Ecclesia vera ita coniuncta, vt separari nequeant, nec tamen omnia illa rationem verarum notarum habere possunt, ob rationes iam superiùs expositas: ita planè, si per inconueniens concedatur, mœstitiam internam ab Ecclesia vera esse inseparabilem, non poterit tamen hæc consequentia inferri. Ergo mœstitia interna est vera nota Ecclesiæ, id declarant ea, quæ ad rationem verarum notarum requisita, superiùs sunt explicita ℞. 2. neg: Ant: Ad prob: d: illa contritio est hæreticorum, quæ ei terror de minis legis conceptus, seu mortificatio mentis & mœstitia inter-

na. qui ad veram contritionem constituendam ista requiri volunt: ast longe aliter res habet, vt enim mœstitia interna, sine vera contritione, ita vera contritio sine mœstitia interna solo impulsu diuini amoris esse potest, vt res clara est & manifesta, in illa muliere Luc: 7. de qua dictum est. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

10. DICES. 2. Christiani adhuc temporibus Apostolorum vocabantur sectarij & hæretici, vt patet Act: 24. Vers. 6. Ecclesia Christiana secta Nazarenorum dicebatur. Et Vers: 14. secta & hæresis. Et cap: 28. Vers. 22. Romani Iudæi Paulo dixerunt. *De secta hac, notum est nobis, quia vbiq; ei contradicitur.* Ergo vocari ab hominibus hæretici & sectarij, est nota Ecclesiæ. ℞. nullam esse consequentiam, nam quamuis temporibus Apostolorum alicubi Christiani ab infidelibus istiusmodi appellationibus proscinderentur, tamen hoc pro vera nota haberi non potest, quippe cum de ratione notæ sit perpetuitas: non enim veræ notæ (quod sæpius dicitur) ab Ecclesia separari possunt, illi autem sarcasmi breui tempore durabant, mox conquieuerunt. Quin verò passim appellari sectarios, & hæreticos, nota est synagogæ satanæ, omnes enim hac appellatione semper censentur, qui se à fide Catholica & Apostolica pertinacia sua separant: vt olim Ebionitæ, Cerinthiani, Marcionitæ, Ariani, Manichæi, ita nunc Caluinistæ & Lutherani.

MEMBRVM III.

Num alacritas patiendi euidenter ostendat veram Ecclesiam?

11. Magdeburgenses in suis Centurijs ibi colligunt veram inueniri Ecclesiam, vbi aliqui inueniuntur, qui vsq; ad mortem in confessione fidei stabiles & immobiles perseuerent, sed contra ipsos

COLLIGITVR. Non posse euidenter & infallibiliter veram Ecclesiam ex eo colligi, quòd aliqui pro fide patiuntur. PATET. 1. Est de ratione notæ propriæ dictæ, esse vni proprium, non commune multis. Atqui pati pro fide, & in eius confessione ad mortem vsq; perseuerare est commune multis etiam sycophantis. Ergo non potest esse vera Ecclesiæ nota. MIN: patet, quia nulla vnquam fuit secta, quæ de suis Martyribus in confessione suæ fidei occumbentibus gloriata non fuerit. Nam & apud hæreticos, qui propter iniquitates & errores suos, aliquid molestiarum perpessi fu-

Bellarm: in lib: de notis Eccl cap: 2. circa finem refert cōplures.

erunt, nomine Martyrij se iactant, ait S. August: Et quòd Caluinus de suis gloriatur, eosq; magnificè efferat, Lutheranisq; anteferendos existimet, quòd promptiores paratioresq; sint, ad quæuis genera suppliciorum perferenda: iam multo ante Montanistæ affirmabant se habere complures martyres, vt refert Euseb: lib: 5. cap. 15. Marcionistæ quoq; idem sibi gratulabantur, vt est apud Sanderum lib: 7. monarch: ad annum 186. litera. T. Sed & S. August: Epist: 50. suis temporibus testatur prodigiosam quandam fuisse in Donatistis cupiditatem mortis, ita vt ad paganorum celeberrimas solemnitates, ingentia eorum agmina sæpè venerint, vt à cultoribus idolorum interficerentur. De Anabaptistis etiam S. Bernard: Serm: 66. in Cant. d. miratos esse aliquos, quòd non modo patienter, sed & læti vt videbantur, ducebantur ad mortem. August. Caluin: Montan: Euseb. Marcion: Sander. August: Donatistæ Bernard.

Deinde. Illud veræ notæ rationem habere non potest, quod nullo modo in cognitionem perfectam Ecclesiæ, siue veræ, siue eorum à quibus pro nota assumitur, perducere valet. Atqui talis est ista alacritas patiendi, & perseuerantia in fidei confessione vsq; ad mortem. Ergo. Mai: manifesta ex officio notarum, quæ debent perfectè deducere in rei notitiam. Min: inprimis, quòd huiusmodi alacritas patiendi non ducit in perfectam cognitionem veræ Ecclesiæ, patet, quia communis est multis, vt iam dictum est. Non etiam ducit in cognitionem conuenticuli eorum à quibus assumitur pro vera nota, imò contra ostendit hæc alacritas non esse veram Ecclesiam apud eos, à quibus assumitur: nam apud Lutheranos à quibus assumitur, conuincit non esse veram Ecclesiam, quia ostendit nouam esse, diuersam ab antiqua, in qua vt ipsi aiunt, multis seculis ante aduentum Lutheri, cessârat confessio veræ fidei, cùm hæc vera Ecclesia ex eorum sententia, in latebris conseruata, prorsus fuerit inuisibilis, & nunc sit. 12.

Dices. Nota veræ fidei, & veræ secundum fidem doctrinæ, est simul nota Ecclesiæ; siquidem vera fides, & doctrina secundum fidem vera, non est nisi in vera Ecclesia. Atqui alacritas patiendi pro vera fide, & perseuerantia vsq; ad mortem, est nota veræ fidei, & veræ secundum fidem doctrinæ, quod in Apostolis qui fuerunt columnæ fidei & Ecclesiæ. Act: 5. comprobatur, quoniam ibant gaudentes à conspectu Concilij contumeliam pati. Ergo alacritas patiendi, & perseuerantia vsq; ad mortem, est nota veræ Ecclesiæ. ℟. equidem Martyrij gratia peculiaris est Ecclesiæ, vt ostendit Iren; lib: 4. cap: 64. *Opprobrium* inquit *eorum qui persecutionem patiun-* 13. Iren:

tur propter iustitiam, & omnes pœnas sustinent, & mortificantur propter eam quæ est erga Deum dilectionem, & confeßionem filij eius, sola Ecclesia purè sustinet, sæpe debilitata, & statim erigens membra, & integra tuens. Verumtamen nec veram fidem aut doctrinam fidei, nec Ecclesiam veram, possumus infallibiliter ex ista alacritate patiendi colligere; quoniam vt non solùm oues, sed etiam lupi quandoq; mactantur, ita non pœna verum Martyrem, sed causa pia testatur: fundunt enim sanguinem diuersá causâ diuersi, alij iniquitate, alij pietate: alij elatione, alij & charitate: alij propter veram fidē alij propter errores: quod de hæreticis, S. Augustinus effatur. Ergo quod commune est multis, vnius vera & propria nota esse non potest; quin etiam verum Martyrium, obscurius est vera Ecclesiâ, & nonnisi per veram Ecclesiam innotescit verum Martyrium, Nam vt S. Cyprianus, de simplicit: Prælatorum dicit. *Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est, ad regnum peruenire non poterit, qui eam quæ regnatura est, derelinquit*: quod Apostolus 1. Cor: 13. in hæc verba protestatur. Etiamsi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Addit S. August: de schismaticis & hæreticis. *Quomodo habet vel exiguam charitatem, qui etiam conuictus non amat vnitatem?* Videmus autem iam omnes sectas illas, defectu patientiæ extinctas, quæ alacritate patiendi gloriabantur. Ecclesia autem Catholica vera, semper crescit persecutionibus & augetur, contra quam in Petro fundatam, portæ inferi præualere non possunt. Indubium quòd Synagoga Magdeburgensium, quæ notam Ecclesiæ alacritatem patiendi asserit, simili occasu cæterarum sit extinguenda, imò iam maiori ex parte extincta.

August. Cypr. August.

14. INSTABIS. Inter notas Ecclesiæ est etiam Martyrium, Ergo alacritas patiendi clarè & necessariò commonstrat veram Ecclesiam. ℞. 1. Martyrium potest dici nota Ecclesiæ, non directè, sed tantùm reductiuè: illud enim nota directè censeri debet, per quod res clarè, euidenter & necessariò innotescit magis, quàm ipsum per rem cuius nota esse debet. Porrò Ecclesia non magis clarè, euidenter & manifestè innotescit per martyrium, quàm martyrium per Ecclesiam; imò clarius verum martyrium innotescit per Ecclesiam, quàm Ecclesia per verum martyrium. Habet quidem Ecclesia præter martyrium suas notas ex quibus infallibiliter cognoscatur, verum autem martyrium non cognoscitur aliunde quàm quia est in vera Ecclesia, ille enim verus est martyr, qui in Ecclesia est, vt ait S. Cyprian. Et inde cognoscimus, apud Arianos, Donatistas, Anabaptistas Lutheranos & Caluinistas nul-

lum esse martyrium, quia non est Ecclesia. Non ergo directè martyrium nota Ecclesiæ dici potest, sed reductiuè, quia potest reduci ad vnam ex illis quatuor, per quas Ecclesia clarè & necessariò innotescit. scilicet ad sanctitatem, cùm martyres nobilissimum virtutis munus expleant, & sanguinis proprij profusione consignent, pro virtutis officio vitam ponentes. ℞. 2. neg: CONSEQ: nam alacriter pati, & vsq; ad mortem perseuerare, cùm in hæreticis etiam reperiatur, euidenter & infallibiliter veram Ecclesiam demonstrare non potest. Sæpe enim ista alacritas patiendi etiam extra verum martyrium reperitur. Quis enim ignoret diuersam esse constantiam Sanctorum Martyrum in fide, ab ista pertinaci alacritate patiendi in hæreticis? nam constantiam SS. Martyrum nulla vis, nullaq; tormenta vnquam superare possunt, quin potiùs superat & subigit aduersarios, pertinax autem illa patiendi alacritas, tandem cessit persecutionibus, sicut iam dictum est.

CONCLVSIO IV.

PRopter visibilitatem & aspectibilitatem Ecclesiæ veræ, petuntur ac sumuntur notæ eius, ex qualitatibus, non quibuscunq;, sed ex ijs quæ cum Ecclesia recurrunt & reciprocantur.

Ex supra dictis Conclusione prima, constat veram Ecclesiam debere esse visibilem, claram & aspectibilem, ac in manifesto positam; nam illa inuisibilis, planeq; Mathematica ab hæreticis excogitata, non est vera DEI Ecclesia, quod ex supra dictis liquet. In hac itaq; Conclusione, quasi corollariè infertur, ipsius veræ DEI Ecclesiæ, notas desumendas esse ex qualitatibus extrinsecis: nec quibusuis, sed ex ijs, quæ ita sint ei affixæ & adnatæ, vt nec Ecclesia sine illis, nec illæ extra Ecclesiam inueniri possint. Sed vt difficultas manifestior appareat, subiectis articulis efficere conabor. Sit proinde

ARTICVLVS I.

An quia visibilis Ecclesia, ideo notæ ipsius ex qualitatibus sint petendæ?

1. Negans pars his ſuaderi poteſt. 1. Notæ Eccleſiæ veræ ex eſſentialibus illius pati debent. Ergo non ex qualitatibus quæ ad eſſentiam pertingere non poſſunt. ANT: quod perfectiùs & exactius rem notificat, ex eo ipſius notæ ſunt petendæ, quæ ad notificandam rem inſtituuntur, Sed eſſentialia perfectius & exactius, ſicut rem quamuis aliam, ita & Eccleſiam notificant; ex eſſentialibus enim deuenimus ad cognoſcendam ipſam intrinſecam rationem rei, per demonſtrationem. Ergo ex eſſentialibus notæ Eccleſiæ veræ
2. peti debent. 2. Notæ Eccleſiæ tales eſſe debent, quæ ipſam certò & infallibiliter demonſtrent. Sed qualitates id præſtare non poſſunt. Ergo notæ ex qualitatibus ſumi & peti non debent. MIN: vt aliquid certo & infallibiliter rem demonſtret, debet eſſe certum, permanens & non mutabile; qualitates autem ſunt incertæ, mutabiles, nunquam permanentes, cùm
3. ſint accidentia quæ poſſunt adeſſe & abeſſe. 3. Si notæ Eccleſiæ ex qualitatibus ſunt petendæ: aut communibus aut proprijs, ſed neutræ ad hoc ſufficiunt. Ergo. MAI: patet ex ſufficienti diuiſione qualitatum. MIN: probatur. Notæ debent neceſſario demonſtraræ Eccleſiam. At nullæ ex iſtis qualitatibus id præſtare poſſunt. Ergo. MIN: declaratur. Non communes, quia multis conueniunt & poſſunt adeſſe & abeſſe, vt albedo parietis, poteſt ipſi adeſſe & abeſſe, multiſq; alijs conuenit. Non etiam propriæ, quia licet non poſſint abeſſe, tamen multis conueniunt, vt albedo Cygni, licet non poſſit abeſſe, neceſſario enim & non contingenter ipſi conuenit, tamen etiam multis alijs ſimul conuenit, ideoq; nihil certò & neceſſariò demonſtrat. IN OPPOS:

4. CONCLVDITVR. Ad inueniendam & cognoſcendam viſibilem Eccleſiam, rectè ex qualitatibus ipſius notæ ſunt petendæ. Ita omnes Catholici ſentiunt, qui illas quatuor à Concilijs poſitas approbant & recipiunt. PATET 1. Rei viſibilis notæ, viſibiles eſſe debent; quia cognoſcibilis eſt ſecundùm conditionem ſuam, ſi materialis eſt, materialiter, ſi expers materiæ, ſublimiori modo venit in cognitionem. Ergo & Eccleſia viſibilis per notas viſibiles rectè inueſtigatur. Atqui illæ quæ petuntur ex qualitatibus ipſius, ſunt viſibiles. Ergo quia viſibilis rectè per notas ex qualitatibus petitas inuenitur & cognoſcitur.

5. DEINDE. Signum certum Eccleſiæ veræ eſt, quòd omnibus appareat. Ergo iam per notas apparentes, ex qualitatibus apparentibus deſumptas re-
Auguſt: ctè inuenitur & cognoſcitur. ANT: liquet ex Auguſt: lib: 13. cap: 13.

contra Fortunatum Manichæum. d. *Tanquam ille quem catechizamus quæreret quo manifesto indicio, non valens à tot erroribus liquidam discernere veritatem, tenebo Ecclesiam Christi propheta docet Ecclesiam Christi ipsam esse prædictam, quæ omnibus eminet & apparet.* Et lib: 16. cap. 17. *Nec audiantur, qui nomine quasi secretæ & apocriphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt: ecce in cunabulis, aut in deserto est, quia non potest ciuitas abscondi supra montem constituta.*

Præterea. Notæ ita debent Ecclesiam demonstrare, vt sensibilis appareat. 6.
Atqui hoc demum per qualitates consequitur extrinsecas per intrinseca enim quæ intus latent in ipsa id obtinere non potest. Ergo ex qualitatibus istiusmodi notæ Ecclesiæ comparari debent. Verùm de hoc frequentiùs. Iam

Ad arg: ℞. Ad 1. Dupliciter aliquid notificari potest. An sit, & 7.
Quid sit: essentialia ergo notificant rem quid sit; porrò notæ Ecclesiæ non eo fine sunt institutæ, vt notificent quid sit, sed An sit. iam ergo qualitates externæ perfectiùs notificant Ecclesiam An sit, quia ad sensum declarant, quæ sit vera Ecclesia. Seu, dupliciter cognoscitur Ecclesia, intrinsecè quoad immediationem & firmitatem, quod fit per essentialia; extrinsecè quoad claritatem, & hoc consequitur per extrinsecas qualitates.

Ad 2. ℞. Rectè docent Logici accidentia seu qualitates in duplici esse 8.
differentia, nam aliæ sunt communes, aliæ propriæ. Communes sunt quæ extrinsecùs aduenientes à causa producuntur extrinseca non necessaria, propriæ sunt, quæ oriuntur à causa propria, necessaria, quæuè à subiecto abesse non possunt, vt candor cygni, nigredo corui. Prioris generis qualitates sunt incertæ, mutabiles, nec sunt permanentes: posterioris generis sunt certæ, permanentes, quæ mutari non possunt: ex huius itaq; generis qualitatibus petuntur notæ Ecclesiæ, ideoq; certò, infallibiliter, & necessariò demonstrant veram Ecclesiam.

Ad 3. ℞. Eodem modo, nam notæ Ecclesiæ petuntur ex qualitatibus 9.
non communibus, sed proprijs, atq; ex ijs quæ cũ Ecclesia recurrunt & reciprocantur, id est, quæ ita sunt affixæ & adnatæ Ecclesiæ, vt nec ab illa possint abesse, nec alteri conuenire, quæ quasi ex ipsa natura & essentia profluant quomodo Logici de proprio quarti modi philosophantur.

ARTICVLVS II.

An sit necesse, huiusmodi qualitates reciprocas esse cum Ecclesia?

Qualitates ex quibus desumuntur notæ Ecclesiæ, non necessariò esse reciprocas & recurrentes cum Ecclesia, his suaderi posse videtur. 1. Nullæ
10. possunt inueniri qualitates, quæ cum Ecclesia vera recurrant & reciprocentur. Ergo non est necesse vt notis constituendis tales qualitates quærantur. CONSEQ: manifesta. ANT: Si quæ essent huiusmodi qualitates, potissimum illæ quatuor vulgatæ, scilicet Vnitas, Sanctitas, Catholicam & Apostolicam. At istæ non sunt reciprocæ cum Ecclesia, sunt enim communes pluribus, nam quælibet secta hæreticorum ijsdem se signat. Ergo. 2. Ex sublimitate & claritate Sanderus lib: 8. Visibilis Monarch: Cap. 50. Sumit no-
11. Sander: tas Ecclesiæ. Atqui istæ qualitates non sunt reciprocæ & recurrentes cum Ecclesia, quia sine illis aliquando fuit Ecclesia: quæ aliquando non sublimis, sed humilis & depressa fuit persecutionibus infidelium: non clara, sed
Beda. obscura & fœdata, quod Beda lib. 2. cap. 28. in caput 8. Marci ita exequitur. Nonnumquam Ecclesia tantis gentilium pressuris, non solùm afflicta, sed & fœdata est, vt si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Ergo qualitates ex quibus notæ Ecclesiæ desumun-
12. tur, non necessariò sunt cum ipsa reciprocæ. 3. Notæ Ecclesiæ veræ, non possunt peti & desumi ex essentialibus illius. Ergo nec ex qualitatibus cum Ecclesia reciprocis. Consequitur quia non minus sunt occultæ qualitates istiusmodi atque essentialia, siquidem affixæ sunt essentialibus, & ex illis quodammodo fluunt. Ergo par est ratio de vtriusq;. Iam verò in oppos.

13. CONCLVDITVR. Affirmatiuè. Patet. 1. Notæ Ecclesiæ debent ipsi adæquatè conuenire. Ergo ex qualitatibus reciprocis & recurrentibus petendo. Ant. quia solis & semper conuenire debent, non enim communes esse debent: nec aliquando Ecclesia sine illis esse poteſt, si ipsi conueniant vniuersim, & pro quod ipsum.

14. DEINDE. Qualitates ex quibus petuntur notæ, nisi sint cum Ecclesia recurrentes, non possunt ipsam visibiliter demonstrare, & finem controuersiæ imponere: ita enim essent incertæ & mutabiles; porrò Ecclesia cùm

sit visibilis & permanens, per visibiles qualitates & cum ea recurrentes innotescere debent, quæ ex altera parte negotio satisfaciant.

Præterea. Notæ Ecclesiæ ex ijs accidentibus sumi debent, quæ ita eam comitantur, vt vbicunque illa sunt, ibi Ecclesiam esse necessario oporteat, vbi verò illa non sunt, nec Ecclesia esse possit; lux enim cùm sit nota corporis lucentis, designat enim corpus lucens, ita connexa est cum corpore lucente, vt vbi illa est, necesse sit esse ipsum quoque corpus lucens, vbi autem lux non est, neque corpus lucens esse manifestum est. Ergo accidentia ex quibus desumendæ sunt notæ Ecclesiæ, recurrentia & reciproca oportet esse cum ipsa Ecclesia. Ad. arg: ℞. 1. illæ quatuor vulgatæ qualitates, ita sunt affixæ Ecclesiæ, vt nulli alteri secundum veritatem conuenire possunt, prout hîc sæpius dicitur. Quòd verò etiam sectarij aliquando eos sibi arrogant, id in alio sensu faciunt, suamet ipsorum persuasione more simiarum, quæ cùm homines non sint, homines tamen imitentur, vt de Nouatianis prodidit S, Cyprianus ad Iubaianum, *pollicitationem tantam veritatis proferunt, à veritate autem longè recedunt.* 15. 16. Cypr.

Ad. 2. ℞. Quantùm ad sublimitatem Ecclesiæ, hæc semper inseparabilis manet, ipse siquidem Christus, suam in sublimi ædificauit Ecclesiam: nam cùm Petrus sublimem illam Confessionem Matth. 16. fecisset. d. *Tu es Christus filius DEI viui*, in hac eius sublimitate Ecclesiam se ædificaturum promisit. d. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Quia ergo in Petro tanquam in Petra, & monte sublimi ædificata semper manet Ecclesia, ipsa semper sublimis est. Quòd si etiam istam sublimitatem ex loci sublimitate metiri voluerimus, sicut nullus in orbe terrarum sublimior locus vrbe Româ, quæ Caput orbis semper habita est, ita Ecclesiam semper sublimem dicere est necesse, cuius caput, id est Cathedra Petri, semper in illo sublimi loco. Quantùm ad claritatem Ecclesiæ, eâ semper omnium oculis exposita, vsque adeò claritate conspicua, cui nihil præssuræ quas patitur obesse potuerint. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia sed augetur*, ait S. Leo Serm: 1. de SS. Petro & Paulo. Quod quanquàm omnibus seculis, sed etiam nostro præsenti non solùm videre oculis, verùm etiam manibus contrectare licet, quo florentissima in nostro semper Catholico Poloniæ Regno Ecclesia, nunc à Schismaticis, nunc ab hæreticis afflicta, & quasi iam ad tumulum vrgeri existimata, tantùm abest vt obscuraretur, vt etiam magis ac magis resplenderet, & veluti aurum sub igne fulge- 17. S. Leo. Poloniæ semper Catholica.

fulgeret. Nam ſicut palea flammæ data fumat, & aurum rutilat; ita ſectæ malignantium in tribulatione deficiunt, & penitus abſumuntur ac euaneſcunt. Eccleſia autem vera magis ſemper apparet, clarificatur, & ſuum explicat ſplendorem, ſicut ſol refulgens & ſicut luna perfecta in plenitudine ſua cognoſcitur ab omnibus populis & gentibus, non in penetralibus aut angulis, vt hæreticorum concubinæ, ſed in vniuerſitate populorum, clara & aperta omnibus conſpicua, iudex eſt veritatis vt S. Auguſt: lib. 13. contra Fauſtum cap. 14. dùm quærit. Quod ſit manifeſtum iudicium veritatis? reſpondet Eccleſiam ipſam, quæ omnibus eminet & apparet. Ireneus quoque lib. 3. cap. 3. claritatem Eccleſiæ veræ, quàm Romam eſſe docet, ita eloquitur. *maximæ & antiquiſsimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & anuntiatam hominibus fidem per ſucceſsiones Epiſcoporum, peruenientem vſq; ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modò, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt.*

August: Iren:

18. Ad 3. ℞. ſi ordinem naturæ attendamus, quæ fluunt ex eſſentialibus, non minùs ſunt occulta atque ipſa eſſentialia, quod ſi ordinem cognitionis noſtræ ſpectemus, notiora ſunt ea, quæ ex eſſentialibus fluunt, quia ſunt propinquiora ſenſibus. Itaq; qualitates cū Eccleſia reciprocæ & recurrentes, quia propinquiores ſunt ſenſibus, quàm ipſa eius eſſentialia, notiores ſunt nobis, quàm eſſentialia, vt ex illis notas conſtituamus demonſtrantes Eccleſiam.

COROLLARIVM I.

Hæreticum eſt ſentire & docere, Eccleſiæ veræ notas, non ab exterioribus, ſed ab ijs, quibus Eccleſiæ ſubſtantia continetur, ſumendas eſſe & petendas.

Quoniam hæretici præpoſterè de Eccleſia ſentiunt, præpoſteras ad eam inueniendam notas excogitant: & ſicut Philoſophus dicit. Dimittere ſenſum & ſequi rationem, eſt debilitas intellectùs. Ita ipſi dimittentes qualitates extrinſecas, & petentes notas Eccleſiæ ab ijs quibus continetur ſubſtantia ipſius, toto cælo errant. Verùm vtrum ex hoc conuincatur quis hæreti-

hæreticus esse, in præsenti offert se determinandum, proquo Colligitvr, affirmatiuè, Patet. 1. Tueri pertinaciter aliquem errorem contra publicum patrum & Ecclesiæ sensum, est hæreticum. Atqui sentire & docere Ecclesiæ notas ab ijs sumendas esse, quibus Ecclesiæ substantia continetur, est pertinaciter tueri errorem contra publicum sensum patrum & Ecclesiæ. Ergo id facere hæreticum est. Maj. est euidens ex ratione Hæresis, de cuius ratione est, repugnare pertinaciter ordinationi, quæ determinatur authoritate vniuersalis Ecclesiæ, vt exponit D. Thom: 2. 2æ. q. 11. art: D. Thom:
2. 3m. Min: etiam deducitur, nam & Patres, & vniuersalis Ecclesia Conciliorum authoritate ordinat, Ecclesiæ notas non ex intrinsecis & essentialibus, verùm ex qualitatibus extrinsecis desumendas esse, quod patet ex symbolo Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, & Romani, vt infra ostendetur.

Deinde. Dogma nouum antiquitati contrarium, est Hæreticum, no- 2.
uum enim & inauditum, non ad religionem, sed ad tentationem pertinet, ait Vincentiùs Lyrinen. cap. 25. Atqui sentire & docere notas Ecclesiæ pe- Lyrinen:
tendas ex illis, quibus Ecclesiæ substantia consistit, est nouum antiquitati contrarium: quandoquidem antiquitus Ecclesia, per signa extrinseca cognoscebatur

Præterea. Dogma in quo temere contemnitur Catholicus San- 3.
ctorum consensus, est Hæreticum, ex Vincentio Lyrinense cap. 40. sentire Lyrinen.
autem & docere notas Ecclesiæ non esse petendas ab exterioribus accidentibus, est contemnere Catholicum Sanctorum consensum, qui in vnum consentiunt notas Ecclesiæ ab exterioribus sumendas.

Dices. 1. Hæreticum est, quando aliquid falsum sentitur circa ea, quæ D. Thom.
ad fidem pertinent. Sed sentire & docere Ecclesiæ veræ notas non ab ex- 2. 2æ. q. 11. Art. 2. c.
terioribus, sed ab ijs quibus substantia Ecclesiæ continetur, sumendas esse & petendas, non est, sentire falsum circa ea quæ ad fidem pertinent, Ergo 4.
id Hæreticum non est Min: Articuli fidem ad fidem pertinent, sentire autem & docere notas veræ Ecclesiæ non esse sumendas ab exterioribus, sed à substantialibus ipsius, non est falsum sentire circa articulos fidei. Ergo nec circà eà quæ ad fidem pertinent, ℞. dupliciter dici potest aliquid pertinere ad fidem, vno modò principaliter & directè, vt Articuli fidei, alio modò indirectè & secundario, sicut eà ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius Articuli. Est ergo Hæresis principaliter contra articulos fi-

 dei,

dei, secundario contra ea, quæ ex articulis sequuntur. Et quoniam ex articulis fidei, sequitur, notas non ex substantialibus Ecclesiæ, sed ex qualitatibus extrinsecis esse petendas, idcirco Hæresis est, contrarium huic opinari.

5. DICES. 2. Ex veritate & sanctitate fidei, notæ Ecclesiæ sumi debent. Sed veritas & sanctitas fidei, Ecclesiæ substantiam continent. Ergo ex ijs quæ continent substantiam, notæ Ecclesiæ sumi debent. MAI. patet. quia sicut vbi non est vera fides, nec Ecclesia, vt S. Ambros. lib. 6. in cap. Luc. 9. *Si qua* inquit *est Ecclesia, qua fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta posideat, deserenda est.* ita vbi vera fides, veram ostendit Ecclesiam. S. Hieron: in Symb. ad Rufin. Illa inquit *Ecclesia est Sancta, quæ fidem Christi integram seruat.* Et in ps. 33. *Ecclesia non in parietibus consistit sed in dogmatum veritate, Ecclesia ibi est, vbi fides vera est.* ℞. neg. MAI. Patres autem docent veram Ecclesiam fundari in vera fide, non tamen per veram fidem cognosci veram Ecclesiam, cùm illud sit obscurius: non enim fides vera, iudicat de Ecclesia vera, sed contra Ecclesia vera, de fide vera, tanquam notius & manifestius de obscuriore.

COROLLARIVM 2.

Vt testamentum de teste, Scriptura de scriptore, instrumentum de notario non iudicat: ita Scriptura seu Verbum DEI Scriptum, non de Ecclesia, sed contra Ecclesia de Verbo DEI scripto, fert testimonium.

1. ABundè congruis (meo iudicio) similitudinibus ostenditur, Scripturam seu verbum DEI scriptum, non posse inter veras Ecclesiæ notas recenseri, siquidem scriptura finem causæ, de Ecclesia inuenienda aut cognoscenda facere non potest, quod tamen veræ notæ præstare debent: & in hoc conatus Hæreticorum eliduntur, semper discentium, & nunquam ad cognitionem veritatis peruenientium, ad scripturam semper prouocantium, nec tamen ex scriptura Ecclesiam cognoscentium. Verbum vt de iudicio tàm Scripturæ quàm Ecclesiæ aliquid certi definiatur. Sit

MEMBRVM I.

An scriptura de Ecclesia iudicare possit?

CONtendunt Hæretici, refellunt Catholici: contendunt inquam scripturam palàm ferre iudicium de Ecclesia, eiusque veram & propriè dictam notam esse: contrarium ostendunt Catholici quod PATET 1. Iudicare, est clarè sententiam pronuntiare, & causam litis determinare. Atqui scriptura non potest de Ecclesia sententiam clarè pronuntiare, aut causam litis determinare: iam enim dudum ab omnibus fuisset manifestè cognitum, adeo vt inter litigantes de Ecclesia, alij sententiam à scripturæ pronuntiatam palàm cognouissent & confessi fuissent contra se pronuntiatam, alij pro se, quod hactenus non videtur. Vide Hosium lib. 5. contra Brent: pag: 516.

DEINDE. si scriptura manifestè profert iudicium de Ecclesia, tanquam iudex, aut eam clarè demonstrat, quod est munus notæ propriè dictæ, cur tandem illi non agnoscunt, nec intrant veram Ecclesiam? Catholici docent Ecclesiam potiùs ferre iudicium de scriptura, & ab Ecclesia magis petendam doctrinam, dùm de ea exoritur controuersia: proponit quidem nobis scriptura primùm Ecclesiam, Ecclesiæq; Doctores velut notiores, vt deinde per eos doctrinam accipiamus. Fidem se ab Ecclesia perceptam custodire profitetur Ireneus lib. 5. cap. 40. per Apostolos, Prophetas & Doctores, quia in *Ecclesia* inquit *DEVS posuit Apostolos, Prophetas, Doctores & vniuersam reliquam operationem Spiritus, cuius non sunt participes omnes, qui non concurrrunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant à vita, per sententiam malam & operationem pessimam.* Eundem sensum pluribus profert lib. 4. cap. 43. Quod verò de Scriptura & doctrina ab Ecclesia sit iudicium expectandum, ostendit Isaias cap. 2. d. *Erit Præparatus mons domus Domini in verticè montium, & fluent ad eũ omnes gentes & dicent, venite ascendamus ad montẽ Domini & ad domũ DEI Iacob, & docebit nos vias suas.* Priùs videnda domus DEI Iacob, & postea ad eam veniendum, & perdiscenda doctrina DEI, Atqui mons domus DEI Iacob est Ecclesia, vt secundùm literã exponit Lyranus locũ istũ, quæ dicitur inquit domus DEI, tùm quia fundata fuit per prædicationem Christi, & eius miracula in monte Sion. vbi erat templum Domini: tùm quia Ecclesia quæ est domus Domini, dignitate excellit omnem aliam congregationem à principio mundi ad cultum DEI ordinatam. Ergo ab Ecclesia iudicium

2. (margin, beside "DEINDE") — Iren: (margin, beside "custodire profitetur Ireneus") — Lyran. (margin, beside "exponit Lyranus")

iudicium de scriptura & doctrina expetitur, non contra.

3. PRÆTEREA. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, vt docet Apostolus 1. Tim. 3. Ergo iudicium ipsius verum de scriptura & doctrina: cui ad hoc ipsum dati sunt pastores & doctores, *vt non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ,* Ephes. 4. Si nos Ecclesia per pastores & doctores tuetur ab omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia hæreticorum ad circumuentionem erroris. Ergo ab Ecclesia verum iudicium de doctrina requirendum.

4. Hosius. INSVPER. Is demum sincerum DEI verbum habet, & veram doctrinam, qui recipit scripturas eo sensu, quo Ecclesia per Patres & Concilia interpretatur, vt ostendit Hosius contra Brent: qui verò recipit scripturas, non Ecclesiæ hoc est patrum & Conciliorum, sed suo proprio sensu, is recipit quidem scripturam, sed verbum DEI non recipit, quia pro verbo DEI, nonnunquam recipit verbum diaboli: quando non eam quæ DEI, sed quæ satanæ spiritu facta est scripturarum interpretationem recipit, Ergo ab Ecclesia verum iudicium de scripturarum sensu & doctrina habetur.

5. DENIQ. Obscurius de manifestiore iudicare citra Sophista non potest. Atqui scriptura obscurior est, manifestior & clarior Ecclesia, cuius claritas ostensa conclusione 1. Obscuram autem esse scripturam, infra ostendetur. Ergo nõ scriptura de Ecclesia, sed Ecclesia de scriptura iudicat.

6. POSTREMÒ. Ecclesia simpliciter prior & notior est Scripturis, cui datæ sunt; vt declarat Bellarm: in lib. de notis cap. 2. Ergo Ecclesia potiùs iudicat de scripturis.

7. August: DICES. 1. Scriptura manifestior & clarior est quàm Ecclesia. Ergo ex scriptura iudicium fertur de Ecclesia. Ant: Ex Scriptura cognoscitur Ecclesia. Ergo scriptura manifestior & clarior. ANT. est Augustini epist. 166. d. *Ex scripturis cognoscimus Christum, ex scripturis cognoscimus Ecclesiam,* ℞: neg. Ant: quod autem August: dicit ex scripturis nos cognoscere Ecclesiam, id ita intelligendum sicut dictum est: proponit quippè scriptura nobis primum Ecclesiam, Ecclesiæq; doctores, velut notiores, vt deinde per eos doctrinam accipiamus: non ergo, potest scriptura de Ecclesia iudicare tanquam notior, sed cùm sit obscurior ab Ecclesia notificatur, *in qua sola est pura confessio filij DEI purus sensus scripturæ & verbi DEI vt*

Iren: Iren: lib. 4. cap. 64. docet.

8. DICES. 2. Per scripturam omnis controuersia deciditur, ad quam re-

mittit DEVS Isai 8. d. *Ad legem & testimonium.* Ergo de Ecclesia quoq; iudicium ex scripturis expectandum, de quo etiam Apostolus Hebr. 4. *Viuus est sermo* DEI *& efficax, & penetrabilior omnis gladio ancipiti, & pertingens ad diuisionem animæ ac Spiritus compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* ℞. loci ex Isaia adducti, vide explicationem pro isto negotio apud Martinum Becanum, in lib. de iudice controuersiarum, ad 1. obiect: Deinde scriptura habet se per modum gladij illius, quem Salomon 3. Reg: 3. proferre iussit ad diuisionem infantis de quo lis erat inter duas mulieres, vt enim gladius ille potis erat acumine suo diuidere infantem ad dirimendam litem illarum mulierum, ita scriptura sensu à Spiritu Sancto inspirato, controuersias Ecclesiasticas dirimere potest. Porrò sicut ille gladius non in propria virtute id præstabat, sed tanquam instrumentum in virtute principalis agentis, scilicet manus gladium mouentis, ita scriptura non ipsa per se, sed ab alio adhibita, qui Spiritu Christi sensum cuius aperit, dirimit omnes controuersias. Et quia Ecclesia habet Spiritum Christi, vt pote corpus Christi, participans eundem Spiritum à capite, ideo tunc scriptura dirimit omnes difficultates, dùm ad hoc opus ab Ecclesia assumitur & applicatur. Becan:

9. DICES. 3. Scriptura notior quàm Ecclesia, vt pote quæ lucerna propter claritatem appellatur, ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Ergo Scriptura iudicat de Ecclesia eamque demonstrat. ℞. iam constat falsum esse, scripturā notiorem esse Ecclesia: quod verò ex Ps. adfertur nihil iuuat in contrarium, etsi enim verbum DEI est lucerna, non simpliciter tamen de scriptura accipiendum, quæ pars est vna verbi DEI, nō simpliciter inquā, sed prout ab Ecclesia est propositū & expositū: iuxta illud eodem Ps. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* hæc autem sermonum DEI declaratio, fit per Ecclesiam.

10. ROGABIS. An per solas Scripturas Hæretici sufficienter redargui possint? ℞. negatiuè. Ratio: tùm quia scripturam cùm sit obscura, semper hæreticus ad suum sensum peruersa interpretatione detorquere studebit, dicens: sic vel sic intelligi debet. Hinc Isidor lib. 1. de summo bono cap. 19. *Via* inquit *per quam fit hæresis, est obscuritas diuinarum scripturarum, in qua caligantes hæretici, aliud quàm se res habet intelligunt.* Tùm quia dùm clara est, & manifestè contra Hæreticum adfertur, sciolus linguæ Hebraicæ aut Græcæ, ad illa idiomata effugia quæret. Tùm quia si nec idioma- Isidor.

 ta ipsi

ta ipsi suffragari possunt. scripturam negabit esse Canonicam, ita enim Lutherani & Caluinistæ plures libros de Canone Scripturæ expunxerunt. Tùm deniq; quia ex scriptura peruersè intellecta, omnes Hæreses sunt exortæ & nullus vnquam hæreticus per solam scripturam conuersus fuit. Verissimè proinde Tertull. in lib. de præscript: tractans illa verba Tit. 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundum correptionem deuita &c.* docet, cum Hæreticis nihil proficere congressionem scripturarum, nisi planè ad stomachum mouendum, aut cerebrum malè agitandum. Quis enim dubitat hæreticum non verè accipere scripturas. quantumuis sibi glorietur, nisi suis adiectionibus aut detractionibus, ad instituti sui normam interuertentem: Quid promouebit vel exercitatissimus in scripturis, si quid cum eis agens defenderit aut ex aduerso negauerit, ipso Hæretico vel impugnante defensum, vel defendente impugnatũ? ventũ est ad scripruras, ille dicit se abundare suo sensu, interuertit eas, & praua intelligentia defendit, actum est ergo de disputatione & nihil conclusum, nihil ergo sequitur nisi iurgiosa contentio, aut vilis laus de blasphemia, & vt illi qui adstant magìs dubij euadant, cum videant te nihil promouisse. Et Isidor. lib. 3. de summo bono. *Scripturas* inquit *Hæretici sano sensu non sapiunt, sed eas ad errorem prauæ intelligentiæ ducunt, neq; semetipsos earum sensibus subdunt, imò eas peruersè ad errorem proprium pertrahunt.* S. etiam Hilarius ad Constant: *Nemo Hæreticorum est, qui se non secundum Scripturas prædicare, quibus blasphemat, mentiatur.* Et Ambr. in cap. 1. Tit. *Hæretici illi sunt, qui per verba legis, legem impugnant, & proprium sensum verbis destruunt legis, & peruersitatem mentis sua legis authorieate commendant.* Et antiquior adhuc Ireneus lib. 1. cap. 1. *Hæretici scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur, sed deformant eloquia DEI, atq; ex figura hominis, vulpis aut vrsi figuram reddunt.* Et lib. 3. cap. 2. *Cùm* inquit *ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum, quasi non recte habeant, neq; sint ex authoritate, aut quia variè sint dictæ, & quia non possit ex ijs inueniri veritas ab his qui nesciunt traditionem.* Et infra *Cùm autem ad eam iterum traditionem quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesijs custoditur prouocamus eos, qui aduersantur traditioni, dicunt se non solis presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram inueniſſe veritatem.* Talis fuit arrogantia Nestorij, vt testatur Vincentius Lyrinensis cap. 42 Talis Montani & Priscillæ. Talis Manichæorum, vt videre est apud. D. Thom: 1. 2æ q. 106. art. 4.

Tertull. Isidor. Hilar. Ambros. Iren. Vincent. D. Thom.

art 4. 2m. Quoniam verò hæretici non sunt admittendi ad prouocationem scripturarum, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere, vt Tertull. dicit. *Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, & si non sunt Christiani, nullum ius capiunt Christianarum literarum*, ex antiqua traditione & consuetudine Ecclesiæ sunt conuincendi: ita enim omnem difficultatē terminandam docet Ireneus lib. 3. cap. 4. Si inquit *de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est.* Ergo ad antiquam Ecclesiæ traditionem, ad consuetudinem longo vsu populi Christiani confirmatam, ad consensum Doctorum, qui diuersis ætatibus vixerunt, atque diuersis idiomatibus scripserunt recursum habere consultissimum: ad Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ vniuersitatem, antiquitatem, & consensionem, ait Vincent: Lyrinensis cap. 38.

Tertull. Iren. Lyrin.

MEMBRVM II.

An & cur Scriptura sit obscura?

INter rationes, quibus ostensum est, non posse scripturam de Ecclesia ferre iudicium, quoniam ea non postrema data est, quòd scriptura sit obscura, iam modo quæritur, an omnino ita sit obscura, vt interprete egeat, & sine eo intelligi non possit, tùm etiam cur obscuram velit Spiritus Sanctus? Quæstionem istam optimè ventilat Martinus Peresius de traditionibus Assert: 3. Cardinalis Hosius lib. 3. contra Brent: Martinus Becanus abundè & luculenter rem explicat. Et hæretici quidem cùm sint talpâ cæciores, omnia se videre gloriantur, scripturam sacram claram, & nihil obscuritatis habere dicunt, ita vt à quouis pio, & credente in Christum legi & intelligi rectè sicut oportet possit. Sed pro veritate Catholica, contra vanam præsumptionem: II.

COLLIGITVR. 1. Scriptura sacra sæpè obscura & intellectu difficilis. Sententia est omnium Catholicorum.

PATET. 1. ex ipsamet scriptura; Luc. 24. discipuli non intelligebant scripturas, nisi ex Christi interpretatione & sensus apertione. Act: 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum, non intelligebat legens Isaiam, nisi per expositionem Philippi, Matth. 13. Apostoli non intelligebant doctrinam Christi,

ſti, cuius expoſitionem requirebant. Et frequenter legentes ad intelligendum ipſe Chriſtus hortatur, Matth. 24. *Qui legit intelligat*, Ioan: 4. *Scrutamini ſcripturas*: quæ ſi eſſent planæ, non oporteret ſcrutari. Si verò etiam in ſpeciali intueri voluerimus, obſcuram & difficilem ſcripturam experiemur. Nam Gen: 1. quid ſit intelligendum per ſex dies creationis, non paruam difficultatem continet: quid lux illa prima die creata, quid gladius igneus cap. 3. quid ſignum illud Cain à DEO poſitum, cap. 4. quid ſeptuplum illud, quo puniendus occidens Cain, quid ſeptuagies ſepties de Lamech: quid illa viſio quatuor animalium, Ezech. 1. quid hebdomadæ Daniel. 9. Euangelium Ioannis in principio ſatis obſcurum & difficile: Apocalipſis ſimili ratione, tot obſcura myſteria continet. 2. Petr. 3. de epiſtolis S. Pauli d. In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Ex his & plurimis alijs liquet ſcripturam ſatis obſcuram eſſe & difficilem intellectu.

DEINDE ex teſtimonijs Patrum, Iren. lib. 2. cap. 47. poſitis qui-
12. buſdam arcanis naturæ creatæ, acceſſu videlicet & receſſu Oceani & Nili, tùm nebularum, coruſcationum, ventorum &c. ita dicit, *Si in rebus creaturæ, quædam quidem adiacent* DEO, *quædam autem in noſtram venerunt ſcientiam, quid mali eſt, ſi & eorum, quæ in ſcripturis requiruntur, vniuerſis ſcripturis Spiritualibus exiſtentibus, quædam quidem abſoluamus ſecundum gratiam* DEI, *quædam autem commendemus* DEO. Origen: ſuper Cantica, *Neceſſe eſt inquit eum, qui ſcripturas ſacras deſiderat intelligere, cum labore contendere, & non iuxta carnem & ſanguinem conuerſetur, quo poßit dignior fieri Spiritualium ſecretorum*, S. Greg. Nazianzenus lib. 1. Theol. *Non omnium* inquit *etiamſi idiomata caleant, de diuinis eſt oraculis diſſerere, ſed eorum qui inter multos, habito delectu, ad tantum munus videntur idonei*, Epiphanius etiam, *Conſideremus* inquit *virtutem ſcripturæ, ne fiat nobis litera mors, occidet autem imprudentem, ad literam accedentem, & non habentem Spiritum interpretantem, qui literam aperit, & quod in ipſa eſt reuelantem*. S. Chryſoſt. Homil. 21. in Gen: *Nihil ſcriptum eſt, quod non multas ſenſuum habent diuitias, quandoquidem diuino Spiritu afflati locuti ſunt Prophetæ, ita quaſi à Spiritu ſcripta ingentem in ſe continent theſaurum*, Cyrill. Alexand. lib. 5. in Leuit. ante medium. *Etſi conceditur nobis aliqua ex diuinis ſcripturis apprehendere & cognoſcere, tamen ſunt aliqua, quæ* DEO *reſeruanda ſunt, quæ cum intelligenti-*

am nostram superent, sensusque eorum supra nos sit, ne fortè aliter à nobis quàm se
habet veritas proferantur, *meliùs igni ista reseruamus*, S. Hieron. in Prologo Hieron.
Paralip: *Fateor* inquit *nunquam me in Diuinis voluminibus proprijs viribus credi-*
disse, nec habuisse opinionem meam, *sed ea etiam de quibus, me scire arbitrabar,*
interrogare me solitum, *quantò magís de his super quibus anceps eram?* Et in
cap. 45. Ezech. *Omnis Prophetia in obscuritate continet veritatem, vt discipuli*
intrinsecus audiant, vulgus ignobile & foris positum, nesciat quid dicatur. Am- Ambros.
bros. epist. 44. ad Constant. *Mare* inquit *est Scriptura Diuina, habens in se*
sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.

PRÆTEREA. Si Scriptura Sacra plana esset, non habens obscuritatem, 13.
omnibus indifferenter data fuisset vt in eius intelligentia versarentur. At-
qui non omnibus indifferenter data est. Ergo non est plana, sed multis ob-
scuritatibus & difficultatibus referta. MIN: patet. 1. quia semper DEVS
rude vulgus & carnales homines prohibuit scrutinio suorum mysteriorum.
Exodi 19. laturus legem prohibuit populum tangere etiam radicem mon-
tis, Gregor. Nazian. lib. 2. Theolog. allegoricè id exponit. d. *Verbum* Nazian:
DEI ab hæreticis carnalibus, & rudibus hominibus abhorret, ac tantum solidis ac
lapideis tabulis inscribi dignatur, nimirum quod lex partim in aperto est, partim
inuolucris tegitur, &c. 2. quia nemo potest interpretari scripturam, nisi
per Spiritum sanctum ad hoc datum. 2. Petr. 1. *Omnis Prophetia scriptu-*
ræ propria interpretatione non fit non omnes autem indifferenter ad hoc Spi-
ritum sanctum datum habent. 3. quia solus Spiritualis homo potest co-
gnoscere sensum DEI, nam animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiri-
tus DEI, non omnes autem sunt Spirituales, sed plurimi animales. 4. Si
scriptura omnibus indifferenter data esset, frustra positi essent gradus do-
norum in Ecclesia, vt alij sint Pastores, Doctores, Prophetæ, Euangelistæ,
ac subinde alij auditores discentes: quia omnes possent indifferenter doce-
re & interpretari, quod Apostolus 1. cor. 12. improbat. Ergo non omni-
bus indifferenter datæ sunt scripturæ, sed alijs vt doceant & interpreten-
tur, alijs vt audiant, & per alios non per se proficiant & intelligant. Do-
let proinde vehementiùs S. Hieron. in epist. ad Paulinum, dùm teme- Hieron:
rè ad scripturam tractandam accedentes videt, *Cùm nulla* inquit *ars sit, quam*
sibi omnes passim vendicent; hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophi-
sta verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.

INSVPER. ex vsu etiam & praxi hæreticorum: nam obscurum est, 14.

& difficile, quod per aliud debet explicari. Atqui ipsi hæretici agnoscunt aliquos locos scripturæ, per alios apertiores & manifestiores debere explicari; qui etiam tot expositiones & commentaria in scripturam edere solent. Ergo ex ipsorum vsu & praxi atq; concessione aliqui loci in scriptura sunt obscuri & intellectu difficiles.

15. POSTREMÒ: Quod cum plurimis discordijs & diuersitatibus explicatur, illud est obscurum & intellectu difficile. Atqui idem locus scripturæ cum plurimis discordijs & difficultatibus explicatur: quod cernere licet inter hæreticos. Nam illa Christi verba v. g. in Euangelio. *Hoc est Corpus meum*, aliter atq; aliter de præsentia corporis Christi in Eucharistia interpretantur, aliter Lutherani; aliter Caluinistæ. Et ipsi Lutherani adhuc variant: alij dicentes: corpus Christi in Eucharistia esse per vbiquitatem: alij per Vnionem hypostaticam: atq; alij per simplicem coniunctionem. Hinc Ireneus lib. 4. cap. 69. de hæreticis. *Tantæ sunt* inquit *inter eos de vno diuersitates, de ijsdem scripturis diuersas habentes sententias, & vno eodemq; sermone lecto vniuersi obductis superciliјs agitantes capita*, &c. Et Vincentius Lyrinensis cap. 2. *Scripturam* inquit *sacram pro ipsa sua altitudine, non vno eodem q; sensu vniuersi accipiunt.*

Lutherani. Caluinistæ. Iren. Lyrinen.

16. COLLIGITVR. 2. Multis Diuinæ Sapientiæ rationibus factum tribuitur, quòd veritas scripturæ nonnunquam figurarum & ænigmatum inuolucris obtecta sit. 1. vt seruetur debitus ordo docendi & discendi; vt alij doceant, alij discant, & vt pulchrè Ireneus lib. 2. cap. 47. circa medium dicit. *Vt semper quidem DEVS doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à DEO*, In hunc sensum Cyrill. Alexander vbi supra, lib 5. in Leuit. 2. ne secreta diuina indignis pateant, hanc rationem assignat D. Thom, 3. p. q. 42. art. 3. 3m. de doctrina Christi turbis sub parabolis proposita. *Turbis* inquit *Dominus in parabolis loquebatur, quia non erant digni, nec idonei nudam veritatem accipere, quam discipulis exponebat*. Et S. August. de doctrina Christiana, asserit obscuritatẽ scripturæ à Spiritu sancto fuisse procuratam, vt non patescerent secreta indignis, & vt à nobis remoueret DEVS superbiam, & earum paruipendentiam tolleret. Hinc illud Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus*, 3. voluit DEVS per hoc excitare & exercere tarditatem & ignauiam nostram, vt dicit Hosius lib. 3. contra Brent: ita enim S. August: ad Volusian. *Tanta est* inquit *Christianarum literarum profunditas, vt in eis proficere quotidie possemus, si eas solas ab ineunte pueritia, vsq; ad decrepitam*

Iren: Cyrill. D. Thom: August: Hosius. August.

crepitam senectam, maximo otio, summo studio, meliori ingenio conaremur addiscere. Et S. Gregor. Homil. 6. in Ezech. *magnæ vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum* DEI, *quâ exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus.* Denique quia iucundior est veritas, & acrius afficit animos hominum, cùm eruta fuerit, & per tenebras nobis inuolucrorum illuxerit, quàm si fuisset quorumlibet oculis exposita. Gregor.

Dices. 1. obscurè tradere, est cum inuidia communicare: & occultatio veritatis sub tegumentis parabolarum & ænigmatum, dictionisque obscuritate, est maxima occasio errorum, aliter atq; aliter interpretantium. Atqui Spirtus sanctus, qui est author scripturæ non est inuidus. Sap. 1. *Benignus est Spiritus sapientiæ.* Philosophus etiam ab Optimo longè abesse inuidiam testatur. Ergo Scriptura obscurè tradi non debuit. ℞. Hoc cauillo vsus est diabolus contra Euam Gen: 3. calumniando ex inuidia DEVM voluisse communicare homini scientiam boni & mali, quam ipse callidè pollicebatur vescentibus fructu vetito. Ast sicut tunc nulla inuidia in optimum cadebat, ita etiam nunc Spiritus sanctus non ex inuidia obscuram tradidit scripturam. sed ob rationes æquissimas inexhaustæ sapientiæ, quarum iam aliquæ dictæ sunt. 17.

Dices. 2. Plurimæ authoritates testantur scripturam claram esse. Ergo minimè obscura est. Ant: patet inductione. Deut: 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in cœlo situm, vt possis dicere. Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere impleamus? Isai. 54. *Dabo vniuersos filios tuos doctos à Domino,* quod Ioan. 6. d. *Erunt omnes docibiles* DEI, Ierem: 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam, & ero eis in* DEVM, *& ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum dicens: cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me à minimo vsq; ad maximum.* ps. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* 2. petr. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Et plura alia possunt proferri testimonia quibus conuincitur nihil obscuritatis esse in scriptura. ℞. neg. Ant: Ad prob. d. omnes illæ authoritates adductæ, de verbo Dei tradito & voce prolato testantur, nulla verò apertè de scriptura. Quod autem ex Deut: 18.

adducitur, locus ille non de intelligentia ſcripturæ ſed de promptitudine ſeruandi præcepta DEI accipiendus eſt: id eſt, quod DEVS præcepit, ſeruatu poſſibile eſt, imò facile, Diuino etiam auxilio opitulante minimè eſt impoſſibile. Nam nihil impoſſibile DEVS præcepit, quamuis hæretici aliter ſint perſuaſi, vt Caluin: lib. 2. inſtit: cap. 7. & in antidoto Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. Senſus itaque eſt quòd præcepta DEI ſint obuia cuiuis & in promptu, & nullus habeat excuſationem, qui ea implere negligat. In hunc ſenſum Tertull. lib. 4. contra Marcionem. Origen. in epiſt: ad Rom. & alij ab Hoſio lib. 3. contra Brent: adducti Porrò quòd ex Iſaia & Ieremia adfertur, ſi allegoricè accipiamus, iam in Apoſtolis impletum eſt, quando accepto Spiritu ſancto, cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis Magnalia DEI, Si anagogicè ſumamus in futura vita implebuntur perfectius, tunc enim non oportebit vt vnus doceat alterum, ſed omnes erunt docibiles DEI, omnes cognoſcent DEVM, videntes eum ſicuti eſt, quia erit DEVS omnia in omnibus. Nam nunc quidem pennæ columbæ ſunt deargentatæ, ſed tunc poſteriora dorſi eius erunt in pallore auri. Nunc ad fidem formandam neceſſarij ſunt Doctores, vt deargententur pennæ contemplatione per fidem, poſt autem in auro viſionis DEI omnia clareſcent. Iam præcepti Domini lucidum, illuminare dicitur oculos, non tamen tota ſcriptura ſine expoſitione. Præceptum inquam illud. Diliges, in quo omnia inſtaurantur. Rom. 13. &, quod tota lex impletur, Lucidum, quia ſine literis diſcitur, eſtq; Spirituale, imo legis naturalis quæ ſcripta eſt in cordibus, non in codicibus. Et ad hunc modum etiam illud accipiendum, Lucerna pedibus meis; præcepta enim rectè viuendi prælucent, & indicant quid agere, quid fugere debeamus. Lux autem in tenebris lucet, ſcilicet fides vera, quâ credimus Filium DEI, qui & ipſe lux eſt, illuminans omnem hominem, Denique Propheticus ſermo, eſt lucerna lucens, non quod non ſit obſcurus, cùm vmbræ comparetur, ſed quia expoſitione Apoſtolorum illuſtrior & clarior factus eſt, quando Apoſtoli nunciauerunt iam peracta eſſe ea, quæ Prophetæ prædixerunt, & ſub obſcuritate ænigmatum prænuntiarunt.

(Margin: Caluin. Tertull. Origen. Hoſius.)

19. DICES. 3. Decalogus (inquit Brentius apud Hoſium lib. 3.) Symbolum Apoſtolorum, Oratio Dominica, & ſacramenta nihil habent obſcuritatis. Atqui præcipua capita ſcripturæ & verbi DEI, quod ad noſtram ſalutem ſcitu neceſſarium eſt, ſunt de his quatuor. Ergo præcipua capita ſcri-

pturæ & verbi Dei quod ad nostram salutem scitu necessarium est, nihil habent obscuritatis. ℞. falsum est, nihil obscuritatis esse in quatuor prædictis, non enim essent necessariæ tot expositiones in illis, quod iam sunt, nec tanta varietas & contradictio esset in assignando numero sacramentorum etiam inter hæreticos, si scriptura vnde desumuntur sacramenta esset clara, nihil habens obscuritatis. Decalogus item & symbolum Apostolorum, quòd non eodem modo ab omnibus exponuntur: nam inter ipsos etiam hæreticos in exponendo, diuersæ ac inter se pugnantes excogitantur sententiæ, quid tantam contrarietatem nisi obscuritas efficit? nec profectò id faceret, si omnia essent clara, manifesta & euidentia, nihil difficultatis aut obscuritatis habentia.

MEMBRVM IIII.

An Spiritu priuato omnia dubia in scriptura definiri possint?

ID hæreticorum est placitum, omnia spiritu priuato cognoscere. Porrò Spiritum priuatum dupliciter dici, optimè notauit Martinus Peresius Assert: 4. de traditionibus: Nam vno modo dicitur spiritus priuatus, ratione personarum, quia scilicet vni vel paucis conuenit, id est donum intelligentiæ scripturarum, vel discretionis spirituum, &c. quæ paucis dantur. Alio modo ratione finis; quia ad priuatum commodum & vtilitatē datur, vt spiritus fortitudinis, pietatis, timoris Domini. Et Lutherus quidem vt idem author notauit, omnem intelligentiam spiritui priuato tribuit. *Qui* inquit *Spiritum habet, ei nihil est obscurum, qui non habet, ne iota quidem intelligit,* atque per hunc Spiritum nihil se ignorare in Scriptura gloriabatur. Verùm in contrarium.

20. Peresius

Lutheri

COLLIGITVR. Non sufficit spiritus priuatus iudicare de scripturæ difficultatibus. PATET. 1. Spiritus iste priuatus, sine quo DEO placere quisquam minimè potest, vt ait Lutherus, est incertus. Ergo insufficiens, ANT: Tum quia nemo potest esse certus, habeatne hunc spiritum sine quo placere DEO minimè quisquam potest, iuxta illud Ecclesiastæ 9. *Nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit.* Tum quia habens illum, amittere potest per peccatum. Cùm autem Lutherani & Caluinistæ (proprio iudicio) in quolibet opere bono peccent, iam spiritum hunc priuatum pec-

Quid Luthero Spiritus priuatus.

Lutherani Caluinistæ

cando amiſerunt. Ergo ne iota vnum intelligunt: incertus proinde eſt illorum ſpiritus iſte.

21. Deinde. Si Spiritus iſte priuatus, ſine quo nemo poteſt placere Deo, ſufficiens eſſet iudicare & definire omnes difficultates ſcripturæ, aut omnibus obuius eſt, aut aliquibus. Non omnibus, quia idem per eos doceret, prout quidem in 1. cor. 1. hortatur Apoſtolus, vt omnes idem dicant, & non ſint Schiſmata: porrò iſte ſpiritus priuatus, quo ſe omnia intelligere iactant hæretici, diuerſa per eos docet in expoſitione Sacræ Scripturæ, in eadem ſecta Lutherana diuerſa ſibique contraria, ita vt aliud Ecolampadius, aliud Zwinglius, aliud Carolſtadius, aliud Lutherus ipſe: deinde ſi omnibus obuius eſt, etiam Sanctis illis Patribus obuius fuiſſet, non debent igitur illorum doctrinæ nouatores contradicere, qui tamen in omnibus ab antiquis Patribus, veteri & Apoſtolica Eccleſia diſſentiunt. Non aliquibus tantùm, quia non poſſunt oſtendere, quomodo ipſis tantùm & non omnibus, nec poſſunt id aliquibus ſignis manifeſtis confirmare, cur ſibi ſolis conueniat, vt Apoſtoli & Prophetæ confirmabant.

22. Præterea. Si iſte ſpiritus ſufficeret. Ergo quiſquis haberet huiuſmodi ſpiritum, poſſet interpretari ſcripturas. Conſequ: patet, quia qui hunc ſpiritum habent, illis ex ſententia Lutherana nihil obſcurum in dogmatibus fidei & ſcripturæ. Atqui conſequ: iſtud eſt contra Apoſtolum, 1. cor. 12. d. *Nunquid omnes interpretantur?* loquitur autem de ijs qui Spiritum habent, per quem placent Deo. Deinde ſunt plurimi in Eccleſia qui multum placent Deo in ſanctitate ſua, nec tamen quidquam in arcanis & profunditatibus ſcripturæ norunt.

23. Simon Magus Cerint. Montan Neſtor. Lyrinen. Inſuper. Familiare eſt hæreticis ſuam intelligentiam per huiuſmodi Spiritum iactare: nam Simon Magus princeps ille hæreticorum, virtutem Dei ſe eſſe iactabat, de quo Act. 8. Cerintus per reuelationem Dei & Angelorum ſe habere doctrinam ſimulabat, Montanus & Maximilla in ſe ſolis ad impletas fuiſſe promiſſiones Chriſti de Spiritu ſancto abundantiùs, quàm in Apoſtolis. Neſtorius ſe ſolum primùm ſcripturam intellexiſſe iactitabat, cæteros omnes ſanctos Martyres & Confeſſores ignoraſſe, atque adeo totam Eccleſiam erraſſe ſemper, & nunc errare, vt refert Vincent: Lyrin: cap. 42. Nunc quoque iſti duo immaniſſimi Cyclopes Lutherus cum Caluino, de Spiritu priuato multum ſibi ſupra modum pollicentur.

24. Deniq; Nulla in ſcripturis extat promiſſio facta priuato homini,

 de ſpiritu

de spiritu isto priuato intelligentiæ ad reseranda dubia scripturæ & fidei. Ergo hic spiritus temerè excogitatur, nec quisquam tenetur ei credere aut infallibiliter acquiescere.

Postremò. Definitio dubiorum scripturæ & fidei talis esse debet, vt ei tanquam diuino oraculo acquiescamus. Sed spiritui priuato nemo tenetur tanquam Diuino oraculo acquiescere aut firmiter assentiri. Ergo is non sufficit, Min: Spiritus iste priuatus aut est manifestus Ecclesiæ, aut non est manifestus. Si non est manifestus, vel est hæreticus, si contra Ecclesiam doceat; vel suspectus, si nouitates aliquas præter ea quæ tradita sunt introducat: Vel si recta docet, eò quòd absconditus est, non sufficit ad hoc vt illi fideles acquiescant tanquam Diuino oraculo. Si etiam spiritus iste priuatus manifestus est Ecclesiæ, non sufficit tamen vt ei tanquam Diuino oraculo acquiescatur: si enim sufficeret, sine causa Paulus Ierosolymam ad Apostolos & seniores ascendit, vt cum eis conferret doctrinam & Euangelium, quod prædicabat, vt ipse dicit Gal. 2. non sine causa tamen se fecisse sed instinctu Spiritus sancti, ostendit. d. *Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne forté in vacuum currerem an cucurrissem,* Quod S. August: lib. 28. contra Faustum cap. 4. ita ponderat. *Apostolus Paulus post ascensionem Domini de coelo vocatus, si non inuenisset in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.* Id ipse ita testatur Gal. 2. *Cùm* inquit *cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis* 25. August.

Rogabis. Spiritui priuato nunquamne credendum in negotio fidei, 26.
tametsi se signis aliquibus manifestum fecerit? R. Si credendum, prudenter, non temere nec leuiter, vt declarat Vnicentius Lyrinen: cap. 15. & seq. probandi autem Spiritus diligenter, si ex Deo sint, 1. Ioan. 4. nam vt Deut: 13. d. *Tentat vos Dominus, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non.* Et si quidem secundùm communem sensum Ecclesiæ docet, sequendus, sin exorbitauerit, deserendus, *quia & satanas transfigurat se in Angelum lucis*, vt dicitur 2. cor. 11. *Et multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* 1. Ioan. 4. Lyrinen.

Dices. 1. Omnibus indifferenter promittitur Spiritus pro interpretatione & intelligentia verbi Dei. Ergo vnusquisque pro spiritu suo priua- 27.

to poteſt interpretari. ANT: Matth. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcunq; petierint, fiet illis á Patre meo*, Luc. 11. *Pater veſter de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus ſe.* Iacob. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet á DEO, qui dat omnibus affluenter.* Epheſ. 4. *Vnicuiq; noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti*: gratiam autem intelligit gratis datam, ſicut patet ex conſequentibus. Ergo ad docendum & interpretandum. ℞. neg. Ant: Ad prob. d. ex locis allegatis, nihil pro ſpiritu priuato ad interpretandum elici poteſt. Et locum quidem pri-
Cyprian: mum, aliter quàm aliquando hæretici intendant, explicat S. Cypr. in tractatu de ſimplicitate prælat: contra Nouatianos; nempe aduerſus diſcordiam, commendat Dominus fidelibus concordiam pluſque impetrari poſſe paucorum concordi pace, quàm diſcordi oratione multorum, cùm & Petrus Act: 12. concordi fidelium oratione è carcere liberatus fuerit. Deinde promiſſio Chriſti non de omnibus quæ petuntur intelligi debet, nam & Paulus petijt à ſe moueri ſtimulum carnis 2. cor. 12. nec tamen impetrauit. Debet itaque promiſſio Chriſti intelligi de omni eo, quod ad ſalutem, neceſſarium cum fidei & perſeuerantia petitur: ad donum verò intelligentiæ vel interpretationis ſcripturarum minimè extendi poteſt. Simili modo reſpondendum eſt ad duos alios locos, in quibus non eſt ſermo de Spiritu interpretationis, qui eſt gratia quædam gratis data, ſed de Spiritu fidei, Spei & charitatis atque ſapientiæ ad ſalutem neceſſariæ, vt exponit S.
Auguſt. Auguſt: Tract: 73. 81. & 102. in Ioan. Quantùm ad locum ex epiſtola ad Epheſ. gratiam quidem gratis datam intelligit, vnicuiq; noſtrum, id eſt Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum: deinde non vnicuique eandem, ſed diuerſam etiam ſpecie, alij genera linguarum, alij gratiam ſanitatis, non vnicuique interpretandi, Quod ſi omnibus petentibus indiſcriminatim promittitur dandus Spiritus intelligentiæ & interpretationis ſcripturarum, ſequetur inde ſumma confuſio, ſi non fuerint in Eccleſia alij qui doceant, & alij qui doceantur, ſed omnes doctores, omnes interpretantes: eſſentque omnia membra vnum membrum, ſi omnia eundem actum haberent. Ergo ſcriptura intelligi debet de Spiritu intelligentiæ, & ſapientiæ ad ſalutem neceſſario, qui dirigit homines inter laqueos & tribulationes huius vitæ, ad terminum æternæ ſalutis.

28. DICES. 2. Per Spiritum priuatum poteſt quiſque omnia cognoſcere Ergo etiam ſenſum ſcripturæ, ANT: patet 1. Ioan. 2. *Vnctio docebit vos*

de omnibus; vbi ſignum diſtributiuum de omnibus, nullam difficultatem excludit. ℞. ſenſus verbi Apoſtoli non eſt de dono intelligentiæ ſcripturarum, ſed quòd Spiritus ſancti gratia communiti fideles, per vnctionis ſufficientiam, poſſint ſcire neceſſaria ad ſalutem, & declinare ſcandala, id eſt falſa dogmata hæreticorum, ita vt eis minimè acquieſcant, quod exprimit ſuperior contextus, vbi ait. Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos, & vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos, ſcilicet falſa dogmata ſeminans; ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium, & ſicut docuit vos, manete in eo, q. d. tenete doctrinam Spiritus per miniſterium noſtrum, iam à vobis acceptam, quam ſi tenueritis, non eſt neceſſe vt quis extraneus vos doceat, ſed ſicut vnctio vos docuit de omnibus ad ſalutem neceſſarijs, ita ſentite.

DICES. 3. Senſus proprius, eſt ſpiritus priuatus. Atqui vnuſquiſque poteſt proprium ſenſum ſequi in expoſitione ſcripturæ, iuxta illud Rom. 14. *Vnuſquisq; in ſuo ſenſu abundet.* Ergo ſpiritus priuatus ad expoſitionem difficultatum ſcripturæ ſufficit. ℞. neg: MIN: verbi autem Apoſtoli longè diuerſus eſt ſenſus, nec quidquam de ſpiritu priuato in exponendis difficultatibus ſcripturæ eo loquitur in loco Apoſtolus, ſed in toto contextu controuerſiam determinat de manducatione ciborum, qui ſecundùm legem erant immundi. ſupra enim dixit. *Qui manducat non manducantem non ſpernat*, id eſt, qui putat licere veſci omnibus cibis tanquam mundis, eo quòd in lege Euangelica nihil ſit immundum, DEVS enim purificauit. Act: 10. non contemnat eum, qui infirmus eſt in fide, ita vt exiſtimet aliquos cibos adhuc vt in lege Moſaica eſſe immundos. Et vlt.a. *Et qui non manducat, manducantem non iudicet.* id eſt, non condemnet, tanquam legis tranſgreſſorem, aut immundo cibo ſe contaminantem. Itaque ſubiungit. *Vnuſquisq; in ſuo ſenſu abundet*, id eſt quiſque ſuo iudicio in hac parte conſiſtat, vterque enim ſenſum ſuum ſequendo benè agit, nam vterque Domino vel manducat, vel non manducat. Nihil ergo licet ex prædicto loco de ſpiritu priuato ad interpretandum inferri. 29

MEMBRVM IV.

Quæ ſit norma explicandi ſcripturæ & fidei difficultates in Eccleſia?

QVandoquidem ſpiritus priuatus huic oneri ſufferendo par non eſt, iam
30. inquirendum eſt, cui tandem medio ſecurè & ſine formidine adhærere oporteat, in explicandis difficultatibus ſcripturæ & fidei Catholicæ. Hanc quæſtionem exordium & ſummam tractandorum in ſuo commonitorio proponit Vincentius Lyrinen. cap. 1. d. *Sæpè magno ſtudio, & ſumma attentione perquiro, quonam modo poßim certa quadam & quaſi generali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem, ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere.* Itaque pro reſolutione.

COLLIGITVR. In huiuſmodi negotio ad publicum Spiritus ſancti magiſterium, in Eccleſiæ Catholicæ authoritate poſitum recurrendum, quæ ex ſcriptura & traditionibus omnem difficultatem & dubia reſoluit, colligit enim Eccleſia ſenſum ſcripturæ intentum à Spiritu ſancto ex traditione & conſenſu Patrum, proinde authoritati Eccleſiæ in talibus negotijs, adhærere oportet. Ita omnes Catholici. Iren: lib. 3. cap. 4. Vincentius Lyrinen: paſſim in ſuo commonitorio, Pereſius Aſſert: 5. de traditionibus. Hoſius lib. 3. contra Brent: pag: 365. Bellarm. lib. 3. de verbi DEI interpr: cap. 3. Alfonſus à Caſtro lib. 1. cap. 4.

Vaſq. 3. p. Diſp. 180. n. 52. Iren. Lyrinen. Pereſius Hoſius. Bellarm. Caſtro.

PATET. 1. Docenti ſine errore, ac palam & manifeſtè proferenti ſententiam de difficultatibus ſcripturæ & fidei, vt vnuſquiſque aduertere poſſit, ſecurè & ſine formidine in his difficultatibus adhærere oportet. Atqui Eccleſia hoc modo palam ſcilicet & ſine omni errore docet, deq; difficultatibus ſcripturæ & fidei profert ſententiam. Eccleſiæ namque magnificæ factæ ſunt promiſſiones de veritate doctrinæ ſpiritualis, quod plurimæ probant ſcripturæ, in quibus aſſiſtentia Spititus ſancti Eccleſiæ promittitur, Oſeæ. 2. *Sponſabo te mihi in fide.* Ioan. 14. Chriſtus Apoſtolis promiſit *Rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Et vltra. *Ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis,* Ioan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nec Apoſtolis ſolis factæ ſunt illæ promiſſiones, ſed toti Eccleſiæ in Apoſtolis fundatæ, pro qua orauit Chriſtus Ioan. 17. *Non pro eis tantùm ro-*

go, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum; vt omnes vnum sint, id est, vt nunquam ab vnitate & veritate separentur, sed vt omnes idem dicant, & non sint in eis schismata. Hinc Tertull. in lib. de Trin: mirabiles effectus Spiritus sancti expendens, ait. *Hic est qui prophetas in Ecclesia constituit magistros erudit, linguas dirigit.* &c. Et in lib de præscript: ad Ecclesiam veluti ad fontem viuum aquarum redundantissimum confugiendum docet. *Illic* inquit *est veritas scripturarum, vbi Apostoli prædicauerunt, & successores eorum docuerunt.* Ergo in omnibus difficultatibus scripturæ & fidei, iudicio & definitioni Ecclesiæ, tanquam publico Spiritus sancti magisterio, & columnæ ac firmamento veritatis adhærendum. Tertull.

DEINDE. Si nullæ essent scripturæ, definitioni Ecclesiæ in omnibus 31.
esset acquiescendum. Ita enim Iren: lib. 3. cap. 4. *Quid si neq; Apostoli quidem reliquissent nobis scripturas, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias, cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem; & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum DEVM credentes fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt per IESVM Christum DEI Filium.* Ergo nunc authoritati Ecclesiæ adhærendum in explicatione scripturarum. Conseq: patet. etenim qui sine scripturis verè & absq; errore docet, illius sententia in explicatione scripturæ & controuersiarum fidei, in dubium vocari non debet. Iren.

PRÆTEREA. Verus sensus & intellectus scripturæ non est nisi in Ecclesia. Ergo eius iudicium & definitio in hoc tenenda, ANT: ex Iren. lib. 32.
4. cap 64. *Confessionem* inquit *Filij DEI sola Ecclesia purè sustinet.* Et S. Hieron: in illud Cant: *En ipse stat post parietem nostrum,* ita dicit. *Post parietem latet verbum in scriptura, quod non intelligit anima, nisi intra parietes Ecclesiæ posita & charitate vestita.* Iren: Hieron:

INSVPER. Iudicio & definitione Ecclesiæ certi & tuti reddimur in du- 33.
bijs fidei & difficultatibus scripturæ. Ergo in hisce dubijs & difficultatibus ad eius authoritatem recurrendum, ANT: declaratur, Tribus siquidem modis quisque certus & tutus potest reddi in dubijs fidei & difficultatibus scripturæ, 1. si id sequatur quod antiquitùs omnes in vniuersum Ecclesiæ sense-
runt, nam Vincentius Lyrinen: cap. 25. illum dicit verum & germanum Lyrinen.
Catholicum, qui fide fixus & stabilis permanens, quidquid vniuersaliter antiquitùs Ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum

Iren. credendumque decernit, &c. Omnem verò doctrinam, quæ cum Ecclesijs matricibus & Principalibus (præcipuè verò Romana, ad quam omnem Ecclesiam necesse est conuenire, dicit Iren. lib. 3. cap. 3. cuiusque summa merito habenda est ratio, tùm propter præcipuam authoritatem & dignitatem, tùm propter principum Apostolorum gloriam & cæteros honores, qui ibi & legem Euangelicam promulgauerunt, & martyrio coronati finierunt vitam) non conuenit, de mendacio præiudicandam, in lib. de præscript: Tertull. censet Tertullianus. Agato etiam Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Pontifex, Agato. Concil. Constant. in sexta Synodo Constantinop. fidem suam super errore Monothelitarum explicat, eumque se tenere ex maiorum institutis & traditione Ecclesiæ affirmat. Et in Concilio Sardicensi de consubstantialitate Filij & Spiritus Concil. Sardi. sancti id prædicauerunt Patres, quod in vniuersum tota fatebatur Ecclesia, Theodor. vt refert Theodoretus. 2. Si id sequatur quod Concilia Oecumenica decreuerunt, in quibus vniuersa Ecclesia repræsentatur, quorum authoritatem tanti fecit S. August: lib. 7. de baptismo contra Donat. vt diceret se conten- August: tum sola declaratione plenarij Concilij, S. quoq; Greg. Magnus, authori- Gregor. tatem illorum quatuor Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani Ephesini & Chalcedonensis tanti æstimauit, vt eis tanquam quatuor Euangelijs honorem haberi voluerit. Iam Vincentius Lyrinen: cap. 32. officium Ec- Lyrinen: clesiæ in Concilijs exponens, d. Quid vnquam Ecclesia Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiùs crederetur, quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantiùs prædicaretur: quod antea securiùs colebatur, hoc idem postea sollicitiùs excoleretur? 3. Si id sequatur, quod sancti Patres & Doctores docuerunt: ita enim idem Vincentius c. 4. Quid Christiano Catholico Lyrinen. in difficultatibus & dubijs inter Schismata agendum sit ostendit. d. *Tùm operam dabit vt collatas inter se maiorum consulat interrogetq́ sententias, eorum duntaxat qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt, & quidquid non vnus tantùm aut duo sed omnes pariter, vno eodemque consensu, apertè, frequenter, perseueranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoq́ intelligat, absq́ vlla dubitatione credendum.*

34. DENIQ;. Ecclesia, eaq; sola infallibiliter discernere potest in omnibus difficultatibus scripturæ & dubijs fidei, inter dogmata falsa & Catholica: inter germanum sensum scripturæ & alienum; inter verbum DEI & homi-

rum; quod factum cernimus in ijs Scripturis sanctis, quas secreuit ab alijs scripturis suspectis. Ergo ad magisterium Ecclesiæ in huiusmodi difficultatibus recurrendum. ANT: Ei & soli datum lumen intelligibile intelligentiæ. Ergo infallibiliter sola Ecclesia discernit in prædictis, ANT. patet. Tùm quia est columna & firmamentum veritatis. Tùm quia ei soli immutabiliter datus est in æternum Doctor veritatis Spiritus sanctus. Tùm quia omnes fideles tenentur eius sententiæ & iudicio tanquam infallibili stare, & qui nolit, tanquam ethnicus & publicanus habendus. Deniq; quia etiam in veteri testamento ad Senatum Ecclesiasticum in difficultatibus legis recurrere DEVS statuit & ordinauit, Deut: 17.

DICES. 1. Perfectus est scripturarum Canon, & ad omnia sufficiens, ait Vincentius Lyrinen: cap. 41. Et Iren: lib. 2. cap. 47. *Scripturæ perfectæ sunt, quippe à verbo DEI. & Spiritu eius dictæ, in scriptura enim continetur omnis doctrina, nobis ad veram & perpetuam salutem cognitu necessaria*. *Euangelium* inquit S. Chrysost: Homil: 1. in Epist. ad Tit. *omnia continet, præsentia, futura, honorem, pietatem fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusit*. Nam Ioan. 15. Apostolis dictum est. *Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, quæ autem Apostoli acceperunt à Christo ea vulgauerunt prædicatione suâ, in toto orbe terrarum, & tradiderunt ea posteritati scriptis suis. Ergo vanum est ad authoritatem Ecclesiæ recurrere cum omnia ad salutem necessaria in scripturis contineantur. ℞. Obiectionem istam refellit Cardinalis Hosius lib. 3. contra Brent: & Martinus Peresius parte quarta de tradition. Equidem omnia contineri in scriptura certum est, sed in genere, nec omnia in specie reliquisse Apostolos in scripturis, sed in traditione plurima contineri; nam & de cœna plura disponere promittit Apostolus 1. cor. 11. quàm scripserit. d. *Cætera cùm venero disponam*. 2. Thess. 2. *Non retinetis quòd cùm adhuc essem apud vos hæc dicebam vobis* Et infra *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*. Et 2. Tim. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Quamuis autem sit perfectus Canon & ad omnia sufficiens, omnia continens, sed quia in abdito; difficilis intellectu, vt eruantur abdita, necessarius est expositor, qui exponat ex communi sensu Patrum & Ecclesiæ, ex traditione; necessaria Ecclesiasticæ intelligentiæ authoritas, ne verba Diuina pro suo varij arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresq; concipiant, vt ratiocinatur Vincentius loco prædicto. Et

Lyrin. Iren: 35. Chrysost. Hosius. Peresius. Vincent.

cap. 2. *Quia* inquit *Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, non vno eodemq́ sensu vniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius,* aliter Lutherus, aliter Caluinus. *Atq; idcirco multum necesse est, propter tantos, tàm varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apostolicæ, interpretationis linea, secundum Catholici & Apostolici atque Ecclesiastici sensus normam dirigatur.* Quod verò ex Chrysostomo adfertur, ad illud ℞. dupliciter 1. in Euangelio contineri omnia, scilicet sacramenta, & ea quibus gratia & perfectio Christiana acquiri potest, & quæ de se ad vsum rectum gratiæ ex necessitate pertinent, vt docet D. Thom. 1. 2æ. q. 108. art: 2. ceterùm multa extra Euangelium sunt, tùm quæ ad explicitam fidei latitudinem tenendam, tùm quæ ad sacramentorum ritus, formas & vsus pertinent, quæ à Christo & Apostolis, oretenus accipit Ecclesia, 2. loco prædicto nihil de scriptura loquitur Chrysost: sed de prædicatione Euangelij, quæ longè amplior est, quàm verbum scriptum, imò quæ ipsum verbum scriptum vt partem contineat. Atque ita de hac prædicatione ille S. Pater affirmat, quòd omnia necessaria contineat.

36. Dices. 2. Si in scripturæ difficultatibus & dubijs fidei ad publicum Ecclesiæ magisterium, per Spiritum sanctum ei traditū, recurrere est necesse. Ergo vel ad singulos in Ecclesia, vel ad omnes simul in vnum congregandos. Atqui vtrumq; istud est importunum. Ergo in huiusmodi difficultatibus non est opus recurrere ad publicum Ecclesiæ magisterium. Sequel. Mai. patet, quia corpus Ecclesiæ constat ex singulis & penè infinitis membris Min: patet quoad singulos, quos importunū esset & vanum in tantis difficultatibus consulere, quorum plurimi tantum fidei simplicitate viuunt, nihil prorsus norunt, de tantis difficultatibus. Quoad congregationem omnium simul in vnum, itidem patet importunitas, si enim hoc necessari um esset, non satis nobis Christus opportunum remedium pro huiusmodi difficultatibus componendis reliquisset, impossibile enim est omnes simul in vnum congregari. ℞. quando dicitur quòd in difficultatibus scripturæ & dubijs fidei, recursus ad publicum Ecclesiæ magisterium sit necessarius, per publicum Ecclesiæ magisterium intelliguntur illi tres modi, quibus aliquis certus & securus redditur, in huiusmodi difficultatibus, de quibus in argumento supra posito. Rursus Ecclesiæ nomine primitùs intelligebantur

Apostoli, nam cùm dictum esset Matth. 18. Dic Ecclesiæ, quòd nomine Ecclesiæ intelligerentur Apostoli, ideo ad ipsos conuersus Dominus. d. *Quæcunq; alligaueritis super terram* &c. itaq; sufficienter colligitur ad ipsos, & successores ipsorum Episcopos & Sacerdotes, nomen Ecclesiæ quantùm ad hæc attinent, contractum esse. Hi ergo consulendi sunt in difficultatibus, iuxta illud Deuter. 32. *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, & maiores tuos & dicent tibi*; Et Malach: 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius*: Itaq; ad Ecclesiæ magisterium recurritur, quando ad sacros Doctores recurritur, qui nos quoque præcesserunt, & qui ab illis continua successione & sine vlla controuersia habitus est semper pro vero scripturæ sensu, illum sine dubio credamus esse sensum, quem Ecclesia Catholica docet esse tenendum.

DICES. 3. Eatenus Ecclesiæ definitio est authentica, quatenus scripturarum authoritate sua decreta & definitiones comprobat. Ratio. quia fides Catholica nititur primò quidem Diuinæ legis authoritate, tùm deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione, vt Vincentius Lyrinen: cap. 1. dicit. Ergo si Ecclesia non comprobat suas definitiones & decreta scripturæ authoritate, eius definitioni in difficultatibus non est standum. ℞. non est opus vt Ecclesia omnia decreta sua & definitiones scripturæ authoritate confirmet. 1. quia sensum scripturæ quem habet Ecclesia ex Spiritus sancti magisterio, non est opus per scripturam iterum probari: alias esset manifesta circulatio, quia iterum de illa scriptura posset quæstio fieri, an sic intelligatur vel alio modo. 2. quia multa interdum definit Ecclesia, quæ minimè scripturâ probari possunt, quæuè constat reseruata traditioni absque fictione, vt Ireneus lib. 4. cap. 63. annuit. 3. quia nullum esset magisterium aut authoritas Ecclesiæ, si oporteret scripturam adferre pro omnibus quæ decernuntur. Ratio. quia vel adduceretur scriptura apertè clara, vel valde obscura: si clara, non est opus quæstione neq; recursu ad Episcopos, & Sacerdotes Ecclesiæ: si obscura, nihil conuincens ex ea posset adferri: nam aduersa pars contra quam proferretur posset dicere, illam scripturam non rectè exponi, & pro sua parte magis facere, & sic nihil clarè definiretur.

37. Lyrinen. Iren.

DICES. 4. Sola scriptura est norma & regula fidei. Ergo illi non est addenda authoritas Ecclesiæ. ANT. ex Aug. in lib. de bono viduitatis cap. 1. patet. *Quid inquit amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus, Sancta enim scriptura, nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquam* 38.

oportet, ℞. neg. ANT: hæretici quidem solis scripturis esse credendum aiunt, nec alia esse in fidem & mores necessariò transferenda, præter illa quæ in expresso seu scripto verbo DEI continentur. Ast illi falluntur, non enim per solas nudas scripturas Spiritus sanctus loquitur, sed per Pastores etiam atq; Doctores per traditiones Apostolicas, per Ecclesiæ consuetudines, perq; ipsam Ecclesiam quam docet, docebitque in æternum, Ioan. 15. Vnde licet concedatur scriptura esse regula fidei, non sola tamen dici debet, quia non totalis sed partialis regula erit; totalis enim regula fidei est verbum DEI, seu reuelatio DEI Ecclesiæ factæ, quæ diuiditur in duas regulas partiales, scilicet scripturam & traditionem. Cùm autẽ S. August: dicit, scriptura nostræ fidei regulam figit, contra eos dicit, qui ex proprio iudicio fingunt nouas doctrinas, quæ scripturis consonæ non sunt. Deniq; non tota doctrina fidei in scripturis continetur, vt manifestè docet S. Ioannes cap. 20. & 21. *Sunt* inquit *& alia multa quæ fecit* IESVS, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum, capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* ex quò manifestè conuincitur regulam fidei totalem & completam non posse solam scripturam dici. August.

39. INSTABIS. Non dicit Ioannes esse plura quæ docuit IESVS, præter ea quæ scripta sunt, sed quæ fecit, Ergo quantùm ad doctrinam omnia scripta sunt, quamuis non omnia quantùm ad signa. ℞. sicut signa, quæ fecit non poterant scriptis comprehendi, ita nec dicta, tàm enim excellens fuit doctrina Christi, quæ literis comprehendi non potuerit, ait D. Thom: 3. p. q. 42. art. 4. Vnde S. August: Tract: vltimo in Ioan. d. libros de doctrina Christi, scribendos non spatio locorum mundum capere non posse, sed capacitate legentium. Nec denique scriptores ipsi sufficerent singula mysteria de doctrina Christi scribendo comprehendere. ℞. 2. si facta Christi scripturis comprehendi non poterant, certè nec doctrina; ipsa enim facta Christi doctrinam salutis continebant, Duplici quippe modo Christus docebat, & dictis, & factis, nam omnis eius actio, est nostra instructio, & non solùm in moribus sed etiam in doctrina fidei. D. Thom. August.

MEMBRVM V.

Cui deferendum summum ius interpretandi scripturæ & fidei dubia?

CONſtat iam in his difficultatibus & dubijs, ad Eccleſiæ authoritatem recurrendum eſſe, ſed quia multi ſunt in Eccleſia qui interpretantur. Quæritur nunc, ad quem vltimò pro vltima reſolutione difficultatum iſtiuſmodi ſit recurrendum, ait enim Nazian. in primo ſuæ Theologiæ libro, non omnium eſſe etiamſi idiomata calleant, de Diuinis oraculis diſſerere. Itaq; pro reſolutione. 40.

COLLIGITVR. Penes Summum Pontificem, ſummum ius interpretandi omnes difficultates ſcripturæ & dubia fidei manet depoſitum. Ita D. Thom: 2. 2æ. q. 8. art. 10: & omnes Catholici, qui agnoſcunt Papam eſſe Caput Eccleſiæ. D. Thom.

PATET. I. ex ſcripturis. Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud ea iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, &c. venies, ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit eo tempore.* &c. Ex quo ſic licet argumentari, In veteri teſtamento ſummum ius fuit penes Summum Iudicem ſeu Sacerdotem interpretandi & determinandi omnes difficultates de lege exortas: id Eccleſiaſtes cap. 12. ita expendit *verba ſapientum ſicut ſtimuli & ſicut claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt, à Paſtore vno,* Et 2. paralip. 19. pius Rex Ioſaphat ad Sacerdotes loquitur. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum inter cognationem & cognationem, vbicumq; quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad DEVM pertinent præſidebit.* Ergo & in nouo teſtamento ſimili ratione. Atqui in nouo teſtamento Summus Iudex à Chriſto deſignatus eſt Petrus, eiuſque legitimus ſucceſſor Romanus Pontifex: nam Petrum ſummum Iudicem Chriſtus deſignauit per traditionem omnis iuriſdictionis & authoritatis in clauium collatione, vt quodcunq; ligaret ligatum, & quodcunque ſolueret ſolutum maneat, Romanum verò Pontificem eſſe legitimum Succeſſorem Petri, palam teſtatur S. Hieron: qui Damaſum alloquens. d. *Cum ſucceſſore piſcatoris diſcipulo Chriſti loquor. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri conſocior, ſupra illam Petram Eccleſiam fundatam ſcio,* Item Petro Chriſtus Luc. 22. d. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Ex quo ſic colligitur, Confirmare in fide, eſt interpretari difficultates & dubia ſcripturæ ac fidei. Atqui ius ſummum à Chriſto Petro & ſucceſſori ipſius ſummo Pontifici collatum confirmandi in fide vacillantes. Ergo

& interpretandi dubia fidei & difficultates scripturæ. Hoc ius agnouit suum esse Petrus Act: 15. qui fratribus in Concilio illo Ierosolymitano. d. *Vos scitis quoniam ab antiquiis diebus, DEVS in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere.*

41. DEINDE. id Patres & Concilia confirmant. Hieron: Damaso. & habetur 24. q. 1. Hæc est. Emendari inquit cupimus à te, qui Petri & sedem tenes & fidem. Chrysost: Homil. vlt: in Ioan. dicit Petrum toto orbi terrarum magistrum à Christo propositum. Cyrill. in thesauro. vt D. Thom: citat in opusc. de erroribus Græcorum. Debemus nos inquit capiti nostro Romano Pontifici adhærere, ad omnes pertinet ab eo quid credendum ac tenendum sit accipere. Bernard. lib. 2. de Consid: ad Eugenium Papam. *Tu quis es? Sacerdos magnus, Pontifex summus, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel. gubernatu Noe. Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron. authoritate Moyses, iudicio Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus,* August. lib. 2. de doctrina Christiana Decretales Papæ epistolas inter Canonicas scripturas numerandas decernit. Concilia agnoscunt summum ius Pontificis in determinandis controuersijs religionis, dùm sua statuta & definitiones, petunt ab illo determinari & confirmari, ita enim Patres illi trecenti decem & octo in Concilio generali Nicæno per epistolam petierunt à Syluestro Papa sua decreta confirmari. Item Patres Concilij Mileuitani scripserunt ad Innocentium 1. Papam petentes confirmationem illius, vt August: Epist. 9. & 91. memorat. Item decreta Conciliorum Carthaginen: authoritate Zozimi Papæ, & alia authoritate Bonifacij fuerunt confirmata, Synodus Ephesina à Cœlestino Papa petijt definitionem contra hæresim Nestorij, vt est apud Euagr. cap. 4. Synodus Chalcedonensis à Leone Papa. Tarraconenses Episcopi ad Hilarium Papam. d. *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur:* Deniq; Concilij Tridentini decreta vt à Pio quarto confirmarentur, petierunt patres.

(Margin: Hieron. Chrysost. Cyrill. Bernard. August. Concil. Nicæni. Mileuit. Carthagin. Ephesin. Chalced. Tarracon: Trident.)

42. PRÆTEREA. ratione D. Thomæ id manifestum. Etenim quæstio de fide exorta, per eum debet determinari, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & non sint schismata in fide vera, sed ab omnibus idem dicatur: ob quam causam Christus vnum præposuit toti Ecclesiæ, vt S. Cyprianus in lib. de Vnitate Ecclesiæ ostendit. Domi-

(Margin: Cypr:)

nus inquit, vt vnitatem manifestaret, vnitatis originem ab vno incipientem sua authoritate disposuit, Et S. Hieron. lib. 1. contra Iouin: ideo dicit *multos cooperatores vni adiunctos, vt cum eo omnes vnum regimen, & vnum Episcopatum efficiant, sub illo tanquam sub capite constituti, vt schismatis occasio tolleretur.* Papam autem vice Christi toti præsidere Ecclesiæ, vnanimis semper Ecclesia probat consensus. Per illum itaq; debet determinari quæstio de fide exorta, atq; ipse summum ius obtinet interpretandi omnes difficultates scripturæ & fidei dubia. Hieron.

INSVPER. Cui plenitudo potestatis Clauium data est, ei deferendum summum ius docendi, interpretandi scripturam, & fidei dubia: hæc enim ad plenam potestatem clauium & actus adæquatos pertinent: Porro autem cum successoribus data est à Christo plenitudo potestatis clauium. 43.

DICES. 1. Dona Spiritus sancti, nulli generi hominum sunt alligata: quia Spiritus sanctus cùm sit liberrimus, diuidit singulis prout vult, 1. cor. 12. Atqui interpretatio difficultatum scripturæ & dubiorum fidei, est donum Spiritus sancti, vt ibidem docet Apostolus. Ergo interpretatio difficultatum scripturæ & dubiorum fidei, nulli hominum generi est alligata, Ergo nec Papa in hoc negotio summum & præcipuum ius debet sibi prærogare. ℞. verum est quidem, Spiritus sanctus nulli hominum generi est alligatus, quia est liberrimus. Ergo penes Papam non est summum ius interpretandi scripturam? negatur consequentia. Nam quia Spiritus sanctus est liberrimus, illud etiam ius pro sua libertate contulit in Pontificem vt eo ille magis potiatur, quàm aliquis alius in Ecclesia. Etenim quia omnium Christianorum vna debet esse fides & vna confessio, vt etiam D. Thom. loco supra dicto intulit in corpore articuli, ne quisque sensum suum & placitum sequatur; necesse est vt sit publicum magisterium & certi ministri ac magistri ad quos pertineat docere in Ecclesia, de quibus Ephes: 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos,* &c. inter hos ministros cùm oporteat ordinem esse, ad euitandam confusionem, procul dubio ad Summos pertinet definire dubia & difficultates, quæ inter alios excitantur, de sensu scripturæ. Ita Cardinalis Hosius lib. 3. contra Brent: referens argumenta Petri à Soto. 44. D. Thom. Hosius.

DICES. 2. Bona & sancta est diuina scriptura, ad salutem hominum data, vt intelligatur ab ijs quorum refert eam seruare promulgata: Lux est, ergo omnibus patere debet: quia & Paulus vniuersæ Ecclesiæ non aliquibus dumtaxat, suas epistolas scribit, Ergo summum ius interpretandi scriptu- 45.

ram, non debet ad vnum aut paucos restringi. ℞. argumentum captiosum est in quo illud conceditur, propter omnes datam esse scripturam. Ergo quiuis potest illam intelligere & interpretari? negatur Conseq: imò cauendum est, ne homines carnales & inexercitati crudam eam sumant, quod sub illa allegoria de agno Exodi 12. vetitum est; proinde necesse est, saluti populariuru consulendo, vt ex ore eorum quos DEVS ad docendum posuit, eam quasi cibum præmollitum recipiant, Scriptura sacra lux est, infirmis tamen oculis non statim comprehendi potest; Paulus etiam omnibus scripsit, nec tamen ab omnibus voluit per se ea omnia (in quibus sunt quædam difficilia intellectu 2. Petr. 3.) intelligi & tractari, sed hoc munus demandatum erat aut Episcopis aut Presbyteris, aut etiam alijs qui essent idonei. 2. Tim. 2. vt recitarent & alijs exponerent: quæ consuetudo ad nostra vsque tempora in Ecclesia perseuerat.

46. DECES. 3. Imperatoris est cognoscere & determinare difficultates de religione. Ergo non Papæ, ANT: ex antiqua praxi Ecclesiæ, Constantinus enim Magnus vt præsidebat in Concilio Nicæno, ita determinationem veritatis pro fide Catholica contra Arium, vt iudex fecit, Basilius etiam Imperator in Quarta Synodo Constantinop: in causa fidei iudicauit & subscripsit, quod & alij Imperatores fecêre. ℞. hæretici vt perduelles ius summum definiendi negotia religionis caperent videre translatum, à Summo Pontifice ad statum secularem, vt etiam dicant in Concilijs Imperatores præsedisse & causas religionis iudicasse quod falsò asserunt. Nullus enim inter Imperatores aut principes vel cuiuscunque laicalis status inuenitur tàm temerarius, qui præsumpsisset iudex esse in rebus Spiritualibus, cùm constet hanc esse Apostolicam traditionem, ne laici se causis Spiritualibus immisceant. Nam & in illo Ierosolymitano Concilio de legalibus, nemo sententiam dixit præter Spirituales vt Act: 15. d. *Conuenerunt Apostoli & seniores*, &c. Quotiescunq; autem Imperatores interfuerunt Synodis & subscripserunt, non vt iudices id fecerunt, sed vt consentientes & suscipientes in Synodis definita & iudicata: Ecclesiastici decernebant quid credendum quiduè faciendum esset, seculares procurabant vt debitæ executioni mandarentur, quæ essent ab eis definita & decreta: quod sufficienter explicat Cardinalis Hosius contra Brent: & Sanderus de Visibili Monarchia. Et Basilius quidem Imperator, vt Hosius lib. 2. contra Brent: refert. in Quarta Synodo Constantip. palam agnouit sui iuris non esse, quidquam in causis religionis

Hosius. Sander.

definire. Constantinus in Concilio Nicæno non prius sedit, quàm annuissent Episcopi, vt Eusebius lib. 3. de vita Constantini refert, nec præsidebat ille, sed legati Syluestri Papæ, Valentinianus licet Arianus, de dogmatibus fidei Episcopis Hellesponti & Bythiniæ respondit, mihi inquit qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari, Sacerdotes quibus ista curæ sunt, inter seipsos quocunq; loco voluerint conueniant: ita Sozomenus lib. 6. cap. 7. Carolus deniq; Imperator de Secta Lutheri exorta, iudicium ad Romanum Pontificem & Sedem Apostolicam pertinere dixit, cumq; ei oblatus esset libellus Confessionis Augustanæ, noluit quidquam iudicare, sed Pontifici Romano totum negotium reliquit. Sozom.

DICES. 4 Qui falli & errare potest, illi ius summum determinandi omnes difficultates & dubia fidei deferre non est tutum. Atqui Papa falli & errare potest, quin etiam aliqui Pontifices erroris & lapsûs in hæreses notantur. ℞. falsum est Papam definiendo ex Cathedra errare posse, propter Specialem assistentiam Spiritus sancti, alioquin tota Ecclesia simul cum illo erraret, quod est absurdum. Neq; dicas. Ecclesiam errare non posse vniuersam, sed Papam, etenim quæ firmitas fidei promissa est Ecclesiæ, ea in Papa tanquam in Capite & fundamento radicem habet, cui Luc. 22. dictum est. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Falsum proinde est, quod passim obtrectant hæretici aliquos Pontifices in hæreses lapsos fuisse, cùm ad eos. vt S. Cypr. dicit perfidia accessum habere non possit. Porrò solutiones argumentorum hæreticorum, videri possunt apud Bellarm: Sanderum, Hosium, & alios. 47. Cypr.

COROLLARIUM 3.

Notis seu tesseris expressis in Nicæno, Constantinopolitano & Romano Concilijs; Vna Sancta, Catholica & Apostolica: ceterisq; in hiscè contentis, inuenitur & discernitur vera Ecclesia à falsa.

QVòd non leuibus, nec friuolis (vt passim faciunt hæretici) signis ac vestigijs, inuenitur & discernitur vera Ecclesia ab hæreticorum & schismaticorum conuenticulis, sed grauissimis notis & tesseris: ijsq; expressis &

designatis in ijs Concilijs, quibus maximus honor in Ecclesia semper habitus fuit, præsens ostendit Corollarium. Quod quidem per modum assumptionis in hunc modum infertur. Atqui Ecclesia vera inuenitur & iudicatur ijs notis, quæ positæ sunt in Concilijs Oecumenicis, scilicet quod sit Vna Sancta Catholica & Apostolica. Ergo ijsdem cognoscitur & discernitur Verùm quia nonnullæ difficultates circa notas designatas possunt occurrere, ideo pro errorum depulsione, & veritatis Catholicæ declaratione, membra aliqua subijcientur. Sit ergo.

MEMBRVM I.

An vnitas Ecclesiæ sit tribuenda?

DE vnitate potissimum permanenriæ hic sermo instituitur, dùm quæritur, an sit tribuenda Ecclesiæ, id est an vna & eadem semper immutabilis permaneat Ecclesia? qua vnitate quia carent hæreticorum sectæ, ideo semper mutantur, & sua mutatione intereunt, quod videre est in secta Lutheri & Caluini quæ nunquam vna & eadem permanet, sed in alias degenerat, iamq; interijt. Etenim sicut vnitas conseruat res, quod etiam suo Philosophia exponit Bóëtio, lib. 3. de consol: prosa 11. ita diuisio & mutatio perniciem generat, iuxta illud Luc. 11. *omne regnum in se diuisum desolabitur.* Ex quo iam

Boë:.

COLLIGITVR. Vnitatem tanquam basim Ecclesiæ esse tribuendam. PATET 1. ex scripturis, quæ palam vnitatẽ Ecclesiæ ostendunt Cant. 6. *Vna est columba mea:* Ioan. 10. *Vnum ouile.* 1. cor. 12. *Corpus vnum*, Ephes. 4. *Vnum corpus & vnus Spiritus.* Ezech. cap. 37. *Faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Israël, & Rex erit vnus omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes nec diuidentur ampliùs in duo regna.* Quod Apostolus Ephes. 2. ita exequitur. *Ipse fecit vtraq; vnum, condens duos in vnum nouum hominem:* inde est, quod Concilia prædicta non dicunt Ecclesias, sed vnam Ecclesiam, ipsique Apostoli: Sanctam Ecclesiam Catholicam tradiderunt.

2. DEINDE. Vnitatem Ecclesiæ constans & consona Patrum euincit doctrina, qui de vnitate scripserunt Ecclesiæ, vt S. Cyprianus, qui etiam lib. 1. epist. 8. d. *DEVS vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia,* Et lib. 4. epist. 2. *Vna est Ecclesia per totum mundum à Christo in multa membra diuisa.* S.

Cypr.

August.

August: ad finem Tract: 6. in epist: 1. Ioan. arguendo schismata vnitatem Ecclesiæ exhibet. d. *Tollis te ab vnitate orbis terrarum, diuidis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi, ille venit in carne vt colligat, tu ideo clamas vt spargas.* Et vltra *distringere vis membra Christi, quomodo non negas Christum in carne venisse, qui dirumpis Ecclesiam, quam ille congregauit?* S. Hieron: lib. 1. contra Iouinianum & omnes alij, quos singillatim recensere superuacaneum esse videtur, cùm id clariùs sit, quàm dici possit. Hieron.

PRÆTEREA. Ecclesia comparatur ijs rebus, quibus vnitas necessariò tribui debet. Ergo Ecclesia vt sit vna est necesse, ANT. patet ex scripturis, in quibus Ecclesia comparatur regno, quod sub vno rege vnum est: comparatur ciuitati, quæ ab vno gubernatore ad vnitatem cogitur; comparatur familiæ, gregi, exercitui, corpori, omnia hæc cùm non nisi ex vnitate conseruentur, etiam Ecclesia illis comparata in vnitate stabilis manet. 3.

DENIQ. Vnitas formæ, arguit vnam rei substantiam; nam forma cùm sit intima ratio, dat esse rei: Atqui Ecclesiæ semper est vna forma, Ergo vna Ecclesia, MIN: Modus quo regitur Ecclesia est ipsius forma, sicut cuiuslibet reipub. Atqui modus quo Ecclesia in terris regitur, semper est vnus & nunquam mutatur semper enim ab vno regitur Ecclesia in terris. Nam inprimis ab vno solo Christo regebatur, quousq; ascenderet; post vni Petro commissa exin per successores Petri Romanos Pontifices vsq; in hodiernā diē in vnitate conseruatur. Ergo sēper vna manet forma Ecclesiæ. 4. Videatur Aristot: lib. 3. polit. c. 2.

DICES. 1. Quod derogat dignitati Ecclesiæ, non est illi tribuendum. Sed vnitas derogat. Ergo. MIN: Imperfectum tribuere Ecclesiæ, derogat ipsius dignitati. Sed vnitas est imperfectio: cùm nulla vnitas vt sic, dicat perfectionem, vt docet D. Thom: 1. p. q. 6. art: 3. 1m. ℞. neg: MIN: Ad probat. d. D. Thomas disputat in eo loco de vnitate transcendentali cum ente reciproca, nos autem hic de vnitate morali permanentiæ & ordinis, quā etiam corpus est vnum multis membris complexum, ciuitas vna, diuersos status hominum continens. Deinde aliud est esse imperfectum, aliud non importare rationem perfectionis. Non dicit ergo D. Thomas vnum importare rationem imperfectionis, sed tantùm dicit, non importare rationem perfectionis sed solùm indiuisionis, quæ duo inter se confert eo loco, vt determinet, an creatura aliqua sit bona per essentiam, sicut est vna per essentiam. Et quidem ex eo dicit vnitatem non importare rationem perfectionis, sed indiuisionis tantum, quia censet vnitatis rationem non 5.

esse aliquid positiuum, sed solam negationé, vt colligitur ex quæst: 11. art: 1.

6. DICES. 2. Multiplex non est vnum: quia vnum & multa opponuntur, ex 10. Metaph. cap. 6. Sed Ecclesia est multiplex: quia alia est Orientalis, alia Occidentalis: alia Græca, alia Latina, Ergo Ecclesiæ vnitas tribui non debet. ℞. diuersitates locorum & gentium, non constituunt multiplicem Ecclesiam, quam vnitas Spiritus in fide & dilectione sub vno capite facit esse concordem, sicut nec diuersæ conditiones hominum diuersificant ciuitatem aut rempublicam.

Aristot.

7. DICES. 3. Ecclesia nec numero vna est, nec specie, Ergo illi vnitas tribui non debet, ANT. non vna numero, quia esset indiuiduum alicuius Speciei. Non Specie, quia vniuoce de pluribus indiuiduis enuntiaretur. ℞. nullum esset incommodum dicere Ecclesiam vnam Specie tametsi forte non prædicaretur de pluribus indiuiduis: nam sunt multæ Species rerum, quæ secundùm essentiam, licet non secundùm potentiam saluantur in vno indiuiduo, vt docent Logici patetq; de sole, luna, &c. Sed his relictis speculationi Logicorum. d, Ecclesia est vna vnitate ordinis secundum quod membra eius ordinem ad inuicem habent & cum capite: sicut probatur in corpore Physico, id proportionaliter putandum in corpore mystico. Hinc

Gregor: S. Greg: lib. 29. Moral. *Sancta* inquit *Ecclesia consistit vnitate fidelium, sicut corpus vnitate membrorum.*

8. DICES. 4. Vnum corpus non est dicendum, vbi sunt duo capita, nisi portentum sit hydræ simile. Atqui Ecclesia duo capita habet, Christum scilicet & Pontificem. Ergo Ecclesia non est vnum corpus. ℞. Vnius corporis Physici duo capita eiusdem generis esse non possunt, diuersi generis duo capita corporis potissimi moralis nihil impedit, quod vel ex Apostolo Ephes. 5. euidenter colligitur, vbi mulieri habenti caput suum Physicum seu naturale, tribuit alterius generis caput id est morale, scilicet virum. Ita nullnm est incommodum, vnius Ecclesiæ duplex caput esse, principale & secundarium, visibile & inuisibile, quorum vnum sit subordinatum alteri (quanquam Christus & Pontifex vnum caput constituunt, quando Pontifex qui præest Ecclesiæ: non suo sed Christi nomine vt Vicarius præest) Christus quidem est caput quod ad inuisibile regimen, in quo nullus ipsius vices gerit; nam omnis gratia in Ecclesia, omne charisma, ab ipso Christo capite infunditur. Quod verò ad visibilem gubernationem attinet, iam Pontifex loco Christi, successor Petri, est caput Ecclesiæ secundarium, repræsentans

primarium caput Christum. Præclarè proinde S. Ambros. vt in Catechismo Parochorum allegatur, *Si quis inquit obyciat; Ecclesiam vno capite & Sponso IESV Christo contentam, prœterea nullum requirere: in promptu responsio est, vt enim Christum Dominum omnium Sacramentorum, non solùm authorem, sed intimum etiam prœbitorem habemus, nam ipse est qui Baptizat, & qui absoluit, & tamen is homines sacramentorum externos ministros instituit; sic Ecclesiæ quam ipse intimo Spiritu regit, hominem suæ potestatis Vicarium & ministrum præfecit, nam cùm visibilis Ecclesia visibili capite egeat, ita Saluator noster Petrum vniuersi fidelium gregis caput & Pastorem constituit, vt illi oues pascendas verbis amplißimis commendauit, vt qui ei succeßißet, eandem planè totiùs Ecclesiæ regendæ & gubernandæ potestatem habere voluerit.* Ambros.

DICES. 5. Quod ex partibus incompossibilibus conflatur vnum non est. Sed Ecclesia ex partibus incompossibilibus constituitur, ex malis scilicet & bonis: malum autem & bonum nunquam ad vnius constitutionem concurrere possunt. Ergo Ecclesia non est vna. ℞. mali pertinent ad Ecclesiæ vnitatem, non ea parte qua mali sunt, sed quâ fideles & ideo vnum cum bonis constituunt Ecclesiam. 9.

DICES. 6. Quòd mutatur, non semper est vnum & idem. Sed Ecclesia mutatur: quando proficit in fide, & augmenta accipit, Ergo non est vna & eadem. ℞. aliud est proficere, aliud mutari, nam illud mutatur, quòd ex alio in aliud transuertitur: Ecclesia quando proficit in fide, non transuertitur ex alio in aliud, sed in semetipsa amplificatur: dùm proficit tàm in singulis hominibus quàm in omnibus, intelligentia, scientia, sapientia, idq; in suo dumtaxat genere, in eodem dogmate, & eodem sensu, eâdemq; sententia, vt ait Vincentius Lyrinensis. cap. 28. 10. Lyrinen.

MEMBRVM II.

An vnitas sit vera nota Ecclesiæ?

QVæritur si ex eo quòd Ecclesia vna cognoscitur, semper eâdem permanens, eadem fide & fidei doctrina: ijsdem sacramentis: legibus & moribus, succeßione non interrupta: necessariò credatur vera Ecclesia, tanquam ex Symbolo & nota cum vera Ecclesia recurrente? atque pro difficultatis resolutione. 11.

COLLIGITVR. Vnitas pro vera Ecclesia nota, semper habita fuit.

PATET. 1. ex ſcripturis. 1. cor. 1. eam oſtendit veram Eccleſiam Apoſtolus, in qua vnum & idem ab omnibus dicitur. Epheſ. 4. in illis cognoſci Eccleſiam, qui ſoliciti ſeruant vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, vnus Spiritus. Ioan. 13. quaſi teſſeram & characterem inſeparabilem à ſua Eccleſia, commendat Chriſtus diſcipulis charitatis vnitatem. *In hoc inquit cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*, cap. 17. eandem vnitatem precatur dari à Patre ſuis, *vt* inquit *omnes vnum ſint.* Ergo ex vnitate cognoſcitur vera Eccleſia. Vnitatem verò iſtam, ille
Hieron. tantùm ſeruat, ait S. Hieron: *qui non rapitur omni vento doctrinæ, neq; in morem ſtulti quaſi luna mutatur, hoc verò in ſola Eccleſia.* nec hæreſibus commune, cùm quælibet hæreſis vt exorta fuerit, ſtatim alias & alias parit, in eaſque diuiditur.

12. Hoſius. DEINDE. Concilia prædicta vnitatem pro nota & teſſera prima Eccleſiæ ſtatuunt: de quo Cardinalis Hoſius lib. 5. contra Brent: Non eſt inquit alia certior Eccleſiæ nota, quàm ſit vnitas, quam etiam ob cauſam, in Symbolo Conſtantinopolitano, quod poſt lectum Euangelium in Eccleſia cantari conſueuit, cum quatuor notis Eccleſiæ DEI deſcribitur, quibus eam ab Eccleſia ſatanæ diſcernere liceat, primo loco ponitur quòd ſit vna. Sub-
Iren. ſcribunt Patres antiqui. Ireneus lib. 1. cap. 3. qui ex eo oſtendit Eccleſiam, quòd in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit prædicationem & fidem Apoſtolorum, *quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit his quaſi vnam animæ habens, & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os.*
Iuſtinus. Iuſtinus Martyr in oratione exhortatoria ad Gentes ex analogia rerumpublicarum oſtendit veram Eccleſiam per vnius gubernationem. *Vnius enim principatus* inquit *à bellis diſſidijſq; ſolutus & liber*
Cypran: *eſſe ſolet* Idem S. Cyprianus de vnitate Eccleſiæ, *Epiſcopatus* inquit *vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur,* Et alibi. *Quiſquis Eccleſiæ non tenet vnitatem, profanus eſt,* Et adhuc. *Super vnum ædificat Chriſtus Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas oues ſuas mandat. Et quamuis Apoſtolis omnibus parem poteſtatem tribuat, tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vbiq; & ceteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Atque ita omnes antiqui Patres notam veræ Eccleſiæ conſtituebant, vnius gubernationem.

PRÆTEREA. Successionem legitimam Sacerdotum & Episcoporum ab Apostolis cæptam, & continuationem non interruptam, inter veras Ecclesiæ Christi in terris notas Patres antiqui agnoscunt; ita docent Ireneus. Tertullianus. Cyprianus, Augustinus & alij, Et Ireneus quidem lib. 4. cap. 45. monens quam Ecclesiam sequi debeamus, quamq; congregationem veram Ecclesiam reputemus, successionem exhibet dicens. *Vbi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem apud vos est ei, qua ab Apostolis est successio, & id quod est sanum & irreprobabilis sermonis constat. Ibi enim & eam quæ est in vnum DEVM, qui omnia fecit fidem nostram custodiunt, & eam quæ est in Filium DEI dilectionem adaugent, qui scripturas nobis sine periculo exponunt, neque DEVM blasphemantes, Patriarchas exhonorantes, neq; prophetas contemnentes.* Et cap. 63. eiusdem libri. *Agnitio & vera Apostolorum doctrina & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi secundùm successionem Episcoporum. quibus illi eam, quæ in vnoquoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsq; ad nos,* Et S. August: contra epistolam Manichæi. *Vt omittam* inquit *hanc sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt alia. quæ in eius gremio me iustißimè detinent, tenet consuetudo populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, Spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri cui pascendas oues suas Dominus post resurrectionem suam commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum Sacerdotum succeßio,* &c. Iam prædicti Patres de successione ab Apostolis inchoata manifestè loquuntur, eam inter notas Ecclesiæ recensentes. De continuatione non interrupta illud etiam S. Augustino accipi potest. in lib. de vtilitate credendi cap. 27. d. *Cùm igitur tantum auxilium DEI, tantum profectum fructumq; videamus, dubitamus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede, per succeßiones Episcoporum, frustra circumlatrantibus hæreticis culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est vel præcipitis arrogantiæ,* S. Hieron: contra Lucifer. d. *Breuem apertamq; animi mei tibi proferam sententiam, in ea manendum Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad diem hanc durat.* Hic continuatio non interrupta declaratur. Consensus quoque populorum & nationum, diuersorum temporum, locorum & idiomatum in fide & doctrina fidei, quòd sit nota Ecclesiæ, ostendit Vincentius Lyrinens. cap. 3: d. *Sequamur consensionem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones sententiasq; sectamur,* Et cap. 4. docet cognoscere dogma verum, veræ Ecclesiæ ex tali consensu, collatas

13. Iren: August: Hieron. Lyrinen:

inter se maiorum consulendo interrogandoq; sententias, eorum dumtaxat, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt. *& quidquid non vnus aut duo tantùm, sed omnes pariter, vno eodemq; consensu apertè frequenter, perseueranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognoscuntur.* Eundem consensum notam esse Ecclesiæ, in illo loco contra epistolam Manichæi ostendit

August. S. August: Atqui successio, continuatio, consensus, & antiquitas, omnia ista rationem vnitatis Ecclesiæ complent.

14. INSVPER. Veris notis, vera Ecclesia discernitur à sectis alienis. Atqui vnitate, vera Ecclesia discernitur à sectis hæreticorum: nulla enim secta hæreticorum est vna & eadem semper, sed nunc oritur, nunc occidit: nunc in rebus fidei hoc sentit, nunc aliud & contrarium, inque multas & varias sectas dissecatur. Id exemplo patet. Nam qui initio facti fuerunt Luthe-

Hosius. rani, inquit Hosius lib. 3. contra Brent. Paulo post Zwingliani, mox Pickar-

Bellarm. di, deinde alij Seruetiani, alij Nestoriani, alij Iconomachi. Et Bellarm: in

Luther secta. lib. de notis. cap. 10. numerat ferè centum diuersissimas sectas ab vno Luthero prodeuntes: iam hodie quis numeret eos? nec mirum, quia cùm non habeant certam regulam & normam fidei, quisque ad libitum suum credit, & heri quidem aliud, hodie aliud, cras præteritis contrarium: atque adeo, vt posteriores sectæ funditus euertant & consumant priores ex quibus natæ sunt.

15. DENIQ;. Sicut se habet discessio ad schisma & hæresim, ita vnitas ad Ecclesiam: oppositorum enim opposita sunt consequentia. Sed discessio est euidentissima nota schismatis & hæresis: nam & hæresi Antichristi, qui futurus est vltimus hæresiarcha, hanc notam opponit Apostolus 2. Thess. 2. d. *Nisi venerit, discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati,* &c. atq; alibi de alijs hæresibus præcauens. Ergo & vnitas est nota Ecclesiæ: idque

Sotus. Petrus à Soto ita dicit. *Vnitas certum signum est Ecclesiæ, discessio autem proprium signum hæresis.*

16. INSTABIS. 1. Si discessio est signum hæresis, vnitas autem seu concordia signum Ecclesiæ, Ergo quisquis discedit ab vnitate & concordia hæreticus est, vnitas autem & concordia continet Ecclesiam. Atqui Elias in regno Israëlitico discesserat ab vnitate & concordia Achab regis, & Sacerdotum Baal, atq; maxima parte populi qui coniungebantur concordia & vnitate in cultu Baalitico. Ergo Elias fuit hæreticus, rex Achab & qui coniun-

gebantur illi concordia & vnitate Ecclesiam continebant. ℞. Hoc argumento, dùm se præsumit tueri à nota schismatis & hæresis Brentius, seipsum Eliæ, Ecclesiam autem Romanam à qua defecerat illi congregationi & vnitati cum rege Achab comparat. Sed sinistrè, non enim concordia & vnitas in idololatria demonstrat Ecclesiam, ita enim corpus Behemoth vnitum docet scriptura lib. 41. sed vnitas & concordia in cultu veri DEI; nec discessio à concordia & Vnione in idololatria ostendit hæreticum, sed discessio ab vnitate & concordia, qua in cultu orthodoxo veri DEI populus Christianus coniungitur. Deinde Elias discessit ab Achab & alijs vnitis in cultu Baalitico quibus namquam coniunctus fuit; porrò Brentius & alij hæretici discedunt ab vnitate Ecclesiæ cui prius coniuncti erant: nihil proinde efficit Brentij argumentum. Brentius.

DICES. 1. Vera & propria nota Ecclesiæ non est ab ea separabilis; quia vera & propria nota sequitur rem cuius est nota, sed vnitas ab Ecclesia est separabilis. Ergo non est vera & propria ipsius nota MIN: Ecclesia non semper est vna, Ergo vnitas ab ea separabilis, ANT: Omne vnum est indiuisum, ex 5. Metaph. cap. 6. Sed Ecclesia non semper indiuisa: nam diuiditur per schismata & hæreses ex ea pullulantes. Ergo Ecclesia non semper est vna. ℞. neg: MIN: Ad prob. d. etiamsi aliqui discedant ab Ecclesia, per schisma & hæresim, hoc non minuit vnitatem Ecclesiæ, ex qua dùm illi eijciuntur & damnantur, scissura resarcitur, nec vlterius in ipsa Ecclesia progreditur. Hinc S. August: lib 1. de Symb. ad Catech. cap. 5. *Ipsa est* inquit *Ecclesia sancta, Ecclesia vera, Ecclesia vna, Ecclesia Catholia, contra omnes hæreses pugnare potest, expugnari non potest; hæreses omnes de illa exierunt, tanquam Sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portæ inferorum non vincent eam.* Itaque nimimè nocet vnitati Ecclesiæ, quòd ex ea exoriantur schismata & hæreses. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis nam si fuißent ex nobis, permanßißent vtiq; nobiscum* 1. Ioan. 2. 17. Arist. August.

INSTABIS. 2. Vbi diuersitas opinionum in doctrina, nullus consensus, vnitas nulla, Atqui in Ecclesia diuersitas opinionum maximè in doctrina; cùm aliter qui Thomam, aliter qui Scotum, atq; aliter qui propriam sequuntur sententiam opinantur. ℞. dissensio Catholicorum in ijs, quæ non pertinent ad fidem, non contriatur vnitati Ecclesiæ, nec eam labefactat, cùm omnes sint parati in quantacunq; opinionum varietate, credere, quid- 18.

quid ab Ecclesia credendum esse iudicatum fuerit; sicut non minuebat vnitatem Ecclesiæ, quòd aliqui 1. cor. 1. dicebant, *ego sum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ*, nam redarguti ab Apostolo omnes dixerunt. *Nos sumus Christi*: id est Christiani, vt exponunt S. Ambros. Theophilact: & D. Thomas, quem etiam sensum confirmant illa cap. 3. *Vos autem Christi, Christus autem* DEI.

Ambros. Theophil. D. Thom.

19. DICES. 2. Quod est commune multis, vnius vera & propria nota esse non potest; est enim contra rationem veræ notæ & propriæ pluribus conuenire. Atqui vnitas communis est, etiam sectis schismaticorum & hæreticorum, non enim sine vnitate subsisterent: nam dicit Bóëtius. *Omne quod est, ideo est, quia vnum est*, & hac vnitate, nihil Ecclesiæ perniciosius esse posse: lib. 14. 1. cap. 3. Moral. docet S. Gregor. Ergo vnitas non debet censeri, vera & propria nota Ecclesiæ. ℟. hæreticis non conuenit vnitas quia sunt diuisi in partes, ait D. Thom. in expos. symb. sed esto conueniat vnitas sectis ab Ecclesia alienis, sed alia vnitas hæreticorum, alia Ecclesiæ: vnitas hæreticorum, est vnitas carnis, vt optimè Hosius lib. 5. contra Brent. d. quam ostendit scriptura per corpus Behometh. lib. 41. vnitas & concordia hæreticorum nihil est præterquam veritatis Catholicæ oppugnatio, in hoc vno concordes sunt, vt omnia dogmata vel mendacissima probent, veram & Catholicam Ecclesiam oppugnent, ait Iacobus Gorscius in sua animaduersione in Theologos Witembergenses, concordia autem in malo non concordia sed coniuratio est. Porrò vnitas Ecclesiæ, est vnitas Spiritus, de qua Apostolus Ephes. 4. *Soliciti seruate vnitatem Spiritus in vinculo pacis*; quam vnitatem hæretici & schismatici, dissipato atque corrupto vinculo pacis tenere non possunt. Quantum ad Bóëtium, ille loquitur de vnitate transcendentali, nos de vnitate permanentiæ, qua Ecclesia vna, & eadem permanet semper: non enim hoc anno oritur altero occidit vt hæreses; idem quoq; de ijsdem rebus sentit semper, quia eos sensus constanter conseruat, quos à primis fundatoribus accepit. In Ecclesia Catholica vna confessio, vna credendi ratio, idem Græci & Latini sentiunt, idem totus orbis Christianus, idem Concilia omnia decernunt. Inter hæreticos & schismaticos quot capita tot sensus, tot fides, tot confessiones, alij plura, alij pauciora, alij nulla sacramenta statuunt, vt rectè Iren. lib. 3. cap. 40. *Alienati* inquit *à veritate, dignè in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atq; aliter, per tempora de eisdem sentientes, & nunquam scientiam stabilem habentes.*

Bóëtius. Gregor. D. Thom. Vnitas hæreticorum Hosius. Gorscius. Iren.

INSTABIS. 3. In Ecclesia fiunt plures confessiones, eæque secum pugnantes; nam quot sunt Concilia & Symbola tot sunt confessiones. Et Concilia quidem secum pugnant in decretis stabiliendis, quod manifestum est primò exemplo Conciliorum Romani sub Stephano VII. & Rauennensis sub Ioanne XI. Nam quia Romanum irritauerat omnia acta Formosi Papæ, Rauennense irritauit decretum illud Concilij Romani, & approbauit acta Formosi. Deinde exemplo Conciliorum secundi generalis, & Nicæni: Nam in Concilio secundo generali decernitur primatus Ecclesiasticus Romano Pontifici, in Nicæno autem Can: 7. Episcopo Hierosolymorum. ℞. Decreta illa Conciliorum Romani & Rauennensis, non sunt pro confussionibus habenda, siquidem de articulis fidei nihil in illis decernitur, sed de facto. Et quidem Concilum Romanum ex mala informatione Formosum non censuit verum & legitimum Papam fuisse, ob idq; eius acta irritauit, porrò Concilium Rauennense, re diligentiùs inuestigata & perspecta, agnouit Formosum verum & legitimum Papam fuisse, decreta Romani Concilij in hoc negotio irritauit. Quantum ad Concilia secundum generale & Nicænum, in illis etiam nulla diuersitas confessionum, vtrobiq; Romano Pontifici primatus Ecclesiæ & primus honor tribuitur, sed in Nicæno aliquis honor Episcopo Hierosolymorum respectu aliorum Episcoporum, vt pote succedenti Iacobo Apostolo, non tamen primatus Ecclesiæ. Itaque nec in Concilijs nec in Symbolis aliæ & aliæ fiunt confessiones, sed vna semper immota confessio conseruata, explicationes autem difficultatum oborientium adhibentur. 20.

D. Thom: 2. 2æ. q 1. art. 9. ad. 2m. 24. 1. P. q. 36. art: 2. 2m.

DICES. 3. Recedere ab vnitate, non est signum certum schismatis aut hæresis. Ergo nec vnitas certum signum Ecclesiæ. Conseq: constat ex illo Top. 4. *Sicut se habet propositum in proposito, ita oppositum in opposito.* ANT: manifestum, quia illi fuissent schismatici & hæretici, qui discedebant à Concilio Iudæorum sub Pontifice Caipha vnito in necem Christi, hæreticus fuisset Ioseph, Nicodemus & alij pij viri. ℞. neg: ANT: Ad Conciliũ Iudæorum. d. illud manifestè erroneum & peruersum fuisse, dùm congregatum esset contra Christum. Nam tunc præsente & docente Christo, Summo totius Ecclesiæ Pontifice, non fuit necessarium, vt Pontifices & adunata Concilia Iudæorum non possent errare, imò prædictum est tunc erraturos Iudæos, & Christum negaturos. Ps: 2. *Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius,* &c. 21.

Isai. 6. *Vnde & dices populo huic, audite audientes & nolite intelligere, & videte visionem & nolite cognoscere, excæca cor populi huius.* &c. Iren. 4. *Et erit in die illa dicit Dominus, peribit cor regis, & cor principum, & obstupescent Sacerdodotes, & Prophetæ consternabuntur.* Ezech. 7. *Lex peribit à Sacerdote & Consilium à senioribus.* Daniel 9. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est,* Micheæ 3. *Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione,* &c.

MEMBRVM III.

An vna sit Ecclesia, quæ fuit ab initio mundi & nunc?

22. QVia nunc Christiana nuncupatur Ecclesia, quo nomine ante non censebatur, ideo in dubium vocatur, an vna & eadem semper sit Ecclesia DEI, verùm pro Catholica veritate.

COLLIGITVR. Vna est Ecclesia secundùm substantiam, quæ fuit ab initio mundi, & quæ modo est. Expressè id docet D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. d. corpus Ecclesiæ constitui ex hominibus qui fuerunt à principio mundi, vsque ad finem ipsius. Et ad 3m. Idem antiqui Patres docuerunt. Iren: lib. 4. cap. 52. ostendens vnum DEVM fuisse antiquorum & nostrum & vnam fidem, S. Gregor. Homil. 29. in Euang: deducit vniuersalem Ecclesiam ab Abel iusto fructificantem, vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est. Idem Catechismus Parochorum in explicatione symboli; *Omnes* inquit *fideles, qui ab Adam in hanc vsq; diem fuerunt, quiuè futuri sunt, quamdiu mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam pertinent, quæ super fundamento Apostolorum & Prophetarum fundata est, qui omnes in illo lapide angulari Christo, qui fecit vtraq; vnum, & pacem ijs qui propè, & ijs qui longè annunciauit, constituti sunt & fundati,* Idem Alfonsus à Castro. lib. 1. cap. 5. & alij. PATET. 1. ex scripturis, Gen: 9. cùm benediceret Nóè duobus filijs post diluuium Sem & Iaphet, ita pronuntiat, *Dilatet* DEVS *Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem,* Ex Sem geniti erant Iudæi, apud quos fuit Synagoga, ex Iaphet gentiles, qui vocati sunt ad Ecclesiam Christi: Et quia Iaphet prædicitur habitaturus in tabernaculis Sem, id est in Ecclesia Iudæorum, liquet vnam esse Ecclesiam fidelium, tàm sub veteri quàm nouo testamento. Idem Iacob Patriarcha de Iuda ex quo Christus, Gen. 40. Pro-

[Margin: D. Thom. — Iren: — Gregor: — Catechism Paroch. — Castro.]

phetat, *ligans* inquit *ad vineam pullum suum, & ad vitem ô Fili mi asinam suam.* Propheta quoq; Dauid Ps. 79. dùm celebrat Ecclesiam antiqui populi, ait. *Vineam de Egypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam*, tandem constrinctionem eius ostendit in dilatatione populi Christiani in vniuersa terra. d. *Plantasti radices eius & impleuit terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros* DEI, *extendit palmites suos vsq; ad mare & vsq; ad flumen propagines eius.* Id clarissimè illa vinea Matth. 20. exhibet, ad quam vocantur alij primo mane, alij horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vndecimâ, per quos intelliguntur fideles vtriusq; testamenti, vna autem est vinea, in quo omnes isti laborauerunt: vna igitur Ecclesia ex fidelibus vtriusq; testamenti.

DEINDE. Semper vna & eadem est substantia Ecclesiæ ab initio mun- 23.
di vsque modo eadem fides, sicut idem DEVS. Ergo vna & eadem Ecclesia nam manente eadem & non mutata substantia manet eadem res.

PRÆTEREA. Sicut omnia membra Physica, vnum corpus Physicum 24.
constituunt, ita omnia membra Christi vnam Ecclesiam: quod pluribus in locis docet Apostolus. Sed tàm illi qui erant sub veteri testamento, quàm qui sub nouo sunt membra Christi: nam de Patribus antiquis, Iren: lib. 4. Iren.
cap. 66. d. *Cùm & ipsi essent membra Christi, vnusquisq; eorum secundùm quod erat membrum, secundùm hoc & Prophetationem manifestabat, omnes & multi vnum præformantes, & ea quæ sunt vnius annunciantes.*

INSVPER. Vtriusq; testamenti Christus est lapis angularis coniungens 25.
vtrumque parietem. Ergo vna domus Ecclesiæ.

DENIQ;. Eadem semper Species seu forma Ecclesiæ, id est regimen & 26.
gubernatio sub vno, vt fusè prosequitur Sanderus de visibili Monarchia: sem- Sander.
per enim per vnum ab initio mundi Ecclesia DEI regitur. Ergo semper vna.

DICES. 1. Ex diuersis populis non potest vna constare Ecclesia; nam 27.
gens vna & populus vnus in Ecclesia vna promittebatur, Ezech. 37. *Faciam eos in gentem vnam, & non erunt vltra duæ gentes.* Atqui olim sub veteri testamento, & nunc sub nouo, sunt diuersi populi: nam ille populus carnalis adhuc erat, nunc spiritualis. ℞. non repugnat ex diuersis populis vnam vocari Ecclesiam, modò illi sint vnius moris. Ps. 67. id est vnius fidei, spei & dilectionis in domo: imò passim in scripturis ex diuersis populis vocanda Ecclesia ostenditur, quod celebratur in illa collecta Sabbati Sancti, DEVS qui diuersitatem gentium, in confessione tui nominis adunasti. Quod verò sub veteri testamento populus carnalis dicebatur, hoc ideo quia

carnalibus adhuc ceremonijs, figuris, & elementis continebatur: ideoque Ecclesia illius temporis pro suo statu Synagogæ denominationem habuit, propter ritus illos; qui fuerunt vmbræ & figuræ futurorum; quanquam vnus populus nobiscum, quomodo successione eadem aliqua Ciuitas, vt ait S.

lib. 15. de Ciuit: Augus: perdurat per multa secula.

28. DICES. 2. Vbi diuersi reges, diuersa regna, Ergo vbi diuersa capita & Pontifices, diuersæ Ecclesiæ. Atqui aliud caput fuit Ecclesiæ veteris testamenti, nempe Moyses, & noui testamenti Ecclesiæ caput Christus, vt patet ex illo Hæbr. 2. *Amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam,* Ergo in veteri & nouo testamento Ecclesia non est vna, ℞. etiam eidem regno diuersi reges successione præesse possunt: deinde visibile caput quoad externam gubernationem, aliud fuit Ecclesiæ veteris testamenti, atque aliud noui testamenti: inuisibile verò caput quoad internum influxum gratiæ idem semper nempe Christus.

29 DICES. 3, Diuersæ leges & constitutiones, diuersas respublicas constituunt, Ergo diuersa sacramenta non sunt vnius Ecclesiæ. Sed veteris testamenti fuerunt alia sacramenta quàm noui, Ergo non vna Ecclesia, ℞. etiam in eadem repub. possunt mutari leges & constitutiones, iuxta temporum, locorum & personarum mutationes, prout necessitas expostulat, ita diuersa sacramenta & præcepta in vna Ecclesia secundùm diuersitatem temporum & personarum. Deinde licet diuersa sacramenta habuerint antiqui Patres à nostris, ad eundem tamen finem vtentes illis sacramentis tendebant: non autem sistebant in illis sacramentis tanquam in rebus aliquibus, sed sicut in imaginibus & vmbris futurorum: proinde eadem est Ecclesia illorum & nostra quoad substantiam, diuersa autem quoad statum temporis, Porrò sicut Sapiens legislator pro diuersitate temporum, capacitate personarum & aliarum circumstantiarum, diuersas in eadem ciuitate aut repub. statuit leges, ita Sapientissimus legislator DEVS diuersas leges eidē Ecclesiæ suæ & diuersa sacramenta, secundùm diuersitatem temporum & personarum ordinauit.

30. DICES. 4. Catholica & non Catholica non est vna Ecclesia, Sed modo est Catholica, cum antea non fuerit Catholica, Ergo non est vna, ℞. Tunc non dicebatur Catholica, quia vno populo, vnó loco, & vno regno concludebatur, nunc Catholica, diuersitatem gentium, per omnia loca

diffusa, in suo gremio fouet ac retinet, vna tamen & eadem continuatione.

Dices. 5. Christiana & non Christiana non est vna. ℞. ideo non dicebatur Christiana Ecclesia, quia nondum effusione sanguinis eam Christus sanctificauerat, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ; nondum palam sub vexillo crucis Christi militabat; eundem tamen nobiscũ Spiritum Christi habuit, quem venturum Redemptorem suum credebat. 31.

Dices. 6. Sanctus Gregorius Homil. 22. in Euangel. dùm ponderat contentionem currendi ad monumentum Christi resurgentis illorum duorum discipulorum Petri & Ioannis, per vnum exponit Synagogam, per alterum Ecclesiam, Sed isti duo discipuli non fuerunt vnus homo, Ergo nec illi antiqui Patres eiusdem sunt nobiscum congregationis seu Ecclesiæ, ℞. Fallit consequentia: tametsi autem illo duo discipuli non fuerint vnus homo exterior quoad personam, fuerunt tamen vnus homo interior quoad Spiritum, vnius scilicet fidei & charitatis: ita Synagogæ & Ecclesia, quamuis non sint idem quoad externa accidentia & ritus, sunt tamen vnum quoad internam substantiam fidei & finem ad quem tendunt, quod enim implicitè & sub vmbris seu imaginibus, Synagoga credidit, id explicitè & palam Ecclesia prædicat & profitetur. 32.

Dices. 7. Interruptio tollit vnitatem continuationis. Atqui Ecclesia constans veteri & nouo testamento interrupta fuit: quia illa veteris testamenti cessauit & abrogata est, & successit illi noui testamenti. Ergo non est vna vnitate continuationis, ℞. Nulla facta est interruptio quoad substantiam, sed solùm quoad ritus externos mutatio, qui cessauerunt & abrogati sunt tanquam adhuc imperfecti, & alij ritus perfectiores in locum illorum surrogati sunt, manente continua Ecclesia, quoad substantiam. 33.

Instabis. Quoad substantiam abrogata Ecclesia veteris testamenti, Ergo non solùm secundùm ritus. Ant. Sacramenta constituunt substantiam Ecclesiæ, Sed illa sunt abrogata: nam & circumcisio & alia legalia abrogata sunt. Ergo Ecclesia vetus quoad substantiam ℞. neg: Ant: Ad prob. d. quia non ita abrogata sunt sacramenta vetera, vt omnino sine illis esset Ecclesia, sed continuò pro illis data sunt noua perfectiora, quorum vsu vndiq; fulciatur, vt loquitur Catechismus Parochorum, ideo non potest dici Ecclesia antiqua quoad substantiam abrogata, sed ex antiquo statu in nouum translata. Deinde non sola sacramenta constituebant substantiam illius Ecclesiæ, nec principaliter, sed in fide principaliter consistebat, quam sa- 34. Catechis. Paroch.

cramenta proteſtabantur, quòd ergo abrogata ſunt ſacramenta illa vetera, non ſequitur abrogatam Eccleſiam quoad ſubſtantiam.

35. INSTABIS. iterum, Chriſtus repudiauit Eccleſiam veteris teſtamenti, iuxta illud Gal. 4. *Eijce ancillam & Filium eius*, proinde iam nunc Iudæi ſunt ſine DEO. Ergo quoad ſubſtantiam abrogata. ℞. non eſt repudiata Eccleſia veteris teſtamenti ſed renouata & pulchra reddita atq; ax ancilla facta libera, vt hoc modo dicatur eiecta ancilla, id eſt, ex ſtatu ſeruitutis in libertatem tranſlata. Hinc Apoſt. Rom. 11. *Nunquid DEVS repulit populum ſuum? abſit, nam & ego Iſraëlita ſum, non repulit DEVS plebem ſuam, quam præſciuit.*

36. DICES. 8. Eccleſia veteris teſtamenti figura Eccleſiæ noui teſtamenti, Ergo non eſt vna. ℞. Eccleſia veteris teſtamenti, figura fuit Eccleſiæ noui teſtamenti, non abſolutè & quoad ſubſtantiam, ſed reſpectiuè quoad ritus & ſacramenta : nempè eos ritus & ſacramenta habuit, quæ fuerunt figuræ rituum & ſacramentorum Eccleſiæ noui teſtamenti, cum hoc tamen optime ſtat, vnam eſſe Eccleſiam quoad ſubſtantiam noui & veteris teſtamenti.

MEMBRVM IV.

Vnitas Eccleſiæ in quo conſiſtat?

Sander. DVplicem eſſe vnitatem Eccleſiæ, memorat Sanderus lib. 3. de claue Dauid. cap. 5. internam ſcilicet & externam. Vnitas interna conſiſtit in
D. Thom. tribus, vt oſtendit D. Thom. in expoſitione Symboli Apoſtolici, 1. in vnitate fidei, quia omnes Chriſtiani, qui ſunt de corpore Eccleſiæ idem cre-
37. dunt, Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma*; vnde qui ſe alienant ab hac vnitate fidei, ſunt ſchiſmatici & hæretici atque ſectarij, à quibus cauere monet Apoſtolus Rom: 16. d. *Rogo vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab eis.* Et 1. cor. 1. *Idipſum dicatis omnes, vocem eſſe oportet.* 2. conſiſtit in vnitate Spei, quia omnes firmati ſunt in vna Spe, perueniendi ad vitam æternam.. Epheſ. 4. *Vnum corpus, vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* 3. conſiſtit in vnitate charitatis quia omnes connectuntur in amore DEI, & ad inuicem in amore mutuo. Ioan. 17. *Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Ad hanc vnitatem reti-

nendam frequenter hortabatur Apostolus. Ephes. 4. *In charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.* Et paulò superiùs. *Soliciti seruate vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus Spiritus*: qui fidelibus gratiam perinde atque omnia corporeis membris vitam impertitur. Hac vnitate præfulserunt illi Act. 4. *Multitudinis* inquit *credentium erat cor vnum & anima vna.* Hinc Gregor. in Moral. *Sancta Ecclesia consistit vnitate fidelium, sicut corpus vnitate membrorum.* Gregor. Externa vnitas Ecclesiæ consistit 1. in vnitate baptismi & sacramentorum, quod ostendit Sanderus loco supra dicto, Sander. & palam est ex illo Ephes. 4. *Vna fides vnum baptisma,* Et in Symbolo Nicæno. *Confiteor vnum baptisma.* Quemadmodum enim corde creditur ad iustitiam, ita dùm credentes baptizantur, ore confitentur ad salutem. Id demonstrat Apost: 1. cor. 12. *Omnes nos in vno Spiritu, in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue gentiles, siue serui siue liberi*: vt externo modo baptizamur, externo modo fidem confitemur, & externo modo nomen SS. Trinitatis super baptizatos inuocatur. Tunc enim qui annumerantur membris Ecclesiæ, dùm baptizantur inseruntur Christo, tanquam viti palmites. S. August: super Ps. 86. dùm vocationem Ecclesiæ ex omnibus mundi partibus ostendit, ita dicit. August. *Quomodo vocatur Ecclesia? vndiq; in Trinitate vocatur, non vocatur nisi per baptismum, in nomine Patris & filij & Spiritus sancti.* 2. consistit in vnitate regiminis externi, quia vnam semper administrationis formam, & eundem gubernationis modum Monarchiam habet, vt sufficienter in libris de visibili monarchia Ecclesiæ Sanderus deducit, ita vt nullius loci aut hominum vicissitudo & mutatio efficere possit, vt Ecclesia DEI alia & alia putari debeat, siue illa diffusa est in omnes terras, siue ex vna gente, & lingua, seu ex pluribus aut omnibus constitit: mutata verò forma & Specie gubernationis, Ecclesia quoque mutaretur. Id ex scripturis manifestè colligitur, in quibus Ecclesia comparatur ijs rebus quæ vnitatem habent ex vnitate externi regiminis, vt supra dictum est. 2. consistit in vnitate fundamenti seu externi capitis, sine quo non potest esse vna Ecclesia, vt pulchrè D. Thom. in Opusc. contra errores Græcorum. cap. 32. ostendit d. *Dùm* D. Thom. *hæretici vnum caput Ecclesiæ esse negant, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam, manifestè vnitatem corporis mystici dissoluunt.* Non enim potest esse vnum corpus si non fuerit vnum Caput, neque vna congregatio, si non fuerit vnus Rector. Vnde Ioan. 10. d. *Fiet vnum ouile & vnus Pastor.* Pastorem hunc vnũ, & caput externum Ecclesiæ, Vicarium Christi, & Petri successorem, anti-

Iren. qui Patres confitentur Romanum Pontificem, Iren: lib. 3. cap. 3. de sede Romana ita dicit. *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab his qui sunt vndiq; conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.* Et per ordinem succedenter enumerat in sede Romana Pontifices, quibus succedentibus gubernatio totiùs Ecclesiæ Christi ordina-

Cypr. tione committitur. Cyprianus quoq; de vnitate Ecclesiæ. *Super vnum* inquit *Christus ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas oues mandat. Et quamuis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, suâ authoritate disposuit.* Vnde licet multitudo sit Ecclesiarum particularium, propter multitudinem Episcoporum particularium, quia tamen vnus Episcopatus Episcoporum multorum, concordi numerositate diffusus, vna est Ecclesia per totum mundum. Et

Hieron. Hieron. contra Iouinian. lib. 1. *Vnus* inquit *eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Et ad Damasum. *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ*

Optatus. *Petri communione consocior, super illam Petram ædficatam Ecclesiam scio.* Optatus etiam lib. 2. contra Parmenian: schismatum & peccatorem esse affirmat, qui contra vnam & singularem Petri Cathedram, in qua vnitas ab omnibus seruaretur, alteram collocaret, *Ignorantiæ* inquit *tibi adscribi non potest scienti in vrbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in quo vno Cathedræ vnitas ab omnibus*

Basil. *seruaretur, ne ceteri Apostoli singulos sibi quisque defenderet,* Et S. Basilius *Petrus* inquit *collocatus est in fundamento.* Verissimè igitur & firmissimè vnitas Ecclesiæ ex vnius regimine petitur & infertur. Nam sicut se habet multitudo Episcoporum ad multitudinem Ecclesiarum, ita se habet vnitas Episcopi ad vnitatem Ecclesiæ. Atqui multitudo Episcoporum verissima causa est multitudinis Ecclesiarum. Ergo etiam vnitas alicuius Episcopi, à quo ceteri omnes oriantur, verissima causa est, cum vna per totum mundum sit Ecclesia: quæ dùm subest multis pastoribus, vni primo Pastori, vices Christi gerenti subiectis, ipsi primo Vicario Christi subiecta est, ac proinde ipsi Christo.

38. DICES. 1. Si vnitas Ecclesiæ ex vnitate baptismi colligeretur, quicunque sunt baptizati; ad vnam Ecclesiam omnes pertinerent, quod est falsum; sunt enim multi schismatici & apostatæ, qui licet baptizati sunt, non tamen ad vnitatem Ecclesiæ pertinent, Ergo ex vnitate baptismi non rectè colligi-

tur vnitas Ecclesiæ, ℞. vnitas Ecclesiæ ex vnitate baptismi in ijs colligitur, qui quod spoponderunt in baptismo semper retinent, fidem illibatam seruantes & profitentes: qui verò fidem in baptismo promissam & iuratam palam repudiant, extra vnitatem Ecclesiæ constituuntur, quia *scilicet* circà fidem naufragauerunt. 1. Tim: 1. id est vna parte nauis Ecclesiæ fracta, in mare ex ipsa naui Ecclesiæ prolapsi sunt.

Dices. 2. Sicut in baptismo incorporamur Christo, ita in perceptione Eucharistiæ vnum inter nos & cum Christo tanquam cum capite efficimur, iuxta illud. 1. cor. 10. *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*, de quo S. August. *ô Sacramentum pietatis, ô signum vnitatis, ô vinculum charitatis*, Sed ex perceptione Eucharistiæ non colligitur vnitas Ecclesiæ, aliàs infidelis qui percipit Eucharistiam ad vnitatem Ecclesiæ pertineret. Ergo neque ex vnitate baptismi vnitas Ecclesiæ colligi potest. ℞. baptismus est primum fidei sacramentum, vnde qui illud suscipit, adunatur primò corpori Ecclesiæ, cùm ante baptismum non fuerit adunatus. Eucharistia autem quanquam & illa confirmat hanc vnitatem & conseruat, supponit tamen per baptismum illam effectam. Infidelis itaque manifestus, qui quocunque modo perciperet Eucharistiam, nullo modo ex eius perceptione efficeretur membrum Ecclesiæ, quia talis funditus per suam infidelitatem separatus est ab vnitate Ecclesiæ, vt docet D. Thom: 3. p. q. 80. art: 5. 7m. proindeq; ex perceptione Eucharistiæ, non efficitur vnum cum corpore Ecclesiæ, neque cum capite Christo. Infidelis autem occultus, qui nec fidem internam, nec virtutem vllam Christianam habet, quanquam interna vnione ex perceptione sacramentorum, non efficitur vnitus corpori Christi id est Ecclesiæ: tamen cùm vel sola externa professione coniunctus sit ceteris fidelibus, est vera pars exterior, atque adeo membrum licet aridum & mortuum corporis Eccclesiæ: atque ita omnes baptizati, si per excommunicationem non sunt eiecti, etiam hæretici occulti, ad vnitatem externam pertinent Ecclesiæ. Et hunc modum loquendi tenent illi, quos citat Bellarm. lib. 3. de. Eccl. militante cap, 10,

39. August. D. Thom. Bellarm.

Dices. 3. Regimen Ecclesiæ ex Diuina institutione potiùs est Aristocraticum quàm Monarchicum, Ergo vnitas Ecclesiæ ex vnitate capitis externi mensurari non debet, Ant: quia primitùs Ecclesia à pluribus administrabatur, quod ostendit S. Hieron: qui in cap. 1. Tit. ita dicit. *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli,* 40.

Ego Apollo, Ego verò Cephæ, communi Consilio Presbyterorum Ecclesia gubernabantur, &c. ℞. Omnes antiqui Patres vt iam dictum est, vnitatem Ecclesiæ, vnitati capitis externi deferunt, etiam ipsemet S. Hieron: qui Petrum à Christo vnum caput inter duodecim constitutum asserit, vt schismatis tolleretur occasio. Cùm autem dicit Ecclesias primitùs communi Presbyterorum Concilio gubernatas, non de Vniuersali Ecclesia, cui vnum Petrum præpositum fatetur, sed de aliquibus particularibus Ecclesijs loquitur, quæ ita communi, consilio plurium Presbyterorum regebantur. Postquam verò vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus præponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Hoc autem viuentibus Apostolis constitutum est, sicut viuentibus Apostolis dici cœptum est Ego sum Pauli. Ego Cephæ. Deinde non de omnibus Ecclesijs particularibus illud Hieronymus dixerat, sed de aliquibus tantùm; nam ipsemet in Catalogo script. Eccles. Iacobum fratrem Domini, statim post passionem ipsius ab Apostolis Hierosolymorum Episcopum ordinatum fuisse testatur: & eidem Iacobo successisse Simonem Chanannæum, ex quo etiam patet, Iacobum dùm viueret, non habuisse consortem in Episcopatu. Et in epistola ad Euagrium, asserit S. Marcum Episcopum fuisse Alexandriæ. Itaq; cùm Ecclesia vniuersalis vnum semper caput externum habuerit, rectè vnitas eius, in eo etiam sita comprobatur.

MEMBRVM V.

An Sanctitas inter veras notas Ecclesiæ censeri debeat?

41. EST Ecclesia malignantium, id est hæreticorum, sed cùm plena sit malignitate, in ea nulla sanctitas: & ab illa Christi vera Ecclesia sua sanctitate discernitur: quam proinde non minùs atque vnitatem veris notis & tesseris annumerare ipsa res expostulat. PATET. id 1. ex scripturis Ps. 149. *Laus eius in Ecclesia Sanctorum.* Cant: 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* Cant: 6. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol:* ita enim sancta fides Ecclesiæ, fideique doctrina semper manet, vt nunquam errorem aliquem sanctitati suæ contrarium publicè professa fuerit, quem non potiùs detectum anathematizauerit, publico in Concilijs edicto, atque Summorum

Pontificum decretis, Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret* &c. 1. Petr. 2. *Gens sancta.* Apoc. 21. *Ciuitas sancta*; ex quibus alijsque plurimis locis scripturæ colligitur, veram Christi in terris Ecclesiam sanctitate insigniri, & ab alijs discerni.

DEINDE. Idipsum declarant Symbola, Concilia & Patres, Symbolum quidem Apostolorum, item Nicænum & Constantinopolitanum, dùm credendam proponunt Ecclesiam, tanquam signum certum eius cognoscendæ sanctitatem præfigunt, Iren: lib. 3. cap. 40. commeare ostendit sanctitatem cum Ecclesia. *Vbi* inquit *Ecclesia, ibi & Spiritus, & vbi Spiritus* DEI, *illic Ecclesia & omnis gratia, Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neq; à mammillis matris nutriuntur in vitam, neq; percipiunt de corpore Christi procedentem nitidißimum fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis. & de cæno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ ne traducantur, reijcientes verò Spiritum vt non erudiantur.* Vbi ostendit in sola Ecclesia sanctitatem doctrinæ esse à Spiritu sancto: Spiritus enim est qui sanctificat, ideo post fidem de Spiritu sancto, addiderunt Apostoli *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* ait D. Thom: in exposit. Symboli Sanctitas ergo ostendit domicilium Spiritus sancti, id est Ecclesiam. Hanc doctrinam passim tradunt omnes Patres tam antiqui, quàm recentiores, S. August: in Enchiridio cap. 56. Et in Ps. 18. ad illud. *Lex Domini immaculata.* &c. Gregor lib. 35. Moral. c. 6. Bernard. Serm: 3. Vigil. Natiuit.

42. Iren. D. Thom. August. Gregor. Bernard.

PRÆTEREA. Quod ita indicat Ecclesiam, vt quisq; agnoscat in ea glorificandum DEVM, illud ratione notæ illius obtinet. Atqui sanctitas ita declarat veram DEI Ecclesiam, vt infidelium etiam animos suadeat ad glorificandum in ea DEVM, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum,* 1. Petr. 2. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent* DEVM: quam sanctitatem Paulus. 2. cor. 2. vocat bonum odorem Christi in omni loco, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt. 43.

INSVPER. Quod discernit Ecclesiam à Synagogis satanæ, est vera ipsius nota: At sanctitas est talis: per hanc enim vera Ecclesia cognoscitur, & à sectis Paganorum, Iudæorum & hæreticorum secernitur: quia professio ipsius sancta, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam; nihil iniustum, quoad instructionem morum, vt meritò lex Domini immaculata, testimo- 44.

nium fidele, præceptum Domini lucidum à Sanctis intelligatur: iam verò extra Ecclesiam, in sectis Paganorum, Iudæorum & hæreticorum summa impietas, tot falsitates & explorati errores, rectæ etiam rationis manifestè contrarij, vt rectè notat Bellarm: in lib. de notis cap. 11. Porrò sanctitas nulla, nulla fidei veritas, nulla morum & vitæ iustitia, non peccatorum remissio, non solida spes hæreditatis æternæ.

Bellarm.

45. DICES. 1. Nota Ecclesiæ debet esse clara, palam & manifesta imò clarior ipsâ Ecclesiâ. Atqui sanctitas non est manifesta, quia inuisibilis est: quis sanctus sit vel iniquus ignotum est, iuxta illud Ecclesi. 9. *Sunt iusti & sapientes & opera eorum in manu DEI; & tamen nescit homo vtrum amore vel odio dignus sit, sed omnia seruantur in futurum incerta.* Ergo sanctitas non est propria & vera nota Ecclesiæ. ℞. quidquid de sanctitate singulorum membrorum Ecclesiæ, totius Ecclesiæ sanctitas est publica & manifesta, cuius omnia instituta, omnes ceremoniæ, Sacramenta & doctrina ad sanctitatem ordinantur & ordinant: & in qua semper aliqui iusti & sancti reperiuntur. Itaq; non tam hic agitur de sanctitate particulari alicuius personæ singularis, per quam iusta & sancta coram DEO constituitur, cùm hæc plerumque sit occulta, potissimum hic agitur de sanctitate generali totiùs cœtus fidelium, cuius sanctitas occulta esse non potest.

46. DICES. 2. Quod conuenit etiam sectis ab Ecclesia alienis, non potest esse propria nota Ecclesiæ. Sed sanctitas conuenit etiam sectis extra Ecclesiam, in quibus inueniuntur bona aliqua opera, orationes, ieiunia, eleemosynæ, imò & Sacramenta, nam & apud Lutheranos & Caluinistas est Baptismus, vera etiam aliqua de Christo sententia, vt quòd sit DEVS verus & homo, & alia his similia. ℞. neg: Assumptum, nam quamuis prædicta reperiantur, quandoque extra Ecclesiam, non tamen iustitia & sanctitas vitæ, vt S. August: dicit lib. 2. de Ciuit. cap. 21. non remissio peccatorum, vt idem Enchirid. cap. 65. non solida spes hæreditatis æternæ: sicut Abraham filijs concubinarum. Gen. 25. per quos hæreses & schismata designantur, largitus est quædam munuscula, tamen filio Saræ, quæ matrem nostram Ecclesiam sanctam præfigurabat, hæreditatem. At quamuis aliqua etiam sacramenta sint extra Ecclesiam, non tamen per illa consequuntur salutem, vt idem August: de fide ad Petrum dicit. Ecclesia est quædam forma iustitiæ, id est commune ius omnium, in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur, sine Ecclesiæ Catholicæ societate, nec alicui baptismus

August.

ſinus prodeſſe poteſt, nec opera miſericordiæ, niſi forte vt minùs torqueatur. *Sola eſt Eccleſia* inquit S. Gregor. *per quam ſacrificium libenter Dominus accipiat, ſola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat, ſola eſt in qua opus bonum fructuosè peragitur, ſolâ eſt quæ intra ſe poſitos validâ charitatis compage cuſtodit, ſola eſt in qua ſuperna veraciter contemplamur.* Itaq; extra Eccleſiam, non ſanctificant Sacramenta, magis autem in iudicium ſummuntur, ſicut ſanctum canibus non eſt dandum. lib 35. Moral. in Iob cap. 6.

MEMBRVM VI.

Cur Eccleſia dicitur ſancta?

MVltis nominibus Eccleſia Sancta dicitur. Et primò quidem à ſanctificatione ingredientium, quia nemo poteſt eam ingredi, niſi ſanctificetur per Baptiſmum & abluatur à ſordibus peccatorum; quod iam ingreſſis inculcat Apoſtolus. 1. cor. 6. d. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*, Et Epheſ: 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Hinc S. Thom: in expoſit: Symboli; *Sicut* inquit *Eccleſia cùm cōſecratur materialiter abluitur, ita & fideles loti ſunt ſanguine Chriſti*, de quo Apoc. 1. *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Et Hæbr. 13. *Vt ſanctificaret vel per proprium ſanguinem populum.* 2. Sancta Eccleſia dicitur: ob ſanctitatem Capitis: Chriſtus enim qui eſt caput Eccleſiæ eſt ſanctus ſanctorum, Daniel. 9. quia igitur caput ſanctum, impartitur ſanctitatem corpori, ita enim Catechiſmus Paroch. *Sancta dicenda eſt Eccleſia, quòd velut corpus cum ſancto capite Chriſto Domino totius ſanctitatis fonte coniungitur, à quo Spiritus Sancti chariſmata & Diuinæ bonitatis diuitiæ diffunduntur.* Et cùm Propheta Pſ: 85. precatur. *Cuſtodi animam meam quoniam Sanctus ſum*; id S. Auguſt: ita expendit. *Audeat* inquit *& corpus Chriſti, audeat & vnus homo ille, clamans à finibus terræ cum capite ſuo & ſub capite ſuo dicere. Sanctus ſum, accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam baptiſmi & remiſſionis peccatorum*, Et adhuc, *Si Chriſtiani omnes & fideles in Chriſto baptizati ipſum induerunt, ſicut Apoſtolus dicit. Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ſi membra ſunt facti corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, capiti ipſi faciunt iniuriam, cuius membra ſancta ſunt.* 3. Sancta, quia ſanctificatur à Spiritu ſancto viuificante; & in ea ſanctæ leges, ſancta Sacramenta, cere- 47. D. Thom. Catechiſm. Paroch. Auguſt:

moniæ, fides, & doctrina sancta, quam vult testatam esse Spiritus sanctus signorum operatione, vt Marci 16. d. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur.* Homines etiam sancti in Ecclesia nunquam deficient. De hoc S. Thomas loco supra dicto. *Sicut* inquit *Ecclesia inungitur, sic & fideles spirituali vnctione inunguntur, vt sanctificentur, aliàs non essent Christiani, vnguntur autem fideles per gratiam Spiritus sancti,* 2. cor. 1. *Vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris,* 1. Ioan. 2. *Vos vnctionem accepistis à sancto,*

D. Thom.

4. Sancta, quia quisquis ad sanctitatem aspirat, in Ecclesia vt sit est necesse, extra ipsam verò nulla sanctitas; tot enim iam sectas hæreticorum sator nequitiæ diabolus inuexerat, sed in nulla earum fuit vera sanctitas quamuis nonnihil præsetulerint pietatis, illud tamen falsum, in fraudem & deceptionem paratum. vt 2. Tim. 3. Apostolus ostendit. *Habentes* inquit *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes,* tales aliquando erant Euchitæ, Psalliani, multùm orationibus suis tribuētes, Flagellantes macerationi carnis deditì, Lutherani & Caluinistæ, qui vsque adeo specie pietatis & religionis gloriantur, vt videantur eius velle inducere reformationem, seq; vocent Reformatæ religionis, cùm sint & nequissimi opere & sensu peruersi, vt verbis vtar Ambrosij, quorum sanctitas simulata & diabolica; nam si ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis, non est magnum si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, vt 2. cor. 11. Apostolus dicit.

Euchitæ. Psalliani. Flagellan. Lutheran. Caluinistæ

Ambros.

48. DICES. 1. Ad veram sanctitatem requiritur omnimoda puritas à culpa, qualem requirit Apostolus Ephes: 5. in vera Ecclesia; vt non sit in ea ruga, vel macula, aut aliquid huiusmodi. Sed visibilis Ecclesia non habet omnimodam puritatem, habet enim maculas & rugas peccatorum, Ergo visibilis Ecclesia non est sancta, ℟. 1. disting: proposit: duplex enim est culpa, mortalis & venialis. Ad veram ergo sanctitatem requiritur omnimoda puritas à culpa mortali, non autem requiritur ab omni culpa veniali, sine qua in præsenti sæculo ne iusti quidem viuunt, iuxta illud Eccles: 7. *Non est homo iustus super terram, qui faciat bonum & non peccet.* Illa autem puritas ab omni macula & ruga etiam venialis peccati, futuro sæculo assignatur, Hinc D. Thom 3. p. q. 8. art. 3. 2m. d. esse Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neq; rugam, est vltimus finis ad quem perducimur per passionem Christi, vnde hoc erit in statu Patriæ, non in statu viæ, in quo *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus* 1. Ioan. 1. ℟. 2. ad assumptum, hæretici sicut supra dictum est, statuunt duas Ec-

D. Thom.

clesias, vt Brentius, Caluinus & alij, vnam quidem visibilem, in qua sint etiam peccatores, vt ideo minùs quoq; sancta dicatur: alteram verò inuisibilem & spiritualem, in qua soli sint iusti & prædestinati; & hanc dicunt veram Ecclesiam sanctam, non verò visibilem. Ast illi falluntur, vt enim præter visibilem Ecclesiam (quod etiam supra demonstratum est) illa inuisibilis nec est vera, nec admittenda, ita sanctitati huius visibilis secundùm præsentem statum viæ, non derogant rugæ & maculæ venialium peccatorum, imò nec mortalium, quæ reperiuntur in malis, permixtis inter bonos, sicut non derogat puritati grani, quamuis paleæ simul cum illo ex eadem radice excrescant, & in area simul ante ventilationem permaneant. Pars enim præcipua Ecclesiæ sunt Sancti & Iusti, quibus non consentientibus, non potest obesse impietas malorum; ad quam partem si attendimus, necesse est dicere Ecclesiam esse Sanctam sanctorum, adeò vt etiam per illam acquiratur omnis sanctitas. ℞. 3. Ecclesia nunquam habet rugam aut maculam, scilicet peruersæ & pestilentis doctrinæ, quia eius doctrina semper sancta & salutaris.

Dices. 2. Plures sunt in Ecclesia mali quàm boni, impij quàm sancti, reprobi quàm electi, Ergo Ecclesia sancta ex eo capite, quòd in ea semper sancti inueniantur, dici non debet. ℞. iam dictum est, non derogare sanctitati Ecclesiæ peccata malorum, inter bonos permixtorum, quamuis multò plures sint mali & reprobi: nam à principaliori parte & nobiliori sanctitatem sortitur Ecclesia. Quanquam & ipsi mali, adhærentes Ecclesiæ quâdam ratione sancti dici possunt, fide scilicet & professione sanctitatis ad quam tendere debet, quomodo Grammatici vocantur, non solùm qui artem bene norunt, sed etiam qui se artis Grammaticæ studio dederunt; atq; hac ratione etiam mali in Ecclesia cum Propheta dicere possunt. *Custodi animam meam quoniam sanctus sum.* Quòd si in Ecclesia conuincuntur multi esse mali, sed tamen non pauci etiam boni & sancti, iam verò apud hæreticos, tàm multi sunt mali, vt nullus inueniatur bonus, quod similitudine ostendit S. Chrysost: Homil. 19. in Matth. cap. 7. d. *Sicut in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes, in siluis autem non inuenitur bonum fructum faciens, si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum; sic in Ecclesia quæ hortus est Christi multi sunt boni, in Ecclesiis autem hæresum, quæ sunt siluæ desertæ nemo est bonus, quia & si aliquis est bonus, propter homines est bonus, non propter Deũ.* 46. Chrysost.

Dices. 3. Capite leproso, nec corpus reliquum mundum iudicari 50.

potest, Atqui Ecclesia tot capita habuit leprosa, immunda & putrida; tot scilicet Pontifices flagitiosos. Ergo illa non est sancta, cuius caput non est sanctum. ℞. probrum refero, quod mihi dùm hæc scribo, à quodam procacis linguæ Lutherano inter colloquendum fuit obiectum. Verùm friuola obiectio facilius refellitur quàm obijcitur, vt enim multitudo malorum & reproborum non minuit sanctitatem huius Sponsæ Christi, ita nec delictum Capitis visibilis & Vicarij, cuius defectus vitæ, non derogat sanctitati muneris, & Prælationis, adeoque nec sanctitati totius corporis Ecclesiæ, quod iunctum principali Capiti Christo, ab eo sanctitatem participat, tanquam à fonte totius sanctitatis. Sed enim hæretici cùm sint infames, quosuis diffamant, probris & conuitijs insectantur. *Sequentes omnia vestigia authoris sui Cham,*
Lyrinen: (vt adferam verba Vincentij Lyrinen: cap. 11.) *qui nuditatem venerandi Nóë non modo operire neglexit, verùm quoq; irridendam cæteris enuntiauit.* Vnde tantùm læsæ pietatis meruit offensam, vt etiam posteri ipsius peccati sui maledictionis obligarentur. Ita planè hæretici, alienos errores diffamant, cùm tamen nemo sit tàm impius quem hæreticus sua impietate non vincat, dicit
Hieron: S. Hieron: lib. 7. in Isai. sed ipsorum posteri maledictionem Patrum suorum portabunt.

MEMBRVM VII.

An Catholicum sit vera Ecclesiæ nota.

CATHOLICVM est proprietas quarti modi conueniens veræ Ecclesiæ, à Vin-
51. centio Lyrinensi cap. 3. ita definitum. *Quod semper, quod vbiq;, quod ab omnibus creditum est.* Seu, *quod habet vniuersitatem, antiquitatem & consensionem.* Vniuersitas loca respicit, antiquitas tempora, consensio personis seu populis assignatur. Itaq; Catholicum esse notam veræ Ecclesiæ dubitari non debet, vt ibi sit vera Ecclesia, vbi hæc tria simul in doctrina fidei deprehenduntur, scilicet antiquitas doctrinæ, consensio & vniuersitas, eamque Ecclesiam veram credamus, quæ per orbem terrarum longè latèque diffusa, omnes omnium temporum, locorum & nationum nobis cognitarum homines, qui modo in Christi doctrina ac fide conueniunt, vno quasi materno
Canisius. sinu excipiat, concludat ac saluet, ait Canisius, quæ à solis ortu vsque ad oc-
August. casum, vnius fidei splendore diffunditur, vt August: dicit, Et hoc esse ipsius

symbolum proprium & notam certissimam ostendit Thomas Bozius lib. 17. de Ecclesia cap. 74. PATET 1. ex scripturis quæ veram Ecclesiam manifestè Catholicam seu vniuersalem docent, tàm respectu locorum & populorum, quàm respectu temporum & saluandorum, quia omnes quicunque salutem inquirunt, in Ecclesia esse oportet, & extra illam nulla salus. Bozius.

DEINDE, id Symbola, Concilia & Patres antiqui semper docuerunt; nam Symbolum Apostolorum non aliam Ecclesiam sanctam quam Catholicam confitetur; idem Symbolum Nicænum atque Athanasij, Cyrillus Hierosol. Catech. 18. dùm dicit non simpliciter quærendum vbi sit Ecclesia, sed vbi Catholica, subijcit hoc nomen proprium esse sanctæ Ecclesiæ, quæ est mater nostrûm omnium, Iren: lib. 1. cap. 3. *Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem quemadmodum prædiximus Ecclesia, & quidem in vniuersum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit ijs, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet & tradit, quasi vnum possidens cor, nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna, & eadem est, & neq; hæ quæ in Germania sunt Ecclesiæ, aliter tradunt, neq; hæ quæ in Iberis sunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in Ægypto, neq; hæ quæ in Lybia neq; hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ.* Hieron: in epist. ad Euand. authoritatem vniuersalitati tribuit. d. *Non altera Romanæ Vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est, Gallia & Bithinia, & Persis & Oriens & India, & omnes barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis, si authoritas quæritur, orbis maior est Vrbe*, S. Augustinus contra epistolam Manichæi cap. 4. in ea Ecclesia sibi consistendum arbitratur, quæ Catholica est, *in qua non deficit successio Sacerdotum in sede Petri Apostoli*. Et in Carthaginensi Collatione ita actum scribit. *Prima contentio facta est de nomine Catholico, Orthodoxis probantibus se Catholicos meritò & esse & vocari, quia Ecclesiæ toto orbe diffusæ ipsi, non Donatistæ communicarent.* Lactant. lib. 4. cap. vlt. *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei.* Pacianus etiam de nomine Catholico ita prodidit, *Certè non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit, Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit authores*, Et vltra. *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit.* 52. Iren. Hieron. August. Lactan. Pacian.

PRÆTEREA. Quod soli Ecclesiæ veræ ita conuenit, vt eam faciat cognosci & discerni, ab illis Congregationibus quæ tales non sunt, vera est 53.

nota ipsius. Sed Catholicum ita conuenit soli Ecclesiæ veræ, vt eam faciat cognosci & discerni à falsis, Ergo vera est nota ipsius, Assvmpt. patet, nam Catholicum ita soli Ecclesiæ veræ conuenit, vt nullis hæreticorum aut Schi-
August. smaticorum conueniat cœtibus. quod ita S. August: prosequitur. d. *Nomen Catholicæ non sine causa inter tàm multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum aude-*
Cyrill. *at ostendere.* Eodem planè modo Cyrill. Catechis: 18. *Si iueris* inquit *in aliquam vrbem, non petas vbi sit Ecclesia vel domus* DEI, *nam etiam hæretici dicunt se habere domum* DEI *& Ecclesiam, sed petas vbi sit Catholica Ecclesia, id enim nomen proprium est, huius Sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrûm, nec aliquis hæreticus ostendet suam Ecclesiam, si Catholicam petas.* Itaque Catholicum, quia nulli sectæ conuenit, manifestè ostendit Ecclesiam veram, eamq; discernit à sectis. Non enim posset intelligi, nisi hoc nomine Ecclesiam discernat, quo ab
August. vniuerso orbe nuncupatur, vt cap. 7. de vera religione S. August: docet.
54. Dices. 1. Veræ notæ Ecclesiæ debent esse recurrentes & reciprocæ cum Ecclesia. Sed Catholicum non est tale, Ergo non est vera nota Ecclesiæ. Assvmpt: patet, quia aliquando vera Ecclesia non fuit Catholica: etenim die Pentecostes fuit vera Ecclesia, nec tamen Catholica, quia in vno duntaxat loco Ierosolymis continebatur. ℞. neg: Assvmpt: Ad prob. d. Catholica sit Ecclesia, non requiritur quod vno tempore omnia loca simul impleat, sufficit id fieri successiuè. Quòd verò certo loco, id est Ierosolymis hæc domus Dei cæpit ædificari in die Pentecostes, tamen in orbem terrarum amplianda, nullo loco concludenda, sed omnem gentem, omnemque locum occupatura. Vnde si nunc quoq; in angustum aliquem locum orbis coacta esse concederetur Ecclesia, non tamen esset alia ab illa, quondam per omnes gentes dilatata: pari ratione licet in illo vno loco in die Pentecostes euidentiùs cæpit apparere, non minùs tamen Catholica dici debet, ob hanc rationem, quia successiuè per orbem terrarum dilatanda: nam & Christus ipse mandauit Apostolis prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo in omnes gentes, Luc: 24. Quanquam & illud dici potest, quòd illo ipse die Pentecostes per omnes nationes diffusa fuit Ecclesia, tunc enim Apostoli perduxerunt ad cognitionem cultumq; Christi tria ferè millia hominum, vt habetur Act: 2. in quibus erant Parthi, Medi, Alamitæ, qui habitabant Mesopotamiam, Iudæam, Cappadociam, Pontum,

Asiam, Phrygiam, Pamphiliam, Ægyptum, Lybiam, Cirenen: aderant etiam è Romanis, Cretensibus, Arabibus. Quocirca iam tùm primùm edita in lucem Ecclesia, cæpit esse Catholica seu vniuersalis, neque constituta priùs, quàm sibi conciliauerit ex omnibus populis quasi primitias quasdam, eodemque temporis momento in lucem se dederit, & filios Deo ex omnibus gentibus procreârit.

Dices. 2. Catholicum esse conuenit sectis hæreticorum & infidelium: Ergo non potest esse nota vera & propria Ecclesiæ: nam de ratione notæ veræ & propriæ est, ne sit communis multis, Ant: patet nam ita se passim vocitant Lutherani & Caluinistæ, ita aliquando Ariani, Donatistæ, Nouatiani & alij de quibus Lactantius lib. 4. cap. 30. *Singuli quiq; cœtus hæreticorum se potissimùm Christianos esse, & suam Catholicam Ecclesiam putent.* ℞. perperam hæretici impudenter ac ridiculè nomine Catholico sibi blandiuntur, cùm ne nomine quidem ipso, vt conuenit vti id sibi polliceri possint. 1. quia non in vniuerso mundo, sed in angulo tantùm aliquo sua dogmata propagare possunt. *Quæ enim vnquam hæresis*, inquit Vincent: Lyrin: cap. 34. *nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit?* proinde Ecclesiæ Catholicæ nomine gaudere non potest, Et S. August: lib. 4. de Symbolo ad Catechum: cap. 10. *Quæcunq; congregatio, cuiuscunq; hæresis in angulis sedet*; Catholicum autem ad vniuersitatem locorum sese extendit, 2. quia nulla hæresis est, quæ concordia & vnitate sententiæ ita diffundatur, sed variè & mirum in modum inter se discordes sunt hæreticorum sectæ. Nam & Arianos in tres sectas aliquando adhuc dissectos, & Donatistas in plures, ex Epiphanio de hæresibus, commemorat Sanderus lib. 8. de visibili Monarchia cap. 51. Lutheranos discordi sententia in doctrina fidei statim in principio, in tres sectas diuulsos, testatur Cardin: Hosius lib. 1. contra Brent: progressu temporis ad centenarium numerum diuersas sectas à Luthero propagatas,. deprehendit Bellar. in lib. de notis Eccl. cap. 10. Caluinistæ rursus ob varios errores à varijs sectis mutuatos, varijs censentur denominationibus, vt refert Becanus de eorum controuersijs. lib. 3. nam in Anglia vocantur Puritani, in Gallia Hugonoitæ, & alijs ob authores, quorum erroribus subscribunt, appellationibus notantur: vt hoc modo etiam hæresum sectæ seipsas consumant. Nam vt de ipsis Orichouius contra Stancarum scribit, *Sectarum* inquit *ac viperarum eadem natura, vt enim vipera viperam pereundo gignit, sic hæresis aliam hæresim occasu parturit suo, & vt vipera nascendo viperam*

[Margin: 55. — Lactant. — Lyrinen. — August. — Epiphan. — Sander. — Hosius. — Bellarm. — Becanus. — Orichou.]

ram extinguit, antequam ex ea nascatur, ita hæresis eam ex qua nascitur hæresim diu-dum circumrodit priùs, quam postea ligurit, totamq; deuoret: ita vsu venit in sectis.
Iam verò in Ecclesia Catholica summus consensus, in qua omnes idem dicunt, schismata detestantes; quo se consensu teneri in Ecclesia Catholica Augustinus profitetur. 3. etiamsi aliqua secta per vniuersum orbem diffunderetur, adhuc tamen ad Ecclesiam in Ierusalem in die Pentecostes clariùs ostēsam, totoq; orbe dilatatam, originem suam referre non posset: dum nolint velint fateri cogantur, non semper à die Pentecostes doctrinam suam, tanquam Christianam traditam & receptam, sed multis etiam sæculis, post illam diem exortam, & cùm primùm deprehensa est, reprobatam. Ita enim vt deprehensa fuit secta Ebionis & Cerinthi, ab ipso Apostolo & Euangelista S. Ioanne reprobata, Marcionis quoq; secta, à Discipulo eiusdem Apostoli Policarpo. Valentini ab Irenæo sufficienter refutata, secta Arij in Concilio Nicæno generali damnata. Secta Lutheri in Concilio Trident: anathematizata. Nulli ergo sectæ conuenit Catholicum, quòd inter tam multas hæreses, non sine causa, vt S. August: dicit, sola Ecclesia obtinuit.

(Margin: August. — Ebion. Carinth. Marcion. Valentin: Arius. Luther. August.)

56. QVÆSIERIS. Cur hæretici laborant presuasum haberi apud se Ecclesiam Catholicam esse? ℞. iuxta S. Augst: ser: 50. de verbis Domini, *vt hoc pallio dealbati faciliùs furentur, quia lupi sunt*; Satanas enim dùm conatur decipere, transfigurat se in Angelum lucis, ita quoque ministri eius hæretici, vt ad se incautos protrahant, & seductos detineant, simulant Ecclesiam Catholicam. Et sicut ad impugnandam legem, verba legis obtendere conantur ait S. Ambros: in cap: 3. Tit. ita ad euertendam Ecclesiam nomen Ecclesiæ præseferunt. Et vt præclarè Hosius de hoc negotio lib. 5. Sciunt inquit eam esse corpus & plenitudinem Christi, columnam & firmamentum veritatis, perpetuum habitaculum DEI viui, sciunt ab illa se scripturas habere, sciunt illi peculiariter sanæ intelligentiæ lumen esse promissum, sciunt qui in sinu eius continentur, eis non posse non constare veritatem, deniq; sciunt quod extra illam haud aliter atque olim extra Arcam Nòè, salus non est.

(Margin: August. — Ambros. Hosius.)

57. INSTABIS. Vbi est doctrina vera, & legitimus vsus Sacramentorum, est Ecclesia Catholica. Apud Lutheranos & Caluinistas est, vera doctrina & legitimus vsus Sacramentorum, Ergo Ecclesia Catholica. ℞. cùm Assumptum nullius sit ponderis. Ad Proposit: d. dùm hæretici Catholicam Ecclesiam, ex veritate soliùs doctrinæ & legitimo vsu sacramentorum metiuntur tanquam ex signis & tesseris proprijs, hoc ipso suam insipientiam

palam produnt, dùm ex ignotioribus aliquid concludere moliuntur: nec mirum, quia cæci sunt, ita cæcos ducunt per præceps petitionis principij in foueam. *Satis scientes.* (ait S. August: epist: 48. & in breui collat. 3.) *si etiam ideo dicatur Catholica, quia per omnia loca & tempora se extendat, statim deprehendendum se non esse Catholicos,* idcirco ipsi ad veritatem doctrinæ, & legitimum sacramentorum vsum refugiunt, inde tamen suffragium nullum referunt, cùm potiùs integritas doctrinæ, & sacramentorum legitimus vsus, Ecclesiæ adesse intelligatur ex eo, quòd in Symbolo dicatur Sancta. Quomodo enim Sancta esset, si in cultu DEI atque doctrina, & Sacramentorum vsu erraret? August.

MEMBRVM VIII.

Vndenam Catholica Ecclesia dicatur?

CYrillus Hierosolymitanus Episcopus Catech: 18. & Sanderus lib. 1. de visibili Monarch: cap. 5. post medium; ex quo dicatur Ecclesia Catholica, adferunt rationes, quæ continentur ferè in illis tribus, à Vincentio Lyrinensi cap. illo. 3. positis, scilicet vniuersitate quoad loca: antiquitate quoad tempora: consensione quoad nationes populorum. Dicitur itaque Ecclesia Catholica, 1. ratione vniuersitatis locorum, quia videlicet per totum mundum diffusa: Gen: 9. ℣. 27. Gen: 28. ℣. 14. Ps. 2. ℣. 8. Ps. 21. ℣. 28. Ps. 79. ℣. 12. Ps. 112. ℣. 3. Malach. 1. ℣. 11. Marci. 14. ℣. 9. Et cap. 16. ℣. 15. Matth. 8. ℣. 11. Act: 1. ℣. 8. Rom: 1. ℣. 8. Non ergo angustata & adstricta est Ecclesia vni loco, quod contendebant Donatistæ, in Affrica sola illam construentes, quos redarguit S. August: in lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 16. d. *Donatistis velut aperta est Ecclesia, qui audiunt tàm lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant.* Et vltra ipsos alloquitur. *Eruite aliquid manifestum ex scripturis, quo demonstretis in sola Affrica Ecclesiam remansisse.* Hinc Isaias cap. 54. prædixit in nouo testamento vocandum Deum vniuersæ terræ, scilicet quia DEVS est Catholicæ Ecclesiæ per vniuersam terram dilatatæ. Ex quo defectu hæreticorum Ecclesiæ, Catholicæ non dicuntur, vt docet S. August: Serm: 131. & 181. quia per loca atque per suas quæque prouincias continentur, hæc verò à solis ortu vsque ad occasum fidei splendore diffunditur. 58. Donat: August.

59. Dices. 1. Si ad rationem Catholici facit vniuersitas locorum, Ergo aliquando Ecclesia defecit & adhuc deficiet. Conseq: patet, quia passim plures Prouinciæ & Regna discedunt à fide Catholica, vt iam discessit Græcia, Anglia, Suecia, Dania, & aliæ prouinciæ maritimæ. Rz. neg: Conseq. Ad prob. d. dùm quidam deficiunt per apostasiam à fide & Ecclesia, alij tamen conuersi supplent illorum defectionem, ita enim D. Thom: 1. p. q. 23. art: 6. 1m. *Non permittit* inquit *Deus aliquos cadere, quin alios erigat*, iuxta illud Iob. 34. *Conteret multos & innumerabiles, & faciet stare alios pro eis*. Deinde licet aliquæ Prouinciæ desciuerint ab Ecclesia, perstitit tamen semper in ijs Catholicæ doctrinæ robur aliqua ex parte inuictum. Vnde licet Anglia & aliæ prouinciæ à fide apostatauerint, plurimi tamen in ijs sunt à nobis. Sic in ipsa Græcia, in media Constantinopoli Ecclesiæ nostræ cultus, doctrinaque & templa vigent. Neq; etiam hoc requiritur quo Ecclesia sit Catholica, vt sit in omnibus locis totius mundi, sed tantùm vt innotescat omnibus Prouincijs, & in omnibus fructificet, vt S. August. docet epist. 80. ad Esychium, ita vt in omnibus Prouincijs sint aliqui de Ecclesia: sed neq; requiritur vt hoc fiat simul, satis enim est, si fiat successiuè, vt notat Driedo lib. 4. proinde si vna sola Prouincia retineret veram fidem, adhuc verè & propriè diceretur Ecclesia Catholica, modò euidenter pateat eam esse vnam & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore vel diuersis in toto mundo.

D. Thom. August. Driedo.

60. 2. Ecclesia Catholica dicitur, ratione vniuersitatis gentium & consensionis in doctrina vnius fidei: omnes enim Catholici Doctores, licet diuersarum sint gentium & linguarum, consentiunt in vnitate doctrinæ fidei. Nulla etiam gens est aut natio sub cœlo, quæ non agnouerit Ecclesiam Catholicam, cuius exordium Act. 2. venerati & amplexi sunt in die Pentecostes, Parthi, Medi, Ælamitæ, &c. Apoc. 5. *Ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*. Atq; ab hac consensione Vniuersitatis & antiquitatis Ecclesiæ Catholicæ se segregare semper hæreticorum esse, docet Vincent: Lyrin. in suo commonitorio cap. 34.

Lyrinen.

61. Dices. 2. Etiam sectæ hæreticorum peruaserunt omnes gentes, vt Ariana Affricam, Ægyptum, Hispaniam & alias nationes: nunc Lutherana Germanos, Suecos, Danos &c. quod & de Caluiniana non obscurum est. Ergo ex hac vniuersitate rationem Catholici obtinent. Rz. neg: ipsum Ant: nulla enim secta hæreticorum fuit, quæ agnita fuerit omnibus gentibus, quamuis aliquæ pluribus, nam Wickleffi, Hus, Lutheri, Caluini, & alia hære-

sicorum nomina nec Græcis, nec Æthiopibus, nec Indis aut alijs nationibus nota sunt. Ecclesia autem Catholica, non est gens aut natio, cui non sit cognita. Et quamuis Ariana hæresis infecerit plures prouincias, non tamen vniuersum orbem, nec vbiq; fructificauit. Deinde quantò plures nationes ingreditur secta aliqua, tantò in plures diuiditur, diuersas sibiq; contrarias: nulla proinde secta semper vna & eadem. Et sicut Arianismum condemnauit vniuersus orbis per illos trecentos decem & octo Patres in Concilio Nicæno, ita Lutheranismum per ducentos quinquaginta quinque in Tridentino. Atq; ita Consilium quod ex hominibus est, non ex DEO, dissoluitur. Act: 5.

3. Ecclesia Catholica dicitur, ratione vniuersitatis temporum, vt enim lib. 15. de Ciuit: S. August: dicit, nunquam defuerunt ab initio mundi, qui Saluatorem expectarent, ab eo habentes eundem Spiritum fidei & charitatis nobiscum, ita vt meritò nos imitatione eorum filij, vnum cum eis constituamus populum, Ecclesia enim Catholica omnibus diebus permansura est, vsque ad consummationem sæculi, nec vnquam casura aut defectura. D. Thom: in exposit: symboli ait. *Aliqui dixerunt, quòd Ecclesia debeat durare vsq; ad certum tempus, sed hoc est falsum, quia hæc Ecclesia incæpit à tempore Abel, & durabit vsq; ad finem sæculi.* Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* Nec mirum cùm etiam supra firmum fundamentum sit ædificata scilicet super Petrum. Matth: 16. Isai. 54. promissionem accepit stabilitatis. *Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Daniel. 2. *Suscitabit DEVS cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* De hoc Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et cùm promittit Christus se cum Ecclesia sua futurum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi. S. Hieron: lib. 4. in Matth. id ita exponit. d. *Ostendit discipulos suos semper victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.* Ergo Ecclesia nunquam interibit aut deficiet, (vt olim Donatistæ, & nunc Lutherani cum Caluinistis criminantur) verùm in omnia tempora se extendit ab initio mundi vsq; ad finem.

62. August. D. Thom.

DICES. 3. Quamdiu manet fides vera, tamdiu & Ecclesia, Ergo deficiente fide, perit & deficit Ecclesia. Atqui ante aduentum Christi ad iudicium, deficiet fides vera. Luc: 18. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* imò tempore ipso Antichristi omnia regna deficient à Romana Eccle- 63.

sia. Ergo tunc deficiet Ecclesia, nec erit Catholica ex vniuersitate temporũ. ℞ deficient plurimi à fide temporibus illis, qui ab Ecclesia apostatabunt, sicut & nunc hæretici & schismatici, non tamen omnes deficient, plurimi perseuerabunt in fide Ecclesiæ & ita salui fient, non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia. Nec etiam Ecclesia inferioris est conditionis à Synagoga, in qua relicta erant septem millia virorum 3. Reg: 19. cùm Elias quereretur se solum in ea remansisse; nec igitur Ecclesia tàm deserta aliquando remanebit.

MEMBRVM IX.

An ex eo cognoscatur Ecclesia vera, quòd sit Apostolica?

64. TEsseram infallibiliter demonstrantem veram Ecclesiam, ex eo colligi quòd sit Apostolica, luce ipsâ meridianâ clarius est, id siquidem Concilia supra dicta asserunt, quæ inter symbola veram Ecclesiam ostendentia, recensére quòd sit Apostolica: id etiam PATET. 1. ex scripturis, quæ Ecclesiam veram ostendunt in Apostolis fundatam Ephes. 2. *Superædificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ex qua ratione fundamenta Ecclesiæ Ps. 86. ostẽdit Propheta in montib⁹ sanctis, id est in Apostolis cur sic dicantur, adfert rationem S. August: in eundem locum d. *Quia eorum authoritas, portat infirmitatem nostram,* Apoc: 21. *Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni.* Speciali tamen ratione in Principe Apostolorũ Petro fundata ostenditur Ecclesia, cui ante omnes dictũ est, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Speciali inquam modo, quia hoc fundamentum nunquam labefactatum fuit, cui Luc: 22. d. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Hinc D. Thom: in exposit: Symb: *Sola inquit Ecclesia Petri, in cuius partes venit tota Italia, dùm discipuli mitterentur ad prædicandum, semper fuit firma in fide, Et cùm in alijs partibus, vel nulla sit fides, vel sit commixta multis erroribus, Ecclesia tamen Petri & fide viget, & ab erroribus mundata est.*

August.

D. Thom.

65. DEINDE. ex doctrina antiquorum Patrum id ipsum colligitur, qui successionem ab Apostolis cæptam, pro vera Ecclesiæ nota semper tenuerunt. & absq; tali successione non esse veram Ecclesiam. Iren: lib. 4. cap. 43. *Eis* inquit *qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab*

Irenæus.

Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt, reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes omnes autem hi decidunt à veritate. Et cap. 44. *Oportet* inquit *his adhærere Presbyteris, qui & Apostolorum sicut prædiximus doctrinam custodiunt, & cum Presbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant.* Idem S. Hieron: contra Luciferian: *Breuem* inquit *apertamq; animi* Hieron. *mei tibi sententiam proferam, in illa esse permanendum Ecclesia, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad diem hanc durat, sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quodam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, &c. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi Synagogam esse.* S. Augustinus August. quoq; teneri se in Ecclesia illa dicit, tanquam vera; in qua sedes Petri Apostoli, & successio Sacerdotum, ab Apostolis cæpta.

66. PRÆTEREA. Conuenticula hæreticorum esse conuincuntur, quæ ab Apostolis, non possunt suam deducere successionem, & maximè quæ à principali successione absissunt vt ait Iren: id est à sede Petri, de qua S. Cypr. Iren: *Qui* inquit *Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse* Cypr. *non confidat.* Ergo per oppositum certum signum Ecclesiæ veræ, quòd ab ipsis deriuatur Apostolis, & maximè à Sede Petri: cui attestatur S. Hieron. Hieron. ad Damas. *Ego* inquit *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri consocior, super illam Petram, Ecclesiam fundatam scio.* Optatus quoq; Mileuit: Cathedram Petri Optatus. Apostoli pro nota Ecclesiæ habuit. lib. 3. contra Donatistas. Similiter lib. 2. contra Parmen: schismaticum vocat, qui contra singularem Cathedram Petri, collocat alteram. Concil. Constantinop. 1. declarat, cùm in Symbolo Constantinopol. profiteamur nos credere vnam, sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, certè vbi huius Apostolicæ Ecclesiæ principatus non modò semel constitutus est, verùm etiam semper viguit, ibi necesse est principium & radicalem vitam totius Ecclesiasticæ vnitatis contineri.

67. DICES. Apostolicum, quod in retinenda doctrina Apostolica explicatur, omnes sectæ hæreticorum & schismaticorum sibi vendicant. Ergo non est infallibilis tessera veræ Ecclesiæ. ℞. Martinus Peresius Peresius. Assert: 5. dicens Apostolicam Ecclesiam dici, non solùm quòd Apostolicam doctrinam tenet, de qua re quælibet schismatica congregatio (quantumuis falsò) gloriatur & gloriata est, sed quia omnem Apostolicam

doctrinam, tàm scripturis contentam, quàm traditionibus sanctis commendatam ab Apostolis tenet, prout Paulus iubet 2. Thess. 2. & quia succedit ijsdem dogmatibus, ijsdem sacramentis, eadem Episcoporum & Ecclesiarum serie, Ecclesiæ illo quæ sub Apostolis & eorum discipulis, alijsq; Apostolicis Patribus à DEO plantata est: in qua inquit floruêre Martyres, vixerunt sanctissimi Confessores, triumphârunt Sacræ Virgines, in qua gloriabantur se esse sanctissimi Doctores, & sunt & fuerunt omnia munera gratiarum, graduum, officiorum, atque donorum, quæ Spiritus sanctus impartitur, prout vult, &c. Vno verbo, non illa est Apostolica Ecclesia, quam sibi præsumptuosè hæretici vendicant, sed quæ non discrepat ab ea, quæ super Petrum Apostolum ædificata est, & si cuius fundamenta non sunt in ista Petra, Ecclesia Apostolica dici non potest. Hanc Petram appellabat Hieron: ad Damas. vt in argumento dictum est, August: in Ps. contra partem Donati, de Apostolica Romana Ecclesia. Ipsa est inquit Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Et epist. 162. *In Ecclesia Romana semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*, Apostolica perinde Ecclesia, quanquam in omnibus Apostolis incæpit, in vnione tamen Petri Cathedræ oportet perseuerare veram Ecclesiam, vt Apostolicæ ad ipsam deriuetur dignitas.

Apostolica Ecclesia quæ? Hieron. August.

MEMBRVM X.

Cur Apostolica dicitur Ecclesia?

68. COnstat veram Ecclesiam cognosci ex eo, quòd sit Apostolica. Porrò ex quibus rationibus dicatur Apostolica, nunc explicandum. Primò igitur Apostolica dicitur ex eo, quòd in ipsis Apostolis sit fundata, vt iam dictum est, 2. quia per Apostolos in vniuerso mundo propagata quibus id præceptú erat, Marci 16. ℣. 15. Et Matth. 28. ℣. 19. & impleuerunt: Rom: 10. ℣. 18. 3. quia retinet doctrinam Apostolorum, tàm scripturis contentam, quàm traditionibus commendatam, de qua Catechismus Paroch. Ecclesiæ veritatem agnoscimus, siquidem eius doctrina veritas est, non recens, neq; nunc primùm orta, sed ab Apostolis iam olim tradita, & in omnem orbem terrarum disseminata; à qua quidem doctrina Apostolorum, ne latum quidem vnguem recedit Ecclesia, eaq; firmitate ipsi assentitur, vt nullo suadente ab ea recedendum existimet, non Ario, non adhuc Ebione aut Cerintho, non

Catechis. Paroch.

Zwinglio, non Luthero, non Caluino, iuxta illud. Galat. 1. *Licet nos, aut An-*
gelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit,
Doctrinam Apostolorum semper in Ecclesia perseuerare, vir ille Apostolicus
Irenæus lib. 4. cap. 63. ostendit. d. *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, &* Iren:
antiquus Ecclesiæ status, in vniuerso mundo, & charactere corporis Christi, secundùm
successiones Episcoporum, qui illi eam quæ in vnoquoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt,
quæ peruenit vsq; ad nos, custodita sine fictione, scripturarum tractatione plenißimâ,
&c. S. Ambros. lib. 6. in cap. Luc. 9. *Si quæ est* inquit *Ecclesia, quæ fidem re-* Ambros:
spuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta poßideat, deserenda est. 4. quia re-
tinet successionem Episcoporum ab Apostolis vsq; ad nostra tempora, quod
maximè perspicuum est in Romana Ecclesia, vbi inuiolabiliter Cathedra Pe-
tri Principis Apostolorum conseruatur. Ad hanc enim Ecclesiam, inquit
Iren: lib. 3. cap. 3. propter potentiorem principalitatem, necesse est omnē Iren.
conuenire Ecclesiam. In qua quidem Romana Ecclesia eodem loco recen- Et lib. 4. c. 45. in princip.
set succedentes Episcopos ab Apostolis vsq; ad Eleutherium, qui tunc in Ca-
thedra Petri Romæ sedebat. Cyprianus quoq; lib. 3. eiusdem Cathedræ Cyprian:
Apostolicæ in Romana Ecclesia firmam stabilitatem prófert, d. Copiósum
est corpus Sacerdotum & Episcoporum, concordiæ mutuæ glutino, atque
vnitatis vinculo copulatum, sed quodnam est hoc Sacerdotalis vnitatis vin- Prosper.
culum! vtiq; vna Petri Cathedra, quæ in Ecclesia Romana floret. Et Pro-
sper. *Romæ* inquit *Petri sedes facta mundo est caput Pastoralis honoris.* Ecclesia
itaq; Apostolica illa est, in qua Cathedræ Apostolicæ non interruptâ succes-
sione Episcoporum, semper viget authoritas, quæ verò huius defectum su-
stinet, minimè Apostolica dici potest.

Dicvnt hæretici. Successio Pontificum à Petro in Ecclesia Romana 69.
perplexa & incerta. Ergo illa ex hoc titulo non potest dici Apostolica. Ant:
Successio Pontificū in Romana Ecclesia interrupta magna & intolerabili cō-
fusione. Ergo incerta, Ant: ostenditur, nam circa annum Dñi 855. post
Leonem quartum, qui fuit in serie Pontificum 106. sedit Ioannes octauus,
non vir, sed fæmina: nimis ergo tunc deformi cōfusione interrupta fuit suc-
cessio Pontificum Romanæ Ecclesiæ. Simili modo, quando duo vel plures
Papæ simul fuerunt, quod contigisse circa annum 1378. refert Sanderus Sander.
lib: 7. Monarch. quo tempore, alij Vrbanum sextum, alij Clementem se-
ptimum sequebantur. Et Alfonsus à Castro. lib. 1. cap. 9. tres simul se Castro.
pro Pontificibus gesisse, illudq; schisma per quadraginta annos permansisse Thomas Bozius.

lib. 19. cap. 4. Sander. Bellarm. narrat. Ergo desijt successio ab Apostolis cæpta, simulq; Ecclesia Apostolica. R. Optimè ponderat Sanderus loco prædicto. Et Bellarm: lib. 3. de Romano Pontifice cap. 24. fabulosum esse & falsum quod à Platina narratur, ostendendo post Leonem quartum, non Ioannem octauum, sed Benedictum tertium immediatè sedisse, Ioannes autem octauus, qui fuit in serie Pontificum 110. sedit anno 872. post Adrianum Secundum immediatè. Sed esto concederetur quod fabulatur Platina, nihil præiudicij ea res Sedi Apostolicæ ac successioni in eadem adferret, sed omnia perinde habenda essent, ac si toto illo tempore sedes vacaret, errorq; iste non iuris, sed facti esset, qui etiam in prudentissimos cadere potest. Ad illud verò quod de schismate inter Pontifices adfertur. d. quamuis aliqui Antipapæ fuerint, qui successionem in sede Apostolica sicut non continuabant, ita etiam nec interrumpebant: semper tamen vnus, qui legitimè & canonicè electus fuit, successionem in sede Apostolica continuebat.

COROLLARIVM 4.

Numerus notarum Ecclesiæ, arbitrio proprio non est immutandus, ideo doctrinaliter faciunt, qui reliquas omnes à quibusuis authoribus Catholicis numeratas, ad quatuor à Concilijs nominatas reducunt.

I. 1. EST familiare hæreticis, repudiatâ certâ fidei normâ, & longo vsu confirmatâ docendi ratione, pro libito suo dogmatizare, nihil certum & constans habere, sed de errore in errorem mittere. Ita quoq; in assignandis Ecclesiæ notis, quod placet statuunt; nam alias Anabaptistæ, alias Lutherani, alias Caluinistæ commentiuntur: contra quorum vsitatam peruersitatem præsens Corollarium, nihil in hoc negotio ex proprio arbitrio statuendum, sed doctrinæ Patrum antiquorum, & Conciliorum decretis insistendum ostendit. Sit ergo

MEMBRVM I.

An numerum notarum Ecclesiæ, proprio arbitrio immutare liceat?

PRo parte negatiua COLLIGITVR. Patet 1. Quia nihil est nouandum, nisi quod traditum est: quæ verba Stephani Papæ, refert Vincentius Lyrinen: cap: 9. Ergo illis notis Ecclesiæ insistendum est, quæ antiquitùs à Patribus & Concilijs traditæ sunt; ex hoc enim germanum Catholicum idem Vincentius definit cap. 25. *Qui stabilis permanens quidquid vniuersaliter antiquitùs Ecclesiam Catholicam tenuiße cognouerit, id solùm sibi tenendum credendumq; decernit.* Ergo notæ Ecclesiæ pro arbitrio cuiusq; non sunt immutandæ; ne consuetudinem cum hæreticis ineamus, qui semper noua, eaque inusitata dogmatum portenta cudentes, in assignandis Ecclesiæ notis nunquam conueniunt, verùm alias atq; alias effingunt, dùm aliud Ariani, aliud Lutherani, aliud Caluinistæ in negotio isto approbant, & singuli nouum aliquid, prout placuerit afferunt. Steph. Papæ Vincét.

DEINDE. Sicut vna est, sancta semper immutabilis Ecclesia, ita ijsdem certis determinatisq; inuenitur, cognoscitur, & discernitur tesseris seu notis: idem enim manens idem, semper natum est inueniri, cognosci & iudicari idem. Ergo ijsdem signis & notis, Ergo pro inuenienda eadem, eodemq; modo semper se habente Ecclesia, non sunt aliæ atq; aliæ prout libuerit excogitandæ notæ. 2.

INSVPER. Citra confusionem non esset alia vtilitas illius mutationis: citra inquam confusionem, quæ inde scaturiret, si vnicuiq; permissum esset pro arbitrio suo notas Ecclesiæ statuere, quam confusionem in hæreticorum tabernis videre licet. 3.

DICES. 1. Diuersi sunt modi cognoscendæ veritatis: non enim omnes per eundem modum accipiunt veritatem, vt docet Arist: lib. 2. Metaph. cap. 3. Et comment: 3. Cœli & mundi. Etenim ad cognitionem veritatis, alij volunt duci accuratâ docendi ratione, alij Mathematicis demonstrationibus, alij exemplis &c. vt Arist: ostendit. Ergo pari ratione ad inueniendam, cognoscendam, & iudicandam veram Ecclesiam, non omnes ijsdem notis perueniunt, sed pro consuetudine cognoscendi quisq; ad libitum notas 4. Aristot.

Ecclesiæ immutare potest. ℞. Quidquid sit de Anteced. siue omnibus illis & diuersis modis cognitio eiusdem veritatis contingat, siue non: quam difficilem supponit cap. 1. libri 3. Metaph. Aristoteles. Conseq. tamen negatur, siquidem nulla paritate cum Anteced. consistit: quòd enim diuersi ad cognitionem veritatis, diuersis rationibus perueniunt, nullum est inconueniens, quod pro varia dispositione singulorum euenit. Porrò immutatæ pro arbitrio cuiusque notæ, non possunt ad eandem Ecclesiam perducere, quia diuersæ pro cuiusque phantasia notæ, sub diuersis Ecclesiam imaginibus exhibent.

5. DICES. 2. Notæ Ecclesiæ variæ à varijs nominantur & numerantur, vt est apud Bellarm. cap. 3. de notis. Ergo ad libitum quisq; notas Ecclesiæ mutare potest. ℞. quamuis variæ à varijs notæ Ecclesiæ ponuntur, illæ tamen omnes ad quatuor a Concilijs positas, facilè reduci possint. Quod vt manifestius fiat. Sit.

MEMBRVM. II.

An ad quatuor prædictas, reliquæ omnes reduci possint?

6. MVltis notis antiqui Patres, cæteriq; Ecclesiæ Doctores, veram Christi in terris Ecclesiam demonstrabant. Et Irenæus quidem lib. 4. cap. 42. & 63. Tertullianus contra Marcionem, Cyprianus contra Nouat. per continuam successionem ostendunt veram Ecclesiam, Augustinus in lib. contra epist. Manich. cap. 4. per consensionem populorum atq; gentium. Optatus Mileuit: lib. 3. contra Donatistas, per Cathedram Petri, & ante ipsum Cyprian: lib. 3. epist. 13. D. Thomas in exposit. Symboli, ex eo colligit veram Ecclesiam, quòd à temporibus Abel, vsq; ad finem sæculi duret. Sanderus de visibili Monarch. per vnitatem externi regiminis veram deducit Ecclesiam. Sunt alia plura, quæ ad ostendendam veram Ecclesiam, Catholici quiq; authores adferunt: qualia sunt, præsentia Spiritus sancti, conuenientia cum imaginibus suis in scriptura expressis, conuenientia cum lege naturæ, &c. sed omnia ista symbola & signa Ecclesiæ, rectè ad illa quatuor à Concilijs consignata reducuntur. Nam continua successio Episcoporum reducitur tùm ad Vnitatem, siquidem ad Vnitatem Ecclesiæ facit continuatio non interrupta: tùm ad Catholicum, vbi antiquitas in continua successione

(Margin: Iren. Tertull. Cyprian. August. Optatus. D. Thom. Sanderus.)

sione conseruatur; tùm deniq; ad Apostolicum, siquidem successio ista ab ipsius Apostolis ducit originem. Quantùm ad consensionem populorum & gentium, hæc Catholicam constituit dùm vniuersi populi & nationes, in vnitate fidei & doctrinæ consentiunt, atq; concordant. Deinde Cathedra Petri, tùm ad vnitatem spectat, nam vnitas Ecclesiastica incipit ab vno Petro, secundùm Domini dispositionem ait S. Cyprianus, vsq; adeo, vt sine Cathedra Petri, non possit vnitas Ecclesiastica conseruari, sed quisquis alibi collegerit, spargit: tùm ad Apostolicum, vt res ipsa clara est & euidens. Vniformitas quoq; externi regiminis, tùm ad vnitatem reducitur, tùm ad Catholicum, in quo antiquitas continetur. Tandem præsentia sancti Spiritus attestatur sanctitati Ecclesiæ, à quo omnis sanctitas diffunditur. Conformitas ipsa cum imaginibus in scriptura, & conuenientia cum lege naturali, ad Catholicum referuntur per antiquitatem.

DICES. Ad quatuor notas in Concilijs designatas, possunt reduci etiam proprio arbitrio institutæ. Ergo non sunt adeò exactæ, vt ad ipsas necesse sit omnes alias reduci. Conseq. patet, siquidem hac ratione nihil peculiare continent. ANT: declaratur; nam & perseuerare in confessione fidei vsque ad mortem, quæ Montanistis fuit Ecclesiæ nota, vt testatur Euseb. lib. 5. cap. 18. reduci potest ad sanctitatem. Similiter vera & incorrupta prædicatio Euangelij, & legitima electio ministrorum, quæ fuit nota Lutheri, potest reduci ad Apostolicum, & sic de cæteris. ℞. neg: ANT. Ad prob. d. neq; perseuerare in confessione fidei vsq; ad mortem, reduci potest ad illam sanctitatem, quæ Ecclesia sancta est, neq; prædicatio vera & incorrupta Euangelij, aut legitima electio ministrorum ad illud Apostolicum, quo Ecclesia vera dicitur Apostolica: quia ad illas quatuor notas principales, illæ tantùm, reducuntur, quæ soli Ecclesiæ conueniunt. Porrò illas ab hæreticis excogitatas, omnes sibi sectæ vendicant, & vna alteri præcipere contendit.

7. Mōtanistæ. Euseb. Luther.

COROLLARIVM 5.

Ad quæstionem quâ quæritur, quænam sit vera Ecclesia, Catholicè & verissimè respondetur per notas recurrentes cum Ecclesia DEI; illa nimirum quæ est Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica.

51\. QVandoquidem ex notis ad ignota fit progressus, ideo hic quoq; ex iis signis extrinsecis, quæ cum Ecclesia reciprocantur, tanquam notioribus, ad cognitionem ipsius Ecclesiæ procedendum præsens docet Corollarium: quæ doctrina an sibi constet in omnibus, subiectis membris examinabitur. Sit iam

MEMBRVM I.

An dum quæritur, quæ sit vera Ecclesia, per notas responderi debeat?

QVamuis non sit dubium imagines veræ Ecclesiæ in scripturis esse expressas, ex quibus benè perspectis possit inuestigari; quia tamen nonnisi cum difficultate & labore id obtineri potest, ideo nunc quæritur, an propter faciliorem & promptiorem eius cognitionem, interrogationi quæ sit, per notas satisfieri possit. pro quo.

Colligitvr. Dùm quæritur, quæ sit vera Ecclesia, non potest clariùs & euidentiùs responderi, quàm per notas ipsius, Patet. 1. Ecclesia vera semper ex notis suis cognoscitur. Ergo ad quæstionem quæ sit, per notas responderi debet. Ant. liquet vsu & praxi antiquorum, quæ nobis pro norma & regula relinquitur veritatis.

Tertull. Optat: Hieron. Cyrill.

2\. Deinde. Notarum hic est vsus, vt ducant in cognitionem rei. Ergo dùm quæritur quæ sit vera Ecclesia, per ipsius notas responderi debet. Conseq. quia aliâs notæ ipsius, propriò vsu suo & functione frustrarentur, consequenter frustra inuentæ fuissent.

3\. Præterea. Per quod inuenitur, cognoscitur, & iudicatur vera Ecclesia, per illud ad quæstionem quæ sit, responderi debet. Atqui per notas inuenitur, cognoscitur & iudicatur; nec est via facilior & magis plana. Ergo.

4\. Dices. Per intrinseca & essentialia Ecclesia cognoscitur, Ergo per intrinseca & essentialia non verò per notas, ad interrogationem de ipsa factá responderi debet. Conseq. patet, quia per quod res cognoscitur, per illud respondendum ad interrogationem de ipsa factam. Ant: fundatur in illo 2. Metaph. Eadem sunt principia essendi & cognoscendi, per intrinseca autem & essentialia res est vnaquæq;. Ergo & cognoscitur. R℞. Ecclesia vera, quantùm ad immediationem & firmitatem, ex intrinsecis & essentialibus

cognoscitur, & dùm quæritur de ea quid sit, per intrinseca & essentialia respondetur, iam verò quantùm ad claritatem & manifestationem quæ sit, ad notas tanquam ipsâ clariores recurrendum.

MEMBRVM II.

An istiusmodi notæ debeant esse cum Ecclesia recurrentes?

SVnt certæ conditiones notarum, dùm ad hoc assumuntur, vt rem infallibiliter demonstrent: proinde etiam hic quæritur, an inter conditiones notarum Ecclesiæ numerari debeat, quòd sint cum ipsa Ecclesia reciprocæ & recurrentes, pro cuius determinatione 5.

COLLIGITVR. Vt notæ, per quas ad quæstionem quæ sit vera Ecclesia respondetur, infallibiliter & Catholicè ipsam demonstrent, recurrentes & reciprocas cum ipsa necesse est esse. PATET. 1. ex ijs quæ dictæ sunt Articulo 2.

DEINDE. Notæ Ecclesiæ debet ipsam necessariò demōstrare, cùm ad hoc sint institutæ. Ergo oportet cum Ecclesia esse recurrētes & reciprocas. CONSEQ. patet, quia sicut demōstrationes sunt propter doctos, ita signa & notæ etiā propter indoctos. Ergo debent sibi inuicem proportionari. Atqui demonstratio requirit terminos conuertibiles seu recurrentes: nam Aristoteles lib. 1. Poster. cap. 4. à demonstratione excludit propositionem quæ non sit de omni: illa autem de omni esse non potest, quæ non constat terminis recurrentibus & reciprocis, Ergo notas Ecclesiæ oportet esse cum ipsa recurrentes & reciprocas, vt eā verissimè, infallibiliter & necessariò indicare valeāt. 6.

PRÆTEREA. Nota si non sit recurrens & reciproca, aut communis erit multis; aut non semper nec vbiq; rem comitabitur: quâ ratione rem necessariò indicare non potest. Nam si communis sit, nihil certò & determinatè indicare potest, cùm sit indifferens ad multa: si verò vni quidem rei conueniat, sed non semper, nec vbiq; rem comitatur, non erit potis ad eam semper & vbiq; demonstrandum, cùm non conueniat per se primò. Ergo notæ Ecclesiæ, omnino recurrentes & reciprocæ esse debent, quod liquidò constat de illis quatuor, Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica, quæ omnes & singulæ indicant veram Ecclesiam. 7.

CON. IV. COR. V.

8. Dices. 1. Si notæ recurrentes esse debent cum Ecclesia. Ergo Cathedra Petri ab Hieronymo epist: 58. ad Damasum. Optato lib. 3. contra Donatistas, Augustino contra epist: Manich: cap. 4, non recte pro nota veræ Ecclesiæ habita fuit. Conseq. patet, quia non est recurrens cum Ecclesia: amplior enim est Ecclesia quàm Petri Cathedra, cùm hæc Romæ tantùm sit, Ergo non vbiq; demonstrat Ecclesiam, quia non vbicunq; est Ecclesia, ibi Cathedra Petri quæ ad vnum locum est coarctata. ℞. Romæ quidem Cathedra Petri semper esse cognoscitur at nullo stringitur loco. Etenim, quia cum illa Ecclesia quæ Romæ cernitur, concurrunt & communicant omnes Ecclesiæ per vniuersum orbem, Cathedra Petri cum vniuersa recurrit Ecclesia. Hinc Iren: lib. 3. cap. 3. Vbi ostendit Romanam Ecclesiam, à duobus gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundatam, subinfert. Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles. Et Cyprianus lib. 4. dùm de Cathedra Romani Pontificis loquitur, sic ait. *Scimus, hortatos nos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem agnoscerent & tenerent.* Et Ambros. de obitu Satyri. *Rogauit* inquit, *si cum Episcopis Catholicis, id est cum Ecclesia Romana consentiret.*

Hieron. Optat. August. Iren: Cypr. Ambros.

9. Dices. 2. Successio Episcoporum non est recurrens cum Ecclesia, Ergo non rectè ab Irenæo loco supra dicto pro nota Ecclesiæ ponitur. Conseq. patet, Ant: verò deducitur, hac ratione quia recurrens est inseparabile. Atqui successio Episcoporum non est inseparabilis ab Ecclesia; nam nec in Romana, nec in alijs potest clarè ostendi. Non in Romana, tùm quia aliquando desijt per interruptionem, quando non habuit legitimè succedentes Pontifices legitimè electos, sed per vim ab Imperatoribus datos & intrusos, vt patet de Vigilio, post Syluerium factione Theodoræ Augustæ electo, & alijs simili viâ intrantibus. Tùm quia non potest distinctè ostendi, à quo tandem Apostolo ista successio in Ecclesia Romana cæperit. Nam quòd à Petro ducitur, prorsus est incertum & obscurum, cùm ipse Romæ nunquam fuerit. In alijs quoq; Ecclesijs successio Episcoporum ab Apostolis ignota, nec ab Ecclesiasticis scriptoribus alicubi deducta, ac propterea nulla hæc, iure dicenda. ℞. neg: Ant: Ad prob. d. primò quantùm ad particulares Ecclesias, de quibus minùs solicitandum. Nam quòd antiqui Patres atque Ecclesiastici scriptores, non tàm exactè successionem illarum studebant deducere, de Romana verò tanquam de principaliori magis erant soliciti, satis quippe illis

Vigilius.

illis esse videbatur ostendere Romanæ Ecclesiæ successionem, cuius ipsi se esse membra gaudebant: & vt Irenæus dicit, Valde longum esset, omnium Ecclesiarum enumerare successiones. Quantùm ergo ad successionem Romanæ Ecclesiæ, hanc illa ab Apostolis cæptam nunquam interruptam retinet, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus, cum successione, vt docet August: epist: 162. Irenæus autem lib. 3. cap. 3. in Romana Ecclesia deducit successionem Pontificum à Petro vsq; ad Eleutherium, qui tunc sedebat. Idem facit Epiphanius in hæresi Carpocratis commemorans ordine Pontifices Romanos. Idem Optatus lib. 2. contra Parmen: à Petro vsq; ad Siricium qui tunc sedebat. Et August: epist: 165. Pontificum successionem deducit vsq; ad Anastasium, qui etiam tunc erat in sede Apostolica. Atq; ita nunquam est deficiens ista successio in Ecclesia Romana, quæ hodie est in feliciter sedente Alexandro VII. Porrò desijsse istam successionem in Ecclesia Romana, variè deblaterant hæretici, ita quidem apud Bellarm: lib. 3. de Summo Pontifice. Nilus in libro contra primatum Romani Pontificis, ita Caluinus & alij. Et quantùm ad electionem Summorum Pontificum, certum est illam nullo iure pertinere ad Imperatores aut homines sæculares, si quando tamen per vim & quodam modo tyrannidem facta fuit, legitimè succedebat electus Pontifex, quia in integritate fidei Apostolicæ, vt palam est de Prædicto Vigilio, qui à Theodora Augusta eâ expectatione intrusus fuit, vt Anthimum Constantinopolitanum Patriarcham ab Agapito depositum ob hæresim Eutychianam, pristino honori restitueret, Vigilius tamen (quod Diuino tribuendum est Sacramento) postquam Cathedram attigit Apostolicam, firmitate Apostolicâ respondit. Absit hoc à me Domina Augusta, priùs locutus sum malè & insipienter, nunc autem nullo modo tibi consentio, vt reuocem hominem hæreticum & anathematizatum. Ita refert Aimoinus apud Sanderum lib. 7. Monarch. circa annum 537. Deinde quod hæretici negant aliquando fuisse Romæ, vt Illyricus contra primatum Petri, & Magdeburgenses in Centurijs, ipsa passio S. Petri affatim confutat mendacium hæreticorum, qui simul cum S. Paulo Coapostolo vnâ die Romæ Martyrium pertulerunt. Id S. Leo Serm: 1. de natali ipsorum, S. Chrysostonus in epist: ad Rom: S. Maximus Homil. 5. & vniuersus orbis Christianus testatur. Imò ipse S. Petrus, qui Româ epistolam scripsit. 1. Petr. 5. Salutat vos inquit Ecclesia, quæ est Babylone collecta; nam per Babylonem Romam expressit, iuxta morem scripturæ noui-testamenti: vt constat ex Apocal: atq; ita

Irenæus. August. Iren. Epiphan. Optat. Augu. Bellarm. Nilus. Caluin. Sander. Illyric. Magdeb. Leo. Chrysost. Maxim.

Tertull: Hieron. intellexerunt Patres antiqui: Tertull: in libro aduersus Iudæos, & Hieron: in lib. de Viris illustribus. Deniq; nulla historia testatur Petrum aliquando fuisse Babylone, vt inde scriberet epistolam.

MEMBRVM III.

Vtrum singulæ notæ ex illis quatuor sint sufficientes ad demonstrandam necessariò veram Ecclesiam?

10. CErtum est omnes simul id sufficienter præstare, sed de singulis præsens mouetur dubium, pro quo affirmatiuè COLLIGITVR. Et Patet 1. hac ratione. Omnes simul sumptæ & spectatæ id præstant. Ergo & singulæ. ANT: manifestum. Conseq. probatur, quia omnes recurrunt & se inuicem inferunt, vna alteram necessariò continet; omnes & singulæ veram Ecclesiam: & ne vna quidem esse potest, vbi non sint reliquæ, Ergo quod omnes simul sumptæ præstant, id singulis concedendum. ANT: liquet, Optimus enim est hic recursus & illatio. Ecclesia est Vna, Ergo vera: Apostolica, Ergo vera: Sancta & Catholica, Ergo vera. Similiter Catholica, Ergo Apostolica, Ergo clara per totum mundum diffusa & amplissima.

II. DEINDE. Antiqui Patres hoc modo vsi sunt ad demonstrandam necessariò veram Ecclesiam, scilicet per singulas ex quatuor prædictis notis. Ergo. ANT: hac inductione declaratur. Nam veram in primis Ecclesiam, quia vna per vnitatem regiminis & Episcopatûs, ostendit S. Hieron: lib. 1. contra Iouinian: vbi multos dicit sub vno tanquam capite constitutos, vnum Episcopatum constituere vt occasio schismatis tollatur. Et S. Cypr. lib. 1. epist: 8. *Deus* inquit *vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, supra Petrum voce Domini fundata.* Atq; ea necessitate veram Ecclesiam ex vnitate colligit, vt si non sit vna, nec vera esse possit. *Aliud* inquit *altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare & vnum Sacerdotium non potest, quisquis alibi colligerit, spargit.* Et lib. 4. epist. 2. *Vna est Ecclesia per vniuersum mundum à Christo in multa membra diuisa, item Episcopatus vnus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Et Optat. lib. 2. contra Parmen: veram Ecclesiam ostendit ex vnitate Cathedræ, in qua sedit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cæphas appellatus est, in qua vna Cathedra,

(Margin: Hieron: — Cypran. — Optat.)

vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli, ſingulas ſibi quiſq; defenderet, vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Tùm deinde veram Eccleſiam quia ſancta liquido conſtat apud Auguſt: lib. 2. de Ciuit: cap. 21. Et Enchirichij cap. 65. Et de patientia cap. 28. nam nullibi vera ſanctitas niſi in vera Eccleſia. Item veram Eccleſiam ex eo demonſtrabant quia Catholica, ita Cyrill. Hieroſ. Catech. 18. Auguſt: cap. 4. contra epiſt: fundam. Pacianus in epiſt. ad Sympronianum & alij. Deniq; ex eo quia Apoſtolica, veram Eccleſiam oſtendit euidenter S. Hieron: contra Luciferianos. Vnde Eccleſia, quæ non ducit ordinem ab Apoſtolis, non eſt vera Eccleſia. Hinc quibuſdam Tertullianus in lib. de præſcript. Qui inquit eſtis vos? vnde & quando veniſtis? vbi tamdiu latuiſtis? Et Optat: lib. 2. contra Parmen. Veſtræ inquit Cathedræ originem oſtendite, quia vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare. Ergo ex ſententia Patrum per ſingulas ex illis quatuor notis, ſufficienter & neceſſariò vera Eccleſia demonſtratur.

August. Cyrill. August. Pacian. Hieron. Tertull. Optat.

DICES. 1. Omnes ſimul ſufficienter & neceſſariò Eccleſiam veram demonſtrare non poſſunt, Ergo nec ſingulæ, Conſeq. patet. ANT: probatur. Si omnes ſufficienter & neceſſariò veram Eccleſiam demonſtrarent, nemo aberraret ab ea, ſunt autem tot hæreſes & ſchiſmata à vera Eccleſia aliena. Ergo. ℞. neg: ANT: prob. d. quòd tàm multæ hæreſes & ſchiſmata aberrant à vera Eccleſia, non prouenit ex defectu aliquo & inſufficientia notarum, ſed ex praua diſpoſitione errantium, qui diligunt tenebras magis quàm lucem: ſpretis veris notis, quæ verè, clarè & Catholicè veram oſtendunt Eccleſiam, alias ſibi confingunt; vel etiam ſi veras aſſumunt, alieno ſenſu & interpretatione priuatâ eas corrumpunt. Vnde ſicut olim Iudæi ex praua diſpoſitione, id eſt ex inuidia non cognouerunt Filium DEI, quamuis viderent ſigna ab ipſo facta, quibus ſufficienter ſuam Diuinitatem oſtendebat, vt ait D. Thom: 3. p. q. 43. art: 4. ita hi odio habentes veritatem Catholicam, eam peruertere modis omnibus laborant, ſignaq; ad veram Eccleſiam ducentia obfuſcare & denigrare contendunt. 12.

D. Thom.

DICES. 2. Si ſufficienter & neceſſariò per ſingulas ex illis quatuor vera Eccleſia demonſtratur & cognoſcitur. Ergo dùm vna ad hoc vt ſufficiens aſſumitur, reliquæ ſunt ſuperfluæ. ℞. neg: Conſeq: nam quia ſingulæ ſufficiunt, ad neceſſariò oſtendendam veram Eccleſiam, omnes tamen ad firmiùs, clariùs, & manifeſtiùs demonſtrandam conferunt. 13.

CONCLVSIO V.

Sola Romana, semper Pontificia, est vera in terris Christi Ecclesia.

QVinta hæc & vltima tractatûs istius Conclusio, quasi coronam imponit operi, & ex omnibus quæ hactenus de inuenienda & cognoscenda vera Ecclesia tractata sunt, fructus colligit: iamq; hic gradum figimus, inuentâ ex prætractatis verâ in terris Christi Ecclesiâ, eâ videlicet, quæ est Romana semper Pontificia. Hic certè scopus debetur supra dictis, ad quem illa omnia tendunt. Verùm vt hoc ipsum quod asseritur, in fructus effluat vberiores, articuli determinabunt sequentes. Sit iam

ARTICVLVS I.

An sufficiat credere, in genere aliquam esse Ecclesiam?

AFfirmatiua sententia videtur posse sic suaderi. 1. *Corde creditur ad iustitiam.* Rom: 10. Ergo quod iustitiam conciliat illud credere sufficit. Atqui credere, in genere aliquam esse Ecclesiam, non determinando quæ tandem illa, sit conciliat iustitiam: non secùs atq; fides implicita mysteriorum implendorum in noua lege, sufficiebat ad iustitiam minoribus in antiqua lege, Ergo sufficit in genere credere aliquam esse Ecclesiam 2. Sufficit credere Ecclesiam in cœlis. Ergo sufficit credere in genere aliquam esse in terris. Ant: patet, quia sufficit attingere finem, porrò Ecclesia in cœlis est finis. Conseq. deducitur, quia quæcunq; Ecclesia est in terris, communicat Ecclesiæ quæ est in cœlis. Ergo ex eo, quòd sufficit credere Ecclesiam in cœlis, sufficit credere in genere aliquam esse in terris communicantem cum illa quæ est in cœlis, Ant: Communicare cum capite, est communicare cum corpore. Atqui quæcunq; Ecclesia, communicat cum Christo, qui est caput Ecclesiæ quæ est in cœlis: nam quæcunq; est, ipsum appellat. Ergo quæcunq; Ecclesia in terris, communicat cum illa, quæ est in cœlis. 3. Non propter aliud credimus nisi vt iustificemur & saluemur. Sed credendo in genere aliquam esse Ecclesiam, iustificamur & saluamur, Ergo

credere in genere esse aliquam Ecclesiam sufficit. MIN: Credendo in Christum iustificamur & saluamur, Rom: 6. *Iustitia DEI per fidem IESV Christi in omnes, qui credunt in eum.* Ioan: 3. *Omnis qui credit in ipsum, habet vitam æternam.* Atqui credendo in genere aliquam esse Ecclesiam, credimus in Christum qui caput est Ecclesiæ. Ergo credendo in genere aliquam esse Ecclesiam iustificamur & saluamur. In oppositum tamen

CONCLVDITVR. Non sufficit credere in genere aliquam esse Ecclesiam, sed oportet vnam determinatam societatem, veram DEI in terris Ecclesiam credere. PATET. id 1. ex symbolis, quæ credendam Vnam, Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam proponunt: Vna autem Sancta, Catholica & Apostolica, ostendit societatem determinatam, ab alijs discretam, Ergo non sufficit credere tantùm in genere esse aliquam. Idem constat ex Patribus. S. Ambros. lib. 7. in Luc. hortatur fidem nostram transferre ad Ecclesiam: & quæ sit illa Ecclesia in specie indicat. d. *In qua septiformis Spiritus sancti relucet gratiâ.* Et Iren: lib. 5. cap. 20. *Vbiq;* inquit *Ecclesia prædicat veritatem, & hæc est* ἑπτάμυχος *Lucerna Christi baiulans lumen.* Et vltra de hæreticorum consociationibus subdit. *Fugere igitur oportet sententias eorum, & intentiùs obseruare, ne conturpemur ab ipsis, confugere autem ad Ecclesiam, & eius sinu educari, & Dominicis scripturis nutriri.* S. quoq; Cyprianus non sufficere nobis credere in genere aliquam esse Ecclesiam, sed determinatam societatem ab hæreticorum & schismaticorum conuenticulis distinctam & seperatam lib. 1. epist: 6. ad Magnum ostendit. d. *Non est vna nobis & schismaticis lex symboli, neq; eadem in baptismo interrogatio, nam cum dicunt, credis remißionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, cùm non habeant Ecclesiam.*

4. Ambros. Iren. Cyprian.

DEINDE. Qui nescit quænam sit Ecclesia, an ea quæ adhæret Romano Pontifici, an aliqua alia, verè non credit scripturis de Ecclesia testificantibus; nec credit, quantùmuis hoc iactet, Ecclesiam. Sed qui credit tantùm in genere esse aliquam Ecclesiam, nescit quænam sit Ecclesia. Ergo verè non credit scripturis de Ecclesia testificantibus, nec credit Ecclesiã. MAI. patet hac analogiâ, quam ponit Ioannes à Louanio in expositione symboli cap. 64. Quia sicut is qui diceret se credere illi voci Patris super Iordanem. d. Hic est filius meus dilectus: sed nesciret de quo id dixisset, an de IESV MARIÆ filio, an de Ioanne Baptista, vel quolibet alio tunc adstante, conuin-

5. Ioan: Hessels.

ceretur verè non credere voci DEI Patris, quantùmuis hoc iactaret. Igitur pari ratione, qui dicit se credere scripturis de Ecclesia loquentibus, nescit tamen quænam sit Ecclesia de qua loquuntur, verè non credit scripturis, nec credit, quantùmuis hoc iactet, Ecclesiam.

6. PRÆTEREA. Qui in cœtu determinato non agnoscit Ecclesiam veram, nihil credit. Sed qui credit tantùm in genere aliquam esse Ecclesiam, non agnoscit eam in cœtu determinato. Ergo qui credit tantùm in genere aliquam Ecclesiam esse, nihil credit MIN: manifesta in ipsis terminis MAI: Patet. Qui dissentit ab ipsius Christi testificatione nihil credit, cùm ille sit Author fidei. Hæbr. 12. Sed qui non agnoscit in cœtu determinato veram Ecclesiam, nec communicat vnitati eius, dissentit ab ipsius Christi testificatione de Ecclesia, qui eam in cœtu determinato testificatur, in eo qui adhæ-

Auguſt. ret Petro super quem ædificata. Vnde S. Augusti in lib: de vnitate Ecclesiæ. cap. 4. Et lib. 2. contra Crepon. Gramm. cap. 8. docet, quod qui de ipso capite Christo scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, de Christi corpore quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Ergo qui in cœtu determinato non agnoscit Ecclesiam veram, vt eius vnitati communicet, nihil credit.

7. INSVPER. Si sufficeret credere in genere aliquam esse Ecclesiam, in quacunq; posset saluari. Atqui conseq: est falsum. Ergo & Antec: Patet

Auguſt. falsitas ex S. August: qui epist: 50. ad Bonifacium Comitem ita dicit. *Ecclesia Catholica, sola est corpus Christi, cuius ille caput est. Saluator corporis sui, extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus.* Et epist: 152. ad Donat: *Quisquis ab hac Ecclesia fuerit separatus, quantùm libet se laudabiliter viuere existimet, hoc*

Gregor. *solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam.* Et S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 14. *Sancta Vniuersalis Ecclesia prædicat, saluari veraciter nisi intra se, non posse.*

8. Ad arg: ℞. Ad 1. neg: MIN: sufficiebat quidem minoribus ad salutem in antiqua lege implicitè credere mysteria abstrusiora, quia nondum erant explicata: modò non sufficit credere, in genere aliquam esse Ecclesiam, quia manifesta est, Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, & vera Ecclesia, imò non potest latere, cùm sit visibilis, tanquam ciuitas supra montem posita.

9. Ad 2. ℞. Non sufficit credere Ecclesiam in cœlis, nam articulus fidei est, de credenda Ecclesia in terris, ac proinde non sufficit credere, in genere aliquam esse Ecclesiam in terris. Quòd verò dicitur, quæcunq; Ecclesia in

terris communicat Ecclesiæ quæ est in cœlis, falsum est; nam est vna vera Ecclesia in terris, cui quæcunq; non communicat, nec illi quæ in cœlis est, communicare dici potest, cùm nec Christo communicet, qui est caput, non solùm illius in cœlis, sed etiam istius veræ in terris.

Ad 3. ℞. neg: Min: Ad prob: d. Si credit in Christum, qui credit tantùm in genere aliquam esse Ecclesiam, in confuso credit, sed talis fides 10. non sufficit ad iustificationem aut salutem, alioqui omnes hæretici iustificati essent & saluati, nam & ipsi vt minimè confusi credunt in Christum. Vel certè, qui credunt tantùm in genere aliquam esse Ecclesiam, non credunt in Christum, credere enim est per proprium formale fidei, sicut & scire per proprium suum formale habetur: porrò formale fidei, est Diuina reuelatio proposita in doctrina & authoritate Ecclesiæ: qui credunt tantùm in genere aliquam esse Ecclesiam, iam non credunt per authoritatem vnius veræ Ecclesiæ proponentis; proinde simpliciter dicendi sunt non credere.

ARTICVLVS II.

V. reformata Ecclesia sit vera Christi Ecclesia?

De reformata Caluiniana aut Lutherana præsens quæsitum proponitur; 11. isti enim passim à suis sectatoribus pronuntiantur esse, reformatores Ecclesiæ. Et quidem vt olim Philosophi sectas quoq; suas amplectendas persuadebant, ita nunc Pseudoeuangelici, Lutherani suam, Caluinistæ suam. Pro quorũ reformatione videntur ista posse seruire: 1. Vbi est sincera prædicatio veritatis, ibi vera Ecclesia. Sed in reformatione dicta est sincera prædicatio veritatis: nam sincera prædicatio veritatis requirit, ne deprauetur alienis additionibus & interpretationibus hominum, sed vt scriptura per scripturam exponatur. Hoc autem quisq; videre potest apud Lutheranos & Caluinistas, nolunt enim aliter interpretari verbum Dei, quàm per verbum Dei, scripturã per scripturam. Ita enim ministri Heluetiorum in cõfessione fidei edi- Heluetij. ta anno 1566. *Illam* inquiunt *duntaxat scripturarum interpretationem pro orthodoxa & genuina agnoscimus, quæ ex ipsis petita est scripturis.* Et vlterius. *Non patimur nos in controuersijs religionis vel fidei causis vrgeri nudis Patrum sententijs, aut Conciliorum determinationibus multò minus receptis consuetudinibus, aut etiam multitudine idem sentientium, aut longi temporis præscriptione.* &c. Idem Bren- Brent. tius

tius præcauet & alij. Ergo in reformatione Caluiniſtica & Lutherana eſt
12. vera Eccleſia. 2. Illa eſt vera Chriſti Eccleſia, in qua verus & ſincerus eſt Chriſti cultus. Atqui in reformata adeo eſt verus & ſincerus Chriſti cultus, vt nulli ab ea id tribuatur, quòd ſoli Chriſto tribuendum eſt, nempe quòd ſit Mediator & Reconciliator noſter, quod nulli vel ſanctorum vel Angelorum
13. tribui debet. Ergo. 3. Illa eſt vera Chriſti Eccleſia, in qua auditur verbum Dei: nam fideles in Eccleſia ſua ſæpe ouibus Chriſtus comparat, Ioan: 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ergo ibi vera Eccleſia, vbi oues Chriſti, & ibi oues Chriſti, vbi auditur vox & verbum Chriſti vt Paſtoris. Sed in reformata auditur verbum Dei, & quidem tantâ frequentiâ, quantâ vix dici poteſt; vt ex eo colligatur efficax eſſe ibi vebum Dei, & doctrinam à Deo
14. inſpiratam. 4. Apoſtolica Eccleſia, eſt vera Eccleſia. Atqui reformata eſt Apoſtolica, Ergo. Mai. eſt euidens. Min: probatur. Sequi doctrinam Apoſtolorum, eſt Eccleſiæ Catholicæ, Atqui reformata ſequitur doctrinam Apoſtolorum, reijciendo doctrinas varias & peregrinas, vt Hæbr. 13. monemur: omnes enim in reformatione iurant in verba illa Apoſtoli. Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus*
Luther. *vobis, anathema ſit*; quod Lutherus ſacroſanctè obſeruandum ſtatuit, in hunc locum. d. *Neq; alia doctrina in Eccleſia tradi aut audiri debet, quàm purum verbum* DEI, *hoc eſt ſancta ſcriptura, doctores vel auditores alij cum ſua doctrina, anathe-*
Brent. *ma ſancto*, Brentius idem in Prologom: *Perſpicuè* inquit *ſignificat Apoſtolus, quòd nulla traditio contra vel præter teſtimonia ſcripturæ agnoſcenda ſit pro dogmate neceſſario ad ſalutem.* Ergo reformata Eccleſia, eſt Apoſtolica. In oppoſitum autem

Concluditur. Sicut Lutherus cum Caluino non poterant reformare Eccleſiam, ita illa ipſorum reformata conuenticula, non gaudent dignitate veræ Chriſti Eccleſiæ. Quantùm ad primam partem Concluſionis Patet.
15. 1. quia Lutherus & Caluinus ſunt hæretici. Ergo non poterant reformare Eccleſiam. Conſeq. manifeſtum. Ant: etiam clarum multis modis. Tùm quia à vera antiqua Eccleſia receſſerunt, & profanas dogmatum noui-
Hieron. tates induxerunt, quod hæreticos arguere oſtendit S. Hieron: ad Pammachium & Oceanum. *Quiſquis* inquit *aſſertor es nouorum dogmatum, quæſo te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt, cur poſt quadringentos annos docere nos interris, quod ante neſciuimus? vſq; in hanc diem ſine iſta veſtra doctrina Chriſtianus mundus fuit.* Id planè Lutherus cum Caluino niſi

sunt, post mille & quingentos annos docere, quæ ante Christianus orbis nesciuit. De hoc etiam Vincentius Lyrinen: cap. 33. & 34. *Profanas* inquit *vocum nouitates recipere atq; sectari, nunquam Catholicorum, semper verò hæretico-rum fuit.* Et vltra. *Quis vnquam hæreses instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit?* Tùm quia nouis cætibus noua dederunt nomina, vt appellentur Lutherani & Caluinistæ: Nicolaus enim Antiochenus ex eo etiam probatur hæreticus fuisse, quia discipuli eius Nicolaitæ vocantur. Apoc. 2. S. Ioannes Chrisost: Homil: 33. in Acta. in eo signum hæreticorum esse ostendit. *Illi* inquit *habent quosdam, à quibus appellantur, prout enim hæresiarchæ nomen, ita & secta vocatur.* Tùm quia pertinaciter errores contra vniuersalis Ecclesiæ definitionem tuebantur, corrigi repudiantes. Tùm quia exeuntes ab vna Ecclesia Christiana, ad aliam quæ certiùs à Christo per successionem fidelium propagata sit, non intrauerunt, nam de illis, illud 1. Ioan: 2. dictum est. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtiq; nobiscum.* Nam exire à Lutheranis, Caluinistis, Zwinglianis, Anabaptistis, vt accedas ad Catholicos, qui se ab Apostolis descendere per Episcoporum certissimam successionem demonstrant, honestissimum ac tutissimum, sed à Catholicis non inuenies quo eas, nisi ad hæreticos. Tùm deniq; quia per edictum Vniuersalis Ecclesiæ hæretici sunt declarati.

Lyrinen:

Chrysost:

Deinde. Lutherus & Caluinus nullam iurisdictionem ad reformandam Ecclesiam habuerunt. Ergo non potuerunt reformare. Ant: nec missi nec vocati ad hoc opus fuerunt. Ergo non habuerunt iurisdictionem: nam per vocationem & missionem eam obtinere oportebat. Ant: nec mediatè nec immediatè à Deo ad hoc opus fuerunt vocati aut missi, Ergo nullo modo: nam isto sunt duo modi, quibus ministri Ecclesiæ, tàm in nouo quàm veteri testamento vocantur. Non fuerunt isti duo vocati mediatè, id est per Ecclesiam: quia Ecclesia neminem vocat in destructionem & contra se, Lutherus & Caluinus, ex quo defecerunt ab Ecclesia cæperunt destruere: non ergo mediante Ecclesia vocati sunt. Non etiam immediatè à Deo: tùm quia vocatio ista iam in Apostolis desijt, vt post eos nemo iam ampliùs immediatè mittatur, imò verò iam solam vocationem mediatam & ordinariam vult Spiritus sanctus in Ecclesia Dei haberi, cùm enim S. Paulus diuinitùs esset electus (raptus scilicet ad tertium cœlum) ad prædicandum Euangelium, voluit tamen Spiritus sanctus mediante cœtu Apostolorum 16.

ipsum ad hoc opus assumi & mitti, ita enim Act: 13. habetur. *Ministrantibus illis Domino & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus, segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Tùm quia nullis argumentis potuerunt isti duo suam immediatam vocationem & missionem probare. Prophetæ quidem & Apostoli, qui hoc genere vocationis vocati & missi fuerunt, miraculis euidentibus suam missionem probârunt, & qui id facere non potuerunt, pro falsis Prophetis & impostoribus habiti sunt. Lutherus & Caluinus id non præstiterunt, quò nouam suam doctrinam quam attulerant comprobarent. Nouam inquam quia in primitiua Ecclesia inauditam, vt quòd penes Principes sæculares sit summum ius definiendi controuersias fidei & religionis. Electionem Pontificum ad Imperatores de iure pertinere, posseq; ab Imperatore iudicari & deponi. Liberum arbitrium merè passiuè se habere in nobis ad actus nostros; & alia innumera inconuenientia: quæ videri possunt etiam apud Sanderum lib. 7. Monarch. circa annum 1528.

17. PRÆTEREA. Lutherus cum Caluino sua reformatione corruptionem inuexerunt. Ergo non reformauerunt. ANT: Tunc res corrumpitur quando amittit suam substantiam, desinit esse id quod priùs in sua perfectione erat. Atqui post istam reformationem factam, illud quod reformatum est, perdidit suam substantiam, & cæpit esse diuersum ab eo quod à Christo institutum fuit. Ergo corruptum. MIN: Mutatâ formâ rei, non manet eadem res quoad substantiam. Sed post reformationem factam mutatur forma Ecclesiæ, Ergo non manet eadem quoad substantiam. MAI: patet, quia forma dat

Aristot. esse seu substantiam: Ergo diuersa forma dat diuersum esse. Aristoteles lib. 3. Polit: cap. 2. ex mutatione formæ ciuitatis, ostendit mutationem & diuersitatem reipub. nam siue homines mutentur, siue etiam locus & mœnia, ciuitas tamen manet eadem, quousq; forma eius mutetur, verba sunt Philosophi. *Etenim si societates quædam est ciuitas, eaq; ciuium societas, certè si reipub. mutetur forma & status, ciuitatis etiam status mutetur necesse est. Quemadmodum chorum interdum tragicum, interdum comicum esse dicimus, cùm sæpe iidem sint homines, itemq; omnem aliam communionem & compositionem diuersam dicimus, si aliud genus sit compositionis, veluti concentum eorundem sonorum, alium esse dicimus interdum quia Doricus, interdum quia Phrygius. Quæ cùm ita sint, perspicuum est eandem ciuitatem maximè habitâ ratione reipub. esse dicendam, nomine autem alio aut eodem appellare licet, tùm si iidem, tùm si omnino alij eam homines incolant.* Ergo

mutatâ formâ etiam Ecclesiæ, non manet eadem Ecclesia quoad substantiam sed mutatur. MIN: etiam declaratur, quia mutato genere gubernationis, mutatur forma reipub. hæc enim eius forma. Post reformationem autem Lutheri & Caluini mutatum est genus gubernationis, ex Monarchia quæ semper fuit ab ipso Christo, qui est Rex regum, in Democratiam, id est in popularem statum à Spiritualibus ad Sæculares, ad Barones & Consules regimen translatum, vt res est de se manifesta in ijs factionibus.

DICVNT. Ecclesiam errasse, ob idq; indiguisse reformatione ab erroribus. Contra, falsum est Ecclesiam totam aliquando errasse, aut errare posse, & profiteri publicè aliquod dogma quod sit contrarium veræ fidei & religioni: est enim sponsa Christi, quam sibi despondit in fide semper incorrupta: hinc S. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ. *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est & pudica, portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* præualerent autem, si errare perniciosè posset aut docere noxia. Deinde, cui errores isti innotuerunt, & quô iudice damnati sunt? Præterea dato non concesso, errasset Ecclesia, à quo tandem illi vocati & missi sunt ad ipsã reformandã? 18.

Quantùm ad secundam partem Conclusionis Patet. 1. ex supra tractatis, quia Ecclesiæ reformatæ non conueniunt notæ veræ Ecclesiæ. Ergo non est vera Christi Ecclesia. 19.

DEINDE. Conuenticula noua, non possunt, gaudere dignitate veræ Dei Ecclesiæ, quæ in antiquitate solidatur. Atqui reformationes Lutheri & Caluini sunt conuenticula noua: id enim ipsa reformatió conuincit: nam quod reformatum est, nouum est. Cæpit autem reformatio Lutheri quidem in Saxonia anno 1517, deinde Caluini, ita vt Lutherana a Luthero, Caluiniana à Caluino ortum sumpserint. Ergo reformationes istæ non possunt dici vera Christi Ecclesia.

Respondebunt. Sectas suas non à Luthero aut Caluino ortum sumpsisse, sed multis sæculis ipsos præcessisse, ab ipsis autem tanquam antea, sub silentio & in penetralibus latitantes, excitatas esse, proinde nouas dici non debere. Sed contra. Si sectæ istæ sub silentio in abscondito & in penetralibus latebant, quomodo potuerunt consistere, nam secundùm ipsos notæ Ecclesiæ sunt pura prædicatio Euangelij, & legitimus Sacramentorum vsus, sine quibus Ecclesia consistere nec cognosci potest, vt patet ex Confessione Augustana art. 7. & ex Caluino lib. 4. Institut: cap. 1. Si itaq; latebant sub silentio, nec prædicabant Euangelium, nec Sacramenta administrabant, quomo- 20.

Confess. August. Caluini.

do ſine iſtis notis conſiſtebant aut cognoſcebantur? Quòd verò dicunt ſectas iſtas multis ſæculis præceſſiſſe Lutherum & Caluinum. Ad hoc dicendum, Sectæ iſtæ dupliciter conſiderari poſſunt, completè & incompletè, id eſt ſecundùm ſe, & ſecundùm partes. Itaq; ſi ſecta Lutheri aut Caluini conſideretur incompletè & ſecundùm partes tantùm, ſeu principia ſua, multis ante temporibus præceſſit Lutherum & Caluinum: nam conſtant ex dogmatibus & erroribus antiquorum hæreticorum, omnibus ſiquidem hæreticis familiare eſt, antiquiores hæreſes iam ante damnatas reuocare, id quod
Simon Magus, Pelagius Celeſtius. Lutherus cum Caluino fecerunt. Vt enim Simon Magus Samarites, docebat homines non ſaluari per opera iuſta, ita Lutherus cum Caluino. Pelagius & Celeſtius ad inſtantiam Concilij Africani damnati ab Innocentio Primo, qui docuerunt non eſſe baptizandos ex muliere Chriſtiana natos, idem dogma ſecutus Caluinus in antidoto Concilij Trident: ſeſſ: 6. cap. 5.
Manichæi. Manichæi negabant eſſe in Eccleſia aliquod publicum & externum ſacrificium
Donatiſtæ præter orationes, idem Lutherus cum Caluino, Donatiſtæ Eccleſiam Catholicam periiſſe in orbe terrarum dicebant, tantùmq; in Africa manere contendebant; deteriùs Lutherani & Caluiniſtæ, quia omnino periiſſe aliquando dogmatizant, & nullibi extitiſſe. Vigilantius virginitatem ſpernebat,
Schiſmat. idem Lutherus cum Caluino. Schiſmatici negabant primatum Romanæ Ec-
Nicolaitæ. cleſiæ, idem Lutherani & Caluiniſtæ, Simon Magus & Nicolaus Antiochenus indifferenter vxoribus vtendum. Lutherus quoq; recuſante vxore de-
Priſcill: bitum reddere, ancillam in viri thorum inducendam docet. Priſcillianus
Lyrinen vt eſt apud Vincentium Lyrin: cap. 34. Creatorem DEVM auſus eſt dicere authorem malorum, id eſt ſcelerum, impietatum, flagitiorumq; noſtrorum,
Sander: idem Creatori inpingit Caluinus. Videnda ſunt plura apud Sanderum lib. 8. de viſibili Monarch. cap. 57. Iam verò ſi ſecta Lutheri conſideretur ſecundùm ſe & completè, prout ſpecialem cœtum à cæteris diſtinctum continet, ſic à Luthero ortum ſumpſit, & Caluini à Caluino, neq; ante authores ſuos extiterunt. *Vt enim ante Valentinum non erant qui ſunt à Valentino, neq; an-*
Iren. *te Marcionem fuerunt qui ſunt à Marcione*, vt rectè aduertit Iren: lib. 3. cap. 4. ita ante Lutherum non fuerunt qui ſunt à Luthero, neque ante Caluinum, qui ſunt à Caluino.

PRÆTEREA. Vera Eccleſia, eſt Apoſtolica Eccleſia. Atqui reformatio
21. Lutheri & Caluini, non eſt Apoſtolica Eccleſia. Ergo. MIN: In Eccleſia Apoſtolica debet eſſe ſucceſſio Epiſcoporum ab ipſis Apoſtolis cœpta, & vbi-

cunq; non est successio Episcoporum, quæ originem ducat ab Apostolis, Ecclesiæ Apostolicæ honore gaudere non potest, sed est schisma & hæresis, vt Tertull: de præscript: dicit. *Edant hæretici, origines Ecclesiarum suarum, audeant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio currentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis Viris habuerit authorem & antecessorem.* Atqui in reformatione Caluinistica & Lutherana, nullum vestigium huiusmodi successionis ostendi potest: vt meritò ab illis debeat requiri, quod ab alijs requisiuit Tertullianus, & quod Augustinus in Ps. contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, & in illo ordine Patrum, quis cui successerit videte.* Nam vt Hieron: dicit contra Lucifer. *Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes.* vt potè cum successione ab Apostolis, est enim Ecclesia, *plebs Episcopo adunata, & Pastori suo grex adhærens,* vt docet Cypr. lib. 4. epist: 9.

Tertull.
August.
Hieron.
Cyprian.

INSVPER. Coniunctio cum Pontifice Romano, ab antiquis semper habita est pro nota veræ Ecclesiæ, ita enim Irenæus lib. 3. cap. 3. cùm ostendisset Romanam Ecclesiam à duobus illis fundatam Apostolis, Petro videlicet & Paulo, subinfert. *Ad hanc* inquit *Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles.* &c. Et Cyprianus lib. 1. epist: 3. *Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent & ad Petri Cathedram, atq; Ecclesiam principalem, vnde Vnitas Sacerdotalis orta est, à Schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, ad quos per fidem non possit habere accessum.* Hieron. epist: 58. ad Damasum. *Si quis* inquit *Cathedræ Petri iungitur meus est.* Et iterum. *Ego beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior.* Ergo quæcunq; congregatio non est coniuncta cum Romano Pontifice, non est vera Christi Ecclesia. Atqui reformatio Caluinistica cum Lutherana, non est coniuncta cum Pontifice Romano: imò in eo tota vis huius reformationis sita, vt separetur à Pontifice Romano. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Proinde VLTERIVS infertur. Quæcunq; collectio est extra vnam Petri Cathedram, non est vera DEI Ecclesia. Sed reformatio ista est collectio extra vnam Petri Cathedram. Ergo. MIN: cuius nota MAI. est Cypriani lib. 1. epist. 8. qui dicit. *Deus vnus est & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, supra Petrum Domini voce fundata; Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest quisquis alibi collegerit spargit.*

22.
Iren:
Cypr.
Hieron.
Cypr.

DICVNT. diffidentes. Quousq; Papa mutaretur in Antichristum, ne- 23.

cessariam fuisse coniunctionem cum Romano Pontifice nunc autem, ex quo mutatus est in Antichristum: quod factum est, quando Phocas Imperator Bonifacium præfecit omnibus Episcopis vt caput eorum diceretur, ista coniunctio cum Pontifice Romano amplius tenenda non est. ℟. in refutatione istius calumniæ immorari dignum non est, satis autem refutatur à quibusuis Catholicis vt à Bellarm. lib. 3. de Romano Pontifice, & succinctè à Becano in suo Manuali. Illud tantùm dico, non à Phoca Imperatore Romanum Pontificem accepisse illum honorem, quo cæteris Episcopis tanquam caput præficitur, sed à Christo Petro datum, & ab ipso ad hoc vsque tempus penes Romanos Pontifices manere. Nam ante Phocam ferè centum annis vixit Iustinianus senior, qui Ioannem secundùm, in epistola ad ipsum, appellat caput Ecclesiarum. Et Concilium Chalcedonense ante Iustinianum celebratũ, Leonem vocat caput Episcoporum, in epistola ad eundem. Quoniam verò Episcopus Constantinopolitanus arroganter sese Vniuersalem Patriarcham vocabat, cohibuit Phocas sua sanctione arrogantiam eius, declarans id semper soli Romanæ Ecclesiæ ac Pontifici conuenire.

Bellarm. Becan. Concil. Chalced.

24. Adhvc. Vera Christi Ecclesia, est Sponsa ipsius, Oseæ. 2. Ioan: 1. Ephes. 5. Apoc. 21. Atqui congregatio reformata non potest dici Sponsa Christi. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Min: Sedere in angulis, & nominibus aliorum amatorum censeri, non est Sponsæ Christi: hoc enim proprium est meretricularum hæreticarum in obscuro latere, S. August: lib. 4. de Symbolo ad Catechum: cap. 10. *Quæcunq; inquit congregatio, cuiuscunq; hæresis, in angulis sedet, concubina est, non matrona.* Vincentius etiam Lyrinensis cap. 34. *Quæ vnquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore abulliuit?* Atqui reformata congregatio in angulis sedit, scilicet in Germaniæ parte, & aliquibus maritimis regionibus: porrò Oriens, Meridies Æthiopia, Ægyptus, Indiæ, Iapones, Antipodes, & aliæ principales orbis partes, non norunt istam reformationem, nec de nomine eius quidquam audierunt. Amatorum quoq; suorum nominibus hæc eadem reformatio appellatur, hæc Lutherana, hæc Caluiniana, nulla ex illis Christiana, quod est certissimum & manifestissimum hæresis indicium, vt S. Hieron: contra Lucifer. d. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non à Domino Iesv Christo, sed à quodam alio nuncupari vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campates, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam, Lactant. lib. 4. Diuin: Institut: cap. 30. *Cum inquit Marcionitæ & Ariani nominantur,*

August. Lyrinen. Hieron. Lactant.

nantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Idem habet S. Chrysost: in epist: ad Hæbr. Et Tertull. *Si* inquit *hæretici sunt, Christiani esse non possunt.* Chrysost. Tertull.

25. DENIQ; Vera Christi Ecclesia non potest latere. Matth. 5. Non potest abscondi ciuitas supra montẽ posita, vnde S. August: lib. 13. contra Fortunat: Manich. cap. 13. declarans quo manifesto signo vera Christi Ecclesia cognoscatur, non aliud signum odit, quàm vt illa Ecclesia vera existimetur, quæ omnibus sectis eminet, nunquã abscondita, sed in oculis omniũ omni tẽpore posita. Atqui Lutheranorũ & Caluinistarum aliquãdo latuit, vt ipsi asserunt. August.

26. POSTREMÒ. Vera Christi Ecclesia nunquam interire potest: habet enim promissiones stabilitatis & perpetuitatis. Isai 54. *Noli timere quia non confunderis, neq; erubesces.* Et vltra. *Montes commouebuntur & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.* Ps. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Daniel. 7. *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Et cap. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* Sed reformatio de qua in præsenti iam interijt, & semper interit, Ergo. MIN: omne diuisum interit, Luc. 11. omne regnum in se diuisum desolabitur. Ratio, quia in vnitate consistit integritas & conseruatio rerum. Ergo in diuisione pernicies & interitus. Philosophia Bóetio lib. 3. de Consol. prosa 11. Bóet. *Nostine igitur,* inquit, *omne quod est, tamdiu manere atq; subsistere, quamdiu sit vnum, sed interire atq; dissolui pariter, atq; vnum esse destiterit?* Atqui reformatio ista diuisa est in tot Confessiones, Augustanam, Witembergensem, Zwinglianam, & adhuc semper diuiditur in plures. Etenim post Lutherum surrexit Zwinglius & Anabaptistæ qui maiorem partem Lutheranorum ad se separatam traxerunt, & qui manserunt Lutherani, ita doctrinam Lutheri immutarunt, vt vix iam inueniantur puri Lutherani, quod Illyricus plusquàm ægrè fert. Caluini quoq; reformatio diuiditur in sectam Puritanorum, ita enim vocantur in Anglia, in sectam Hugnoitarum, ita enim Galli appellant, in sectam Picarditarum, vt placebat Bohemis, & alia vlteriùs portenta monstrosa ista vipera producit. Itaq; reformatio ista interijt, magìsq; ac magis quotidie interit; nempe *Magistri mendaces superinducent sibi celerem perditionem.* 2. Petr. 2. *Et Consilium atq; opus quod ex hominibus est dissoluetur.* Act. 5. Catholica verò Ecclesia, quia ex DEO est, non poterit dissolui, fundata supra firmã Petrã. Confess: August. Wittemb. Zwingl. Illyric. Calu. sect.

27. Adivnge. Vera Christi Ecclesia non debet esse fæda & maculosa, quia ipsam sibi Christus exhibuit *gloriosam, non habentem rugam aut maculam*. Ephes. 5. illustrior esse debet cæteris hominum cœtibus: id enim per Prophetas prædictum fuit, quòd etiam Synagogam superaret decore. Aggæi. 2.
August. *Magna erit gloria domûs istius nouissimæ, plus quàm primæ*, quod S. Augustinus lib. 18. de Ciuit: cap. 45. de gloria Ecclesiæ noui testamenti interpretatur. Hæbr. 3. *Amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam*. Atqui reformatus cœtus fædior est Synagogâ Iudæorum & alijs hominum cœtibus: vt potè carens iustitia inhærente; sub pallio iustitiæ imputatæ fætens, putridus, vlcerosus, non gloriosus, leprosus, maculosus, rugosus, qui ante schisma & defectionem reformatorum suorum, nullam habebat in mundo gentem, nullam prouinciam, nullum templum aut domum, in qua Christum coleret, nullum Sacerdotium publicum cum Sacrificio publico.

28. Vltimò. Illa non est Christi Ecclesia, in qua principem locum, non Apostolorum successores Episcopi, sed Principes profani & homines sæculares tenent; sacris præsunt, leges dant in omnibus. Sed in reformatione proposita, is est status & ordo rerum, in qua sæculares homines præsunt in sacris Principes, Barones, & alij. Ergo reformatio ista non est vera Christi Ecclesia. Mai: Patet quia in Ecclesia vera Christi non sæculares homines, sed Spirituales sacris præesse debent, sicut Christus ipse viuens omnium suorum summæ præfuit: & eodem quo ipse loco esse voluit non profanos vllos homines sed Apostolos, & ex quo ascendit in cœlum, inter alia dona quæ dedit hominibus & illud statuit vsq; ad diem iudicij, primas in Ecclesia tenere Apostolos, eorumq; successores non sæculares sed Spirituales, vt deducit Apostolus. 1. cor. 12. Et ita semper in Ecclesia fuit obseruatum, vt Episcopi & Sacerdotes primas inter Christianos tenerent, & ad illos causæ
Ignatius. omnes definiendæ deferrentur. Benè proinde S. Ignatius Martyr ad Philadelphienses principes ait, *Subditi estote Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris & sacrorum administratoribus: Presbyteri verò & Diaconi atq; omnis clerus, simul cum omni populo & militibus atq; Principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo*. Itaq; in Ecclesia vera Christi principem locum tenent Episcopi, in quibus eminet cunctis Pontifex Romanus, cui Reges & Imperatores non potuerunt vnquam in Ecclesia Dei leges dare aut dominari, quamuis per tot annorum sæcula, id armis & omni studio quandoq; nonnulli tentârint ac contenderint.

sint. MIN: clara, in reformatione Lutheri & Caluini principem locum in sacris tenere Principes sæculares, nam & Anglicanæ ecclesiæ mulier non erubescebat se caput nominare, leges & sententias de rebus diuinis ferre, vt est apud Sanderum, idq; iam pro more & consuetudine inoleuit tàm in Germania, quàm oris Borealibus, vbi singulis diebus Principes religionis suæ decreta figunt ac refigunt. Quis igitur inter istos Ecclesiam Christi esse dixerit? Sed iam

Ad argum: ℞. Ad 1. in argumento est petitio Principij, dùm id quod est ignotius, assumitur ad aliud probandum. Etenim sincera prædicatio veritatis ignotior est Ecclesiâ, cùm per Ecclesiam potiùs discamus quæ sit sincera veritatis prædicatio, quàm per sinceram veritatis prædicationem, quæ sit vera Ecclesia; nam & fidem perceptam ab Ecclesia custodimus, ait Iren: lib. 3. cap. 40. Et lib. 4. cap. 43. *Iis* inquit *qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis*. Priùs ergo inuenimus Ecclesiam quàm sinceram veritatis prædicationem. Deinde apud Schismaticos potest esse sincera prædicatio veritatis, & fidem Catholicam quoad materiale saltem habere possunt, neque tamen vel apud ipsos est Ecclesia Catholica, vel ipsi pertinent ad Ecclesiam Catholicam. siquidem illam fidem Catholicam non profitentur in Ecclesia Catholica, vt ex Augustino & Optato ostendit Bellarm. lib. 3. de Ecclesia militante cap. 5. Præterea: MIN. eiusdem argumenti falsa est. Quod autem dicitur sincera veritatis prædicatio requirit ne deprauetur alienis hominum interpretationibus, verum est, non enim Spiritum suum sequi debet, is qui interpretatur, nam Ezech: 13. d. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spirituum suum & nihil vident*; tales autem sunt hæretici, qui nolunt interpretari eo sensu quo Patres Catholici interpretati sunt & Concilia, sed dicunt se scripturam per scripturam interpretari, qua verò id tandem ratione assequi possunt cùm scriptura sit obscura? sed id commune omnibus hæreticis. Nam & Ariani illam scripturam Ioan: 10. *Ego & Pater vnum sumus*: interpretati sunt per aliam scripturam. Ioan: 17. *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*. Nunquid rectè interpretati sunt, & iuxta sensum intentum à Spiritu sancto? Porrò Gregorium Nazianzenum & Basilium ex eo laudat Rufinus lib. 2. Eccles. Historiæ cap. 9. quòd per annos tredecim solis Diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant, quorum intelligentiam non ex propria præsumptione sed ex maiorum scriptis & authoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulã suscepisse constabat.

[Margin notes: 29. — Iren. — Rufin.]

30. Ad 2. ℞. Mai: ſicut ſuperioris argumenti petitione principij laborat. Deinde Min: neg: & quidem hoſtes beatorum hæretici, eorum inuocationem abolere nituntur: in eoq; ſe verè colere Chriſtum gloriantur, quòd ſolum Mediatorem vocitent. nulli id beatarum mentium concedentes. Aſt in eo ipſi Chriſto iniuriam faciunt, qui honorem debitum amicis ipſius detrahunt, quem ipſe eiſdem concedit, vt Chryſoſt: Homil. 24. in Gen. d. *Conſuetudo Diuinæ miſericordiæ eſt honorem hunc dare ſeruis ſuis, vt per eos ſaluentur & alij.* Nam ſoli quidem Chriſto tribuendum, quòd ſit mediator ſalutis, redemptionis & reconciliationis noſtræ, impium tamen eſt, negare ſanctos eſſe mediatores interceſſionum & orationum noſtrarum; Hinc S. Bernard. de B. Virgine. *Opus* inquit *eſt nobis mediatore ad mediatorem iſtum* (loquitur de Chriſto) *nec alter vtilior nobis quàm Maria.* Si mediator primarius vnus eſt Chriſtus qui per ſemetipſum accedit: ſecundarij tamen mediatores per iſtum accedentes excludi non debent.

Chryſoſt.

Bernard.

31. Ad. 3. ℞. Auditus verbi Dei non poteſt eſſe viſibilis nota Eccleſiæ, ſolùm poteſt eſſe nota vnicuiq; vt ſaltem coniecturaliter cognoſcat ſuam electionem, nec indicat vbi ſit Eccleſia, ſed ſaltem qui ſint electi, nempe qui corde perſeueranter audiunt & verbum retinent, vt exponit Auguſt: Deinde audire prædicationem & conciones commune eſt omnibus ſectis, etiam Mahumetanæ. Quòd autem Lutherus & Caluinus tantas cateruas breui congregarint, non eſt tribuendum efficaciæ doctrinæ ſpiritualis, ſed quia doctrina illa grata fuit carni & ſanguini: nam ſi hoc ſpiritui tribuendum eſſet, etiam Arij prædicatio ſpiritualis fuiſſet, qui idem imò aliquid ampliùs effecerat, nec tamen ipſius doctrina efficax & à Deo inſpirata dici poteſt.

Auguſt.

32. Ad 4. ℞. neg: Min: Ad prob. d. non eſt completa diſtributio in probatione ipſius: nec enim hoc ſolo Apoſtolica Eccleſia dicitur, quod ſequatur doctrinam Apoſtolorum, ſed ex multis alijs, vt ſupra dictum eſt. Et quidem reformata Caluiniana atq; Lutherana deuiat longè à doctrina Apoſtolorum, prout euenit in modica transgreſſione diſcedentibus à veritate, vt aberrent longè decies millies magis; ita enim Lutherus diſcedens à veritate, modicum transgreſſus de indulgentijs, in maximos errores deuenit. Nec ſufficit quocunq; modo ſequi doctrinam Apoſtolorum, de quo gloriatur quælibet ſchiſmatica congregatio, ſed oportet ſequi totam doctrinam Apoſtolorum, tam ſcripturis contentam, quam traditionibus ſanctis ab Apoſtolis commendatam, prout iubet S. Paulus. 2. Theſ. 2. d. Tenete traditiones

1. cœli. Tex. 33.

ones quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Eccleſia Apoſtolica eſt, quæ ſuccedit ijsdem dogmatibus, ijsdem ſacramentis, eadem Epiſcoporum & Eccleſiarum ſerie illi Eccleſiæ. quæ ſub Apoſtolis & eorum diſcipulis, alijsq; Apoſtolicis Patribus à Deo plantata eſt, vt docet Irenæus. Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, & alij: in qua floruère Martyres, vixerunt ſanctiſſimi Confeſſores, triumpharunt ſacræ Virgines, in qua gloriabantur ſe eſſe ſancti Doctores: in qua ſunt & fuerunt omnia munera gratiarũ, graduum, officioũ atq; donorum, quæ Spiritus ſanctus impartitur prout vult, 1. cor: 12. Ea verò minimè Apoſtolica, in qua omnes coniugati, omnes Epiſcopi & Sacerdotes, in qua nullus ordo ſed ipſa confuſio: quæ multos poteſt ſignare anteceſſores niſi qui ſchiſmatici erant & ab Eccleſia excluſi, Atq; huiuſmodi eſt factio Lutherana & Caluiniana; reſpuit doctrinam Apoſtolicam, ab Eccleſia, Concilijs, & SS. Patribus atque Doctoribus traditam, propoſitam & expoſitam. Vnde licet ipſi nolint quidquam præter purum Dei verbum recipere, & anathematizent aliud docentes, ſi illud purum Dei verbum, ſecundùm ſuum proprium ſenſum, non prout per Eccleſiam ab Apoſtolis traditum eſt recipiunt, ſuo ſe laqueo ſuſpendunt, nec purum Dei verbum recipiunt, quod purum Dei verbum cum alieno ſenſu, non cum eo qui à Spiritu ſancto intentus eſt, eſſe non poteſt.

Iren: Tertull. Cyprian. Auguſt.

ARTICVLVS III.

V. Romana quæ nunc eſt, ſit vera Chriſti Eccleſia?

NEgant in vniuerſum Schiſmatici & Hæretici, vt vnuſquiſq; ſuum conuenticulum perſuadeat amplectendum, & in eo perſeuerandum: atq; vt à vera Eccleſia, extra quam nulla ſalus retrahant, quorum ſententiam iſta comprobare videntur. 1. Vera Chriſti Eccleſia eſt vnum ouile, Ioan: 10. Sed Romana quæ nunc eſt, non eſt vnum ouile, Ergo. Min: Vnum ouile oues continet. Atqui Romana moderna non oues continet: nam continet reprobos, peccatores, iniuſtos, at reprobi, peccatores, iniuſti, non ſunt oues: nam oues non ſunt niſi prædeſtinati, vt docet Auguſt: Tract: 45. in Ioan. Ergo. 2. Vera Chriſti Eccleſia, eſt corpus Chriſti, iuxta illud 1. cor. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti.* Atqui Romana quæ nunc eſt, non eſt corpus Chriſti. Ergo. Min: Verum corpus Chriſti totum cum omnibus ſuis partibus ſal- 33. Auguſt. 34.

uum est & gloriosum, Ergo & Ecclesia talis esse debet, quæ est corpus mysticum. Atqui Romana quæ nunc est, non cum omnibus suis partibus aut salua aut gloriosa est, cùm maior pars sit ignobilis & infirma.
35. 3. Vera Christi Ecclesia suis prærogatiuis carere non potest, cùm sit Sponsa Christi, quam ipse sibi gloriosam semper exhibere studet. Ephes. 5. Atqui Romana quæ nunc est, caret prærogatiuis, quibus vera Ecclesia spectabilis redditur. Ergo. MIN: Inter prærogatiuas veræ Ecclesiæ sunt miracula, quæ credentibus præsto fore promisit Christus Marci 16. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eÿcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Et hæc quidem signa impleta sunt in Apostolis. Nam Act: 16. Paulus Mulierem Lydiam appellatam à dæmone liberauit, Act: 2. & 10. linguis nouis & varijs loquebantur. Act: 28. Paulus viperam manui adhærentem tulit in ignemq; iniecit. Ioannes venenum bibit sine nocumento. Petri vmbra curauit infirmos, & alia innumera. Atqui in Romana Ecclesia quæ nunc est miracula cessauerunt. Ergo caret prærogatiuis quibus vera Ecclesia illustratur.
36. 4. Ecclesia Romana quæ nunc est, in multis discordat ab antiqua Ecclesia, Ergo non est vera Christi Ecclesia. Conseq. Patet. ANT: multis probatur. 1. discordat in vsu Eucharistiæ quam antiquitus sub vtraq; specie populus percipiebat: quin & paruulis ministrabatur, vt patet ex antiquis Patribus, Dionysio in Ecclesiastica Hierarc. ia, Cypriano, Augustino, Gregorio & alijs. (Dionys. Cyprian. August. Gregor.) 2. discordat in vocatione, electione, & institutione ministrorum Ecclesiæ, qui antiquitus iure à populo eligebantur, vt etiam in Ambrosij electione comprobatur. 3. discordat in numero graduum Ecclesiasticorum, qui antiquitus tantùm tres fuerunt, Pontificum, Sacerdotum, & Ministrorum, vt constat ex Dionysio cap. 5. Eccles. Hierar. (Dionys.) 4. discordat in auriculari Confessione, quæ nunquam fuit in vsu antiquæ Ecclesiæ, quin etiam aliquando à Nestorio Constantinopolitano Patriarcha tanquam surreptitiè inuecta, explosa fuit & abrogata.
37. 5. Christi vera Ecclesia, seruat legem & præcepta Christi. Atqui Romana quæ nunc est, non seruat legem & præcepta Christi, Ergo. MIN: Lex & præceptum Christi est, non habere possessiones & dominatus temporales, Matth. 10. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in Zonis vestris.* Matth. 20. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.* Exemplo suo id Confirmabat Luc. 9. *Filius hominis non habet vbi reclinet caput*: idq; Apostoli seruauerunt. Matth. 19. *Ecce nos re-*

liquimus omnia. Act: 3. claudo à Natiuitate dixit Petrus. *Argentum & aurum non est mihi.* 2. cor. 6. *Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes.* Atqui Ecclesia Romana multas possessiones & dominatus habet. Ergo non seruat legem & præcepta Christi. 6. Synodus Smalchaldica ex Lutheranis collecta, ita argumentatur. In vera Christi Ecclesia, non debet esse doctrina pugnans cum Euangelio. Atqui in Romana, doctrina Papæ multipliciter pugnat cum Euangelio, & arrogat sibi authoritatem diuinam tripliciter. 1. quia sumit sibi ius mutandi doctrinam Christi & cultus à DEO institutos, suam verò doctrinam & suos cultus vult obseruari tanquam diuinos. 2. qui sibi sumit potestatem soluendi & ligandi, non solùm in hâc vitâ, sed etiam sumit sibi ius, de animabus post hanc vitam. 3. quia Papa non vult ab Ecclesia aut ab alio iudicari, & aufert suam authoritatem iudicio Conciliorum & totius Ecclesiæ. Ergo Romana sub Papa non est vera Christi Ecclesia. In opposit: 38.

CONCLVDITVR. Ecclesiam Romanam semper Pontificiam, quæ nunc ab ALEXANDRO huius nominis septimo, Petri successore & Christi Vicario feliciter gubernatur: esse veram Christi Ecclesiam, omnium nationum, tribuum & linguarum, etiam Turcarum, est concors sensus, & commune iudicium. 39.

PATET. 1. ex Confessione Paganorum, qui solos Romanos Christianos nominant; & quoties vel Turcis, vel Tartaris, vel Saracenis, vel Persis, aut alijs quibusuis cum Christianis negotium aliquod intercedit, illi ad Romanum Pontificem legationem mittunt, tanquam ad caput Christianitatis. Et quidem magnus Cham Cublai vocatus, volens Christianam fidem suis communicari, ad Romanum Pontificem in hoc negotio misit, vt Paulus Venetus lib. 1. de Orient: Regn: testatur. Claudius Æthiopiæ rex in causa Christianæ fidei, ad Paulum tertium Romanum Pontificem aditum sibi patere curabat, vt est in epistola Damiani à Goès ad Paulum tertium. Patet ex confessione hæreticorum, nam Cataphryges à Zephirino Romano Pontifice pacis & communionis literas petierunt, vt est apud Euseb. lib. 5. cap. 15. & Tertull. aduersus Praxeam. Macedoniani à Liberio Romano Pontifice volebant in communionem recipi, scribit Socrates lib. 4. cap. 11. Celestius se iudicandum Innocentio Romano Pontifici deuouet, testatur S. Aug. lib. 2. contra Pelagium & Celestium cap. 7. Lutherus anno secundo ab incepto schismate, prostratum se pedibus Leonis Romani Pontificis offert, in quo

Turcæ. Tartari. Saraceni. Persæ. Cham Cublai. Paulus Venet. Claudius. Æthiops. Damian. Cataph. Euseb. Tertull. Macedon. Socrat: Celestius. August. Luther.

agnoſcit veram Chriſti Eccleſiam eſſe, cui Romanus præſidet Pontifex.
Caluin. Caluinus quoq; in ſuis inſtitutionibus cap. 8. fatetur Eccleſiæ Romanæ etiam ab antiquis magnum honorē delatum eſſe, eamq; tenaciſſimam eſſe doctrinæ ſemel traditæ. Ergo ex confeſſione etiam externorum Romana Eccleſia, eſt vera Chriſti Eccleſia.

40. DEINDE. Datur neceſſariò vera DEI in terris Eccleſia, ſed nulla ex ſectis tàm nouis quàm antiquis, Ergo Romana quæ nunc eſt, MAI. patet, tùm quia ſaluantur homines qui ad hunc finem ſunt conditi, Pſ. 88. *Nunquid vanè conſtituiſti omnes filios hominum?* Vanè autem conſtituiſſet, niſi aliqui ſaluarentur, qui non poſſunt ſaluari niſi in vera Eccleſia: tùm quia Chriſtus promiſit ſe fore omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi cum vera Eccleſia ſua. Ergo vera Chriſti Eccleſia omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi eſt in terris. MIN: probatur inductione, & in primis, quòd ex ſectis nouis nulla ſit vera DEI Eccleſia, iam ſuperiore articulo oſtenſum eſt, de Lutheri & Caluini, iſtæ enim ſunt nouæ ſectæ. De antiquis etiam res
Cerinth. manifeſta, quia iam non ſunt, ſed penitus interierunt, vt Cerinthianorum,
Ebion. Ebionitarum, Valentinianorum, Marcionitarum, Arianorum, & aliorum,
valent. Marcion. quarum vix iam aliquæ particulæ remanent exiguæ. De Mahumetana ſecta
Arian: ſi quis fortè ambigat, clarum eſt, non poſſe dici veram DEI Eccleſiam, quæ
Mahumet. tot errores & impietates continet, vt paſſim referunt ſcriptores. Bernardus
Lutzenb. Bellarm. Lutzenburg: lib. 2. lit. M. Bellarm: de notis Eccleſiæ cap. 11. Sander. lib. 7. Monarch. ad annum 647. & alij. Idem iudicium de ſecta Iudæorum. Deniq; de ſectis Paganorum falſos deos imò dæmonia colentium ipſa ratio conuincit inter eos non eſſe veram DEI Eccleſiam.

41. PRÆTEREA. Cuicunq; cœtui vel congregationi conueniunt ea omnia, quæ de vera Eccleſia per ſcripturas prædicta ſunt, ille cœtus & congregatio eſt vera Chriſti Eccleſia. Atqui Romanæ Eccleſiæ quæ nunc eſt, conueniunt ea omnia quæ in ſcripturis, de vera Eccleſia prædicta ſunt. Etenim quidquid ſingulare & eximium vel per Prophetas, vel in noui teſtamenti ſcripturis, de Chriſti Eccleſia prædictum eſt, hoc totum in Eccleſia Romana tàm perſpicuè cernitur, vt neceſſe ſit, aut nullam in terris Eccleſiam Chriſti per aliquot ſæcula extitiſſe, quæ ſcripturarum prædictionibus plenè reſponderit, aut eam potiſſimum fuiſſe Romanam Eccleſiam, Ergo. MAI: manifeſta. MIN: vlteriùs declaratur. Sunt enim ſex ſingulares & eximiæ prærogatiuæ Chriſti Eccleſiæ in ſcripturis aſſignatæ, quæ omnes tàm excellenter conueniunt

niunt Romanæ Pontificiæ vt nulli alteri. 1. quòd sit Sublimis, Isai. 2. & Micheæ, 4. *In nouissimo dierum erit mons domûs Domini, Præparatus in vertice montium & sublimis super colles, & fluent ad eum populi.* Domus Domini est Ecclesia, 1. Tim. 3. *Domus DEI viui.* Mons domûs Domini est ipse locus in quo domus Domini, seu Ecclesia collocatur: & quis iste mons excelsus in quo Ecclesia collocatur, nisi maxima & celeberrima multitudo populi? maximæ autem & celeberrima multitudo populi in amplissimis quibusuis regnis & vrbibus reperitur. Post Christi autem aduentum, nulla vrbs aut regnum sublimius Romano imperio: sequitur proinde Romanum Ecclesiam omnes alias facile sublimitate vincere, in eaq; impleta vaticinia Prophetarum de sublimitate, quod singulari modo posita sit in vertice montium, & eleuata super colles. 2. Prærogatiua, quòd Ecclesia debeat esse Clara. Ps. 88. *Thronus eius sicut sol, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Ps. 18. *In sole posuit tabernaculum suum.* Et thronus & tabernaculum Christi, est eius Ecclesia, Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Ciuitas supra montem posita est Christi Ecclesia, quæ Apoc. 21. *in quadro dicitur posita.* S. August. August: lib. 13. contra Faustum. cap. 14. dùm quærit quod sit manifestum iudicium veritatis, respondet ipsam esse Ecclesiam, quæ omnibus eminet & apparet: porrò in vniuerso mundo, nulla Ecclesia vnquam clarior fuit Romanâ, quam maximam, antiquissimam, & omnibus cognitam, à duobusq; gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundatam & constitutam docet Irenæus lib. 3. cap. 3. Iren. Omnibus inquam cognita Romana Ecclesia, *nam nulla gens ignorauit quod Roma didicit*, ait S. Leo Serm. 1. de Ss. Petro & Paulo, S. Leo. cuius originem, progressum & successionem, acta & dicta, tanta diligentia omnes historici, tàm Græci quàm Latini describunt, vt nullius pari studio. 3. Prærogatiua, latitudo seu amplitudo. Gen: 22. Abrahæ dictum. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ:* benedictiones istæ in vera Ecclesia explicandæ procul omni dubio, Ps. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et, *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.* Et, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Iam Romana Ecclesia omnibus gentibus semper prædicauit & prædicat Euangelium, Alexandriæ per Marcum Euangelistam Petri discipulum, Africæ quoq; vt Tertull. de præscript: d. Poloniæ per Adalbertum & alios, Germaniæ per Bonifacium Martyrem. Russiæ per Vilibaldum, & alijs gentibus alij prædicatores annunciabant & adhuc annunci-

-ant Christum, à Romano tamen missi Pontifice: 4. Prærogatiua successio & perpetuitas. Ps: 88. *In æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generationem & generationem sedem tuam.* Ephes: 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum,* &c, Porrò nullibi clarior successio & perpetuitas quàm in Romana Ecclesia: clarissimè enim ab Apostolis vsq; ad nos deducitur successio Romanorum Pontificum, per quod confundantur omnes hæretici est necesse, vt videre est apud Tertull. in præscript: & August: contra partem Donati, quem in Ecclesia Catholica Romana tenuit suo tempore quadraginta Pontificum Romanorum successio. Nosquoq; tenet eadem successio vsq; ad Alexandrum VII. feliciter modernum continuata. 5. prærogatiua Ecclesiæ est vnitas & Confessio in vna fide & doctrina fidei, Ps. 67. *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Iren: 32. *Dabo eis cor vnum, & viam vnam.* Act. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum vnanimiter.* Et cap. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna,* 1. Cor. 11. *Obsecro vos vt idem omnes dicatis, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma.* In Romana Ecclesia, idem semper creditur & docetur, nunquam fides aut doctrina fidei mutatur, sed omnibus modis præcauetur, ne aliquid posteris tradatur, quòd à Patribus non sit acceptum, vt testatur Vincentius Lyrinen: cap. 42. Et profectò qui diuersa hominum ingenia, mores, linguas, ritus legesq; exactè perpenderit, planè videbit nihil admirabilius in tota Ecclesia esse, quàm quod in tot gentibus, tantopere diuersis inter se, tamen eadem fides, velut vna corde creditur à populis, quasi vno ore prædicatur à Pastoribus, vna manu conscribitur à Doctoribus. Vehementer id elucet in Ecclesia Romana, vnde verò hæc vnitas tanta, nisi quia sub vno pastore visibili in terris Christi Vicario, omnes eisdem reficiuntur pascuis? hic enim vnitatem omnem conseruat in ouili Christi, de quo Cyprianus de simplicitate prælat. *Vt Christus vnitatem manifestaret, vnitatis eius Originem ab vno Petro incipientem sua authoritate disposuit.* Et Hieron: contra Iouin: *Inter duodecim* inquit *vnus eligitur, vt capite constituto schismatis occasio tollatur.* Certe apud hæreticos nihil consonum antiquitati, sed & ipsæ nouitates inter se longe diuersæ, quin etiam Caluinus in suis Instit: dùm oppugnat Catholicos, oppugnare se fatetur totam simul antiquitatem, ex quo sequitur Catholica dogmata antiquitati esse consentanea. 6. prærogatiua veræ Ecclesiæ, sem-

Tertull. August. Lyrinen. Cypr: Hieron: Caluin.

per aduersarijs suis esse superiorem, & quò magis oppugnatur, eò magis vincit, sicut aurum in igne magis rutilat, Ps. 128. Ecclesia dicit. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi*, nempe domus est supra petram ædificata, proinde etiamsi descenderit pluuia, venerint flumina, flauerint venti, & irruerint in eam, non cadit, Matth. 7. imò cap. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Vnde & Paulus 1. Tim: 3. Ecclesiam dixit esse Columnam & firmamentū, veritatis. Id singulariter in Romana apparet, nulla enim persecutiones tantas, & tamdiu sustinuit, fortiter tamen omnia pertulit & superauit; nec enim illi persecutores aut fidem labefactare, aut Pontifices è Cathedra Petri exturbare & exterminare potuerunt, quod certè non contemnendum miraculum in protegenda à Christo Romana Ecclesia.

Thomas Bozius lib. 20, de Eccl. cap. 2. &10.

42. INSVPER. Ecclesiæ Romanæ Pontificiæ quatuor illæ notæ in Concilijs consignatæ conueniunt, ita semper, vt nulli vnquam alteri: scilicet quòd sit Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica. Ergo Romana Pontificia, est vera Christi Ecclesia. Conseq. manifestum, quia illæ notæ constitutæ sunt ad inueniendam, cognoscendam & discernendam veram DEI Ecclesiam, ANT: clarè patet ex supra dictis. Est enim Vna, tùm propter vnitatem & consensionem in fide; tùm propter vnitatem formæ semper permanentis, nempe regiminis, quod in ea semper est Monarchicum, nam Ecclesia semper ab vno gubernata fuit, ab vno Christo, ab vno Petro post Christi ascensionem, ab vno semper Pontifice Petri successore. Est Sancta, propter sanctitatem doctrinæ, in qua nihil impium, vt apud sectarios multa impia docentur: nam Lutherani dicunt infantem, dùm baptizatur vti ratione, audire verbum DEI, credere actu, Christum vbiq; esse secundùm humanitatem. Caluinistæ ita omnia absoluta necessitate euenire, DEVM esse authorem & causam peccatorum, vtriusq; sectæ dogma est, hominem sola fide speciali iustificari. Est etiam Romana Ecclesia Catholica, quod statim sequenti articulo ampliùs declarabitur. Est deniq; Apostolica, quia & doctrinam Apostolorum retinet, & successionē Episcoporum cœptam ab Apostolis, vt patet deductione plurimorum. Dorothei in Synopsi, Eusebij, lib. 3. cap. 4. Epiphanij hæresi, 27. Optati lib. 2. de schismate Donatistæ, Augustini epist: 165. & aliorum.

Doroth. Euseb. Epiphan. Optat: August.

43. DENIQ;. Illa vera est Ecclesia Christi, in qua implentur promissiones à Christo factæ Petro: nam pro vera Ecclesia Christus Petro promisit. Atqui in Romana Pontificia implentur promissiones à Christo factæ Petro: scilicet quòd portæ inferi non præualeant aduersus eam, quòd non deficiat fides eius:

nam in alijs Ecclesijs vacillasse fidem experti sumus, vsq; adeo, vt non so-
Antioch. lùm heretici, sed etiam hæresiarchæ in ipsis sederint. Nam in Antiochena
Ierosolym. sedit Paulus Samosatenus; in Ierosolymitana Ioannes Origenista, in Alexan-
Alexandr. drina Dioscorus: in Constantinopolitana Nestorius & Macedonius. Ro-
Constanti-nopol. mana autem Ecclesia stabilis & immobilis semper in fide perseuerat, quam
Cypr. nulla vnquam hæresis occupauit, vt S. Cyprianus testatur lib. 1. epist: 3. Et
Hieron. S. Hieron: lib. 3. Apolog: contra Ruffin. *Scito Romanam fidem Apostolica vo-*
ce laudatam, eiusmodi præstigias (id est hæreses) *non recipere, etiamsi Angelus ali-*
ter annuntiet, quàm semel prædicatum est, Pauli authoritate munitam non posse mutari,
Nazian. Gregor. Nazian: in carmine de vita sua. *Vetus* inquit *Roma ab antiquis tempo-*
ribus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut docet vrbem, quæ toti orbi
Theodor. *præsidet, semper de DEO integram fidem habere.* Theodoretus in epist: ad Rena-
tum Presbyterum. *Tenet ista sedes gubernacula cuncti orbis terrarum, cùm propter*
alia, tùm quia semper hæretici fætoris exors permanserit. Cardinalis Hosius in
Confessione Catholicæ fidei cap. 28. *Sola* inquit *Romana Ecclesia, quam ab*
exordio fidei Christianæ normam accepit, in ea semper illibatè permansit. Defecit
Ierosolymitana Ecclesia, cui præsidit Iacobus, defecit Achaia, vbi Andreas:
defecit Asia, vbi Ioannes: defecit India, vbi Thomas: defecit Persis, vbi Iu-
das: defecit Æthiopia, vbi Matthæus: defecit Phrygia, vbi Philippus: de-
fecit Græcia, vbi Paulus, &c. Rectè proinde dicunt, qui docent Romanam
Ecclesiam totam errare non posse in fide, tametsi vnusquisq; fidelium seor-
sim errare possit, errare inquam non posse etiam particularem Romanam Ec-
Bellarm: clesiam, docet Bellarm: lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. persistente sci-
licet Romæ Apostolica sede, quam inde auferri non posse, probabilissimam di-
cit esse sententiam, siquidem tamdiu iam manet Romæ, non obstantibus in-
finitis perturbationibus & occasionibus inde transferendi, tùm prioribus sæ-
culis, tùm posterioribus.

44. VLTIMO. Illa est vera Christi Ecclesia quam ipse fundauit, Ps. 47. *DE-*
VS fundauit eam in æternum. Et Ps. 86. *Ipse fundauit eam altißimus.* Atqui Ro-
Eccl[esi]a supra Petri fundata manam Christus fundauit. Ergo Romana est vera Christi Ecclesia. MIN:
Christus super Petrum fundauit Ecclesiam suam, iuxta illud Matth. 16. *Su-*
per hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, vbi omnes antiqui Patres, per Pe-
Origen: tram, intelligunt Petrum, ita Origen: Homil. 5. in Exod. Athanasius in epi-
Athanas: stola Synodi Alexandrinæ ad Felicem Papam, Basilius lib. 2. contra Euno-
Basil. Chrysost. mium, Chrysost: Homil. 55: in Matth. Ambrosius in hymno Petrum vocat
Ambros.

Petram Ecclesiæ, Tertull. de præscript: Hilarius in cap. 16. Matth. Concilium etiam Chalcedon: Petrum appellat Petram & crepidinem Ecclesiæ. Atqui Romana Ecclesia super Petrum fundata est. Ergo Romanam Christus ipse fundauit, Min: In qua Ecclesia perseuerat sedes & Cathedra Petri: illa super Petrum fundata est, Atqui in Romana hactenus perseuerat sedes & Cathedra Petri, quam ibi fixit, Optatus lib. 2. contra Permenianum. Negare inquit non potes, scire te in vrbe Roma Petro primùm Cathedram Episcopalem esse collocatam, August: lib. 2. contra Petilianum cap. 51. Cathedra inquit tibi fecit Eccesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet, Marcellus 1. in epist: ad Antiochenos, Petri sedes primitùs apud vos fuit, quæ iubente Domino Romam translata est. Et Confirm: quia antiqui Patres Cathedram & sedem Petri pro vera Ecclesiæ nota habuerunt, vt Optatus lib. 3. contra Donatistas, Hieron: epist: 58. ad Damasum, Cypr. lib. 1. epist: 8. & alij. Tertull. Hilar: Concil. Chalced. Optat. August: Marcell. Optat. Hieron. Cypr.

Postremò. Illa est vera Christi Ecclesia, quæ in hoc mundo testimonium perhibet de Christo, Ioan: 16. *Et vos testimonium perhibebitis de me.* Act: 1. *Eritis mihi testes*; &c. quæ in gentibus multis tot iam sæculis regnauit, Ps. 102. *Regnum ipsius omnibus dominabitur.* Ps. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum:* quæ tot Episcoporum Cathedras, tàm stabiles tanto tempore exhibuit: quæ in Conciliis Oecumenicis toties conuenit, errores hæreticorum damnauit: quæuè Christum Deum & hominem tanto consensu, tamdiù in ouili vno, sub vno Pastore primo confessa est. Atqui hæc est Romana semper Pontificia, Ergo illa vera Christi Ecclesia, Mai. manifesta, Min: per singula declaretur. Quantùm ad testimonium, Romana semper Pontificia vera fide testimonium verum Christo semper exhibuit, vt pote in qua nunquam aliqua hæresis fuit, Cyprian: lib. 1. epist: 3. Ambros. epist: 81. *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana semper intemeratum custodit & seruat.* Ruffin: in symbolo. *Hæresis nulla in Ecclesia vrbis Romæ sumpsit Exordium.* Irenæus longè ante istos lib. 3. cap. 3. dicit eandem fidem viuificatricem ad sua vsq; tempora cōseruatam in Ecclesia Romana. Quantùm ad Regnum Ecclesiæ Romanæ in gentibus, res est euidens, tùm quia in omnibus gentibus fructificat, tùm quia vniuersus orbis semper agnouit primatum Romanæ Ecclesiæ. Agnouit Oriens, vt testatur Sozomenus lib. 6. cap. 22. Agnouit Assyria Orientalis, cuius Patriarcha coram Pio Quarto Romano Pontifice, fidei Professionem emisit. Agnouit Africa nam S. Cyprianus Affer lib. 45. Cyprian. Ambros: Ruffin. Iren. Sozomen. Cyprian.

1. epist: 3. Cathedram Petri effecisse testatur, vt Ecclesia Romana esset Principalis Ecclesia, vsq; Sacerdotalis vnitas ex illa oriretur. Vno verbo omnes gentes & populi in Regno Christi, Romanum Pontificem Vicarium agnoscunt: tùm quia Romanus Pontifex ius semper habuit in totius orbis Episcopos, quos etiam ad Concilium cogebat: tùm quia Romanus Pontifex mittit prædicatores per vniuersum orbem: tùm quia Romanus Pontifex legatos cum potestate ad remotas gentes mittit. Quantùm ad conuentum in Concilijs & damnationem hæreticorum, id vel Sole clariùs elucet, Romanam Ecclesiam sententiam contra hæreticos semper tulisse. Nam Arius in Concilio Nicæno damnatus, authoritate Syluestri Romani Pontificis, Macedonius in secunda Synodo Oecumenica Constantinopol. authoriate Damasi Romani Pontificis, Nestorius in Ephes. Synodo authoritate Celestini, Dioscorus in Synodo Chalcedon. per sententiam Leonis Primi depositus, Lutherus à Leone decimo damnatus, deinde à Concilio Oecumenico Tridentino singulis eius hæresibus anathema dicitur.

Arius. Macedon. Nestorius. Dioscor. Lutheri

46. Adhvc. Sola Romana Pontificia semper est visibilis, aspectabilis, clarissima & amplissima. Ergo illa est vera Christi in terris Ecclesia, Conseq. patet ex supra dictis, vbi ostensum est, veram Christi Ecclesiam debere esse visibilem, aspectabilem, clarissimam & amplissimam, Ant: declaratur, quia sectæ hæreticorum non semper fuerunt: nam neq; Theobutis, neq; Simonis Magi, neq; Cerinthi, neq; Valentini aut Marcionis aliorumq; hæresiarcharum semper fuerunt, sed à suis institutoribus ortum sumpserunt, à quibus & denominationem, hoc enim proprium est hæresum, vt sub certo nomine suorum scilicet fundatorum, certo loco & certo tempore ebulliant, vt docent Vincent: Lyrin: Lutheri etiam & Caluini non semper fuit visibilis, sed aliquando ita occultam fuisse ipsi fatentur, vt omnino exstincta fuerit. Ergo sola Romana Pontificia semper est visibilis, &c. cum qua vniuersus orbis semper communicabat, atq; ad eam ex vniuerso orbe semper causa perferebantur, ipsaq; omnes componebat.

Lyrinen.

47. Ad argum: ℞. Ad 1. neg: Min: Ad prob. d. hæreticorum commentum est, solos iustos & prædestinatos esse in Ecclesia, ita quidem Wickleff, Hus, Caluinus lib. 4. instit: cap. 1. vbi docet Ecclesiam constare ex fidelibus qui sunt necessariò de numero prædestinatorum. Quod verò S. August: nonnisi prædestinatas oues dici censet, sciendum est nomen onis in scriptura aliquando solos prædestinatos significare, vt Ioan: 10. *Oues meæ vocem meam audiunt*

August.

 diunt

diunt, aliquando tamen oues significat omnes fideles in genere, qui vnius fidei communione consociantur, siue sint boni, siue mali: siue prædestinati siue præsciti, & sic vnum ouile constituunt. Iuxta hunc sensum Ps. 37. d. Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ, vbi mali notantur, quibus irascitur DEVS. Et Ezech. 34. dicuntur aliæ oues pingues, aliæ macilentæ, aliæ integræ, aliæ confractæ: aliæ sanæ, aliæ infirmæ: id est iusti & peccatores, inter quos alij reprobi, alij prædestinati. Deinde in vno ouili non solùm sunt oues, sed etiam hædi, qui proinde separabuntur ab ouibus, vt Matth: 25. dicitur.

INSTABIS. Hac ratione etiam hædile appellari debet, non verò ouile, 48.
& quidem ampliùs, cùm sit maior numerus hædorum quàm ouium, reproborum quàm electorum, iuxta illud, Multi sunt vocati, pauci verò electi. ℞. etiamsi hædi permisceantur ouibus, imò ampliori etiam numero, non tamen hædile sed ouile appellatur. Ratio quia dominationes vt plurimum à meliori parte sumuntur, ita enim triticum dicimus, etiamsi magna pars sit lolij, siliginis aut similium.

Ad 2. ℞. neg: MIN: Ad prob. d. pulchrè aduertit D. Thomas 3. p. q. D. Thom.
8. ar. 1. ad 2m. in Metaphoricis locutionib⁹ non oportere attendere similitu- 49.
dinem quoad omnia, sic enim non esset similitudo sed vt veritas: deinde sicut in corpore Physico & vero duplices partes sunt distinguendæ, partes formales & partes materiales, seu aliæ quæ requiruntur ad veritatem naturæ, aliæ quæ non requiruntur, vt sunt partes nutrimentales: ita quoq; in corpore Mystico seu morali istæ partes distingui debent. Itaq; sicut verum & Physicum corpus Christi saluum est & gloriosum quoad omnes partes formales, non tamen quoad omnes materiales, quæ fluebant & mutabantur in ipso, sicut in quouis viuente: ita etiam corpus mysticum saluum & gloriosum futurum est, quoad omnes partes formales, vt sunt Apostoli, Prophetæ, Martyres, &c. non tamen quoad omnes partes materiales, quæ sunt homines singulares.

Ad 3. ℞. neg: MIN: Ad prob. d. 1. miracula non sunt adeo coniun- 50.
cta cum Ecclesia, vt sine ipsis vera Ecclesia esse non possit, nam tempore Antichristi erit procul dubio vera Ecclesia, virtus tamen miraculorum tunc desinet, vt S. Gregor: lib. 4. Moral. cap. 32. Et S. Cyrill. Catechef. 15. di- Gregor:
cunt. In principio quidem Ecclesiæ erant miracula necessaria, non sic mo- Cyrill.
dò, tùm quia iam modò Ecclesia est sufficienter fide firmata; tùm quia sic ex-

 pedit

pedit propter amplius fidei meritum: tùm quia iam illa priora miracula sufficienter adstruunt fidem Ecclesiæ, d. 2. falsum esse nunc Ecclesiam omnino esse sine miraculis cum singulis ætatibus in Ecclesia Romana, multi sancti miraculis claruerint. Sed missis prioribus sæculis, etiam his nouissimis res est manifesta. Nam sæculo duodecimo S. Bernardus pluribus miraculis fuit illustris, sæculo decimo tertio S. Franciscus, S. Dominicus, S. Thomas de Aquino, S. Bonauentura, & alij. Posterioribus etiam sæculis, S. Catharina Senensis, & alia Vastanensis, S. Vincentius, S. Ignatius Loiola, S. Franciscus Xauerius B. Ioannes Cantius, & in dies per alios piè viuentes, tot miracula DEVS operatur in Ecclesia eadem Romana.

51. Ad 4. ℞. neg: ANT: Ad prob. d. 1. Quantùm ad communionem sub vtraq; specie, hæretici tantopere eam vrgent & defendunt, non quòd iudicent eam ad salutem necessariam. sed id faciunt in contemptum Ecclesiæ docentis sufficere ad salutem sub vna specie communionem. Et si illis primis persecutionis temporibus, alicubi ad calicem admittebantur laici, vt Corinthi & alibi, causa tunc rationabilis exposcebat, nempe vt animarentur pati pro Christo commemoratione effusi sanguinis ipsius, quam effusionem euidentiùs calix significat. Tùm etiam, conatus hæreticorum defendentium communionem sub vtraq; specie eo tendit, vt assuefaciant populum contemnere decreta Conciliorum. Certè in nostra Polonia nunquam fuisse morem apud populum communionis sub vtraq; specie, testatur Cardinalis
Hosius. Hosius in Dialogo de Communione. Sed neq; in vniuersa Ecclesia fuit mos aliquando communicandi populum sub vtraq; specie sed in aliquibus dunta-
Bellarm. xat locis per aliquod tempus viguit. Ordo etiam Romanus apud Bellarm: lib. 4. de sacram: Eucharistiæ publicum vsum vnius tantùm speciei ostendit in Ecclesia Romana. Quòd verò in aliquibus Ecclesijs vti commemoraui dicitur populus de calice bibisse, id optima coniectura ad eum modum factum fuisse, ibidem Bellarm: censet quo fiebat in Ecclesia Romana, vbi vt refert ordo Romanus, sanguis Domini in paruo calice (vbi etiam nunc fit) consecrabatur, deinde pro communione populi ex ipso aliqua gutta in magnum calicem vino & aqua plenum mittebatur, qui calix sæpiùs implebatur vino secundùm exigentiam populi atq; hac ratione calix ille dicebatur sanguinis Domini. Itaq; vsus communionis popularis, sub vna specie ex antiquo in Ecclesia fuit, nec pugnat cum scripturis aut Christi institutione ac præcepto, vt præsumunt hæretici. Imò ex communione laicali sub vtraq;

ſpecie plurima incommoda ſequerentur: tùm quia impoſſibile eſſet præceptum ad implendum multis in locis, vbi frequens eſt populus & vnus duntaxat Sacerdos: tùm quia id non poſſet ſine irreuerentia crebra fieri: tùm multis incultis quàm etiam infirmis miniſtrando: tùm quia multi naturaliter abhorrent ab vſu vini, & alia multa incommoda, propter quæ non obligauit Chriſtus populum ad communionem ſub vtraq; ſpecie, Eccleſia quoq; ſapientiſſimè ea conſiderat, dùm vetat communionem ſiue vſum calicis populo. Iam quod ad communionem paruulorum attinet, iure meritò Eccleſia iudicauit non expedire paruulis Euchariſtiam miniſtrare: tùm quia non ſtringuntur vllo præcepto ad communionem, tùm quia periculum maximum eſt alicuius irreuerentiæ, quamuis percipientes hoc Sacramentum fructus ipſius participes efficiantur. Hinc Concil. Trid. Seſſ: 21. cap. 4. in doctrina de communione, d. paruulos vſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem. Et vltra. Neq; ideo tamen damnanda eſt antiquitas; ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit, vt enim illi Sanctiſſimi Patres, ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nulla ſalutis id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt, d. 2. Quantùm ad vocationem miniſtrorum Eccleſiæ, iam Illyricus, Madgeburgenſes, Brentius, Kemnicius & alij aſſeuerant populum ius habere in electione & miſſione miniſtrorum Eccleſiæ: aſt friuolè, cùm id ſolis Pontificibus conueniat, & Epiſcopos quidem ſolus ille mittit, qui poteſtatem habet Apoſtolicam, alios inferiores Sacerdotes ſoli ordinant & mittunt Epiſcopi, ita vt in hac parte nihil prorſus iuris populus habere poſſit. Id oſtendit euidenter nos populi Dei, & exempla maiorum, nam Aaronem & filios eius, primos ſacerdotes veteris legis, ſolus Moyſes Sacerdos & Pontifex ordinauit & conſecrauit, vt patet Leuit: 8. Moyſem autem Sacerdotem & Pontificem fuiſſe oſtenditur. Pſ. 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius*, quod ita affirmat Philo lib. 3. de vita Moyſis, d. *Hæc fuit vita obitusq; Moyſis, Regis, Legislatoris, Vatis & Pōtificis.* Idem Ss. Patres, Hieron: lib. 1. contra Iouin: Auguſt: in expoſit: Pſ. 98. Nazian: & alia. In nouo verò teſtamēto Act: 1. Matthiam in locum Iudæ ſoli Apoſtoli Principe Petro elegerunt. Act: 8. ſeptem illos Diaconos ſoli Apoſtoli orantes per manꝰ impoſitionem ordinauerunt, 2. Tim: 1. id Paulus aſſerit, d. *Reſuſcites gratiam quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum.* De cætero nullus ordinabat præter Epiſcopos, Tit. 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas

Tridentī.

Philo.

Hieron.
Auguſt.
Nazian:

gas, & constituas per ciuitates Presbyteros. Idem Confirmant Concilia, Nicænum 1. Cartaginen: 11. 111. jv. & vj. Deniq; Patres omnes asseuerant initiare sacris, non esse muneris cuiusquam nisi solius Episcopi. Quantùm verò ad electionem Ambrosij, & si quod aliud inuenitur simile exemplum, id non iuri tribuendum alicui, sed conniuentiæ & concessioni Pontificiæ. Postremò eâ ratione fieri debet etiam nunc electio ministrorum Ecclesiæ, quâ ratione Christus eligebat, qui ad informandam Ecclesiam omnia faciebat: at ille sine vllo suffragio populi elegit duodecim Apostolos & illos septuaginta duos discipulos. d. 3. Quantùm ad numerum graduum seu ordinum Ecclesiasticorum, qui septem numerantur semper ab omnibus. Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolytarum, Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum, Kemnicius in examine Concilij Trid. Sess. 23. vrget locum Dionysij Areopagitæ cap. 5. Eccles. Hierarchiæ, verum ille locus Kemnicio nihil præstat suffragij, non enim Dionysius intendit exponere numerum ordinum, quod vult Kemnicius, sed numerum Hierarchiarum, & sicut tres sunt Hierarchiæ cœlestes, prima & infima quæ purgat, secunda seu media quæ illuminat, tertia & suprema quæ perficit. Ita in Ecclesia militante est Diaconus qui purgat, Presbyter quæ illuminat, Episcopus qui perficit. d. 4. Quantùm ad auricularem confessionem, quam Erasmus negat fuisse in vsu antiquæ Ecclesiæ, item Caluinus lib. 3. instit: cap. 4. à Nestorio Constantinopolitano Patriarcha abrogatam comminiscitur, falsum est, nam fuisse illam in vsu antiquæ Ecclesiæ testatur Iren: lib. 1. cap. 9. Et lib. 3. cap. 4. item Tertull. in lib. de pœnitentia, Origen: in Leuit. & in Ps. 37. Athanas: Lactan: & alij. Falsum abrogatam fuisse à Nestorio facilius ex Historicis, Socrate, Sozomeno, & Nicephoro colligitur stabilitam, publicam autem confessionem & pœnitentiam ratione scandali ex illa oborti à Nectario abrogatam.

Nicæn: Carthag. Dionys. Iren: Tertull. Origen: Athanas. Lactant.

52. Ad 5. ℞. neg: Min: Ad prob. d. inter errores Hussitarum quartus iste numeratur, vt dicant non licere Clericis in statu nouæ legis quidquam seculariter possidere; idem placet Caluino lib: 4. Instit: cap: 11. dicit enim vetitum esse à Christo, Ecclesiasticos habere dominatus & possessiones temporales. Quod falsum est, si quidem ipse Christus habebat loculos, Ioan: 12. Vnde Beda lib. 4. super cap. Luc. 12. *Non est* inquit *hoc putandum esse præceptum, vt nihil pecuniæ reseruetur à sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum vsibus suggerenda, cum est ipse Dominus cui Angeli ministrabant, tamen ad informandam*

Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata seruans, & suorum necessitatibus alijsq; indigentibus tribuens. Deinde Act: 4. & 5. Ecclesia primitiua pecunias in communi habebat. Præterea si illi prælati Ecclesiæ, Sancti Martyres & Confessores sciuissent peccatum esse bona temporalia possidere, nunquam donationem talium recepissent, & dispensassent, vt rectè Prosper argumentatur. Prosper. Quod si concedendo possessiones in communi, negauerint autem proprium aliquid posse habere Ecclesiam, etiam hoc perperàm, nam vnusquisq; presbyter suæ Paræciæ decimas sibi propriè & non alijs possidet in communi, vnde & locare eas potest, vt Innocentius III. expresse concessit in Cap. Vestra nobis, Extra, de locato & conducto. Innocēt. 3. Hinc & Alexander III. mandat, vt si terræ quæ arabiles sunt, inter certam alicuius Alexād. 3. Ecclesiæ Paræciam fuerint, earum decimæ assignentur eidem Ecclesiæ. Consentit doctrina Doctorum, Ioannes Gerson in serm: de inuidia. d. Gerson. *Ecclesiastici statûs est dirigere ad bene operandum, vt veniamus ad finem principalis nostri præmij.* Et vltra. *Necesse est ciuilem & militarem statum sustentare eum, dando redditus vel decimas vel similes huiusmodi subuentiones.* Et Ioannes de Turre TurreCrē. Cremata lib: 2. de Eccles: cap. 116. *Licet spiritualis & temporalis iurisdictio sint distinctæ, tamen cùm non sint contrariæ, sed temporalis ad spiritualem ordinetur, ita possunt in eandem personam cadere, vt aliqua persona Ecclesiastica posit habere temporalem aliquam iurisdictionem, vel castrum, vel villam, vel aliquid aliud;* vnde tempore legis naturæ simul ambæ currebant, & omnes primogeniti Regum, Sacerdotes erant & Reges, & iurisdictionem in temporalibus & spiritualibus exercebant. Ad authoritates scripturæ ℞. Ad 1. d. non esse præceptum sed consilium, quô perfectissimam docet paupertatem, quam plurimi Anachoretæ professi sunt; deinde non est præceptum nihil omnino possidere, sed cor possessionibus non alligare, Iuxta illud Psal: 61. *Nolite sperare in iniquitate & rapinas nolite concupiscere diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Præterea si præceptum est, condicionatum est, nempè si ista impediunt & retardant ab executione iniuncti officij, deponenda sunt, sicut & illud. *Neminem per viam salutaueritis,* nam simul ista ponuntur Luc. 10. velociter enim currere debebat sermo Domini per prædicationem Apostolorum, ideô omnia impedimenta semouenda erant. Nullum ergò absolutè præceptum in verbis istis de abdicatione omnis dominij. Ad 2. Authoritatem d. non prohibet his verbis Christus dominium temporale, sed solùm instruit mores Principum Ecclesiasticarum, & docet, non debere eos vt

les sunt præesse subditis, more regum gentium, & dominorum, sed more patrum & pastorum, vt non suum commodum ex prælatione intendant, sed salutem eorum quibus sunt prælati. Cæterum non vetat prælatis dominatum qualis esse potest regum & principum piorum. Sed qualis est regum ignorantium Deum, qui tyranni potiùs sunt quàm reges. Ad 3. d. Sicut verbo docebat Christus perfectam paupertatem, ita exemplo, eam tamen noluit intra necessitatem legis & præcepti concludere. Ad 4. d. Apostoli vt religiosæ vitæ fundatores, reliquerunt omnia, vt verò prælati Ecclesiæ possidebant temporalia, quæ secundùm necessitatem dispensabant. Ad
53. 5. eadem ratione dicendum. Ad 6. Arg. ℞. Falsa sunt omnia & mendacia, quæ Synodus Lutherana obijcit; nam in primis quomodo doctrina Papæ multipliciter pugnat cum Euangelio, in probando deficit. Quòd etiam dicit Papam vsurpare sibi ius mutandi doctrinam Christi & cultus à Deo institutos, à vero multum deficit, omnes enim in Ecclesia Romana sub Papa vno ore dicunt, Christi doctrinam & cultus à Deo instiutos non posse mutari sub anathemate, tàm ab homine quàm ab Angelo. Neq; verò etiam Papa sumit sibi ius in animas defunctorum, quos non ignorat esse in manu solius Dei, pro quibus licet concedit indulgentias, non tamen per modum absolutionis ex authoritate, sed solùm per modum suffragij, vt dixi in Tractatu de potestate clauium, ad Conclus. 3. Deinde eadem Synodus Lutherana culpat Papam nolle ab Ecclesia iudicari, sed neq; probat vlla ratione debere iudicari à Concilio vel ab Ecclesia, siquidem nec Marcellinum præsumpsit iudicare Concilium Sinuessanum sed dixit, quòd prima sedes à nullo iudicatur: nam oues non possunt iudicare pastorem, nec familia Oeconomum, Papa autẽ est Pastor & Oeconomus, solius ergo Christi iudicio subditur. Sed

Concil. Sinuessan.

54. Instat eadem Smalchaldica Synodus, Constat, Papam regnare in Ecclesia Romana, & prætextu Ecclesiastica authoritatis & ministerij sibi hoc regnum constituisse, prætexit enim verba. Tibi dabo claues, Ergo regnum Papæ quod est Romana Ecclesia, non est vera Christi Ecclesia ℞. circa eandem pestilentis falsitatis oberrant Lutheram chordam. Etenim qui regnat, superiorem in suo regno non vult agnoscere, sed neq; socium, Papa autem humiliter agnoscit Christum superiorem se in Ecclesia, se verò Vicarium, & famulum, qui licet in regno Christi amplissima vtatur potestate, illa tamen est Oeconomi & serui potestas. Ex quo manifestè liquet Synodum istorum congregatum, non ad verum indagandum, sed ad obstrependum &

contradicendum ijs, quæ à Spiritu veritatis sunt ordinata & constituta; ad calumniandum & spiritu Satanæ aduersandum, liuore eorum qui dixerunt. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.

VRGENT. adhuc. Hæc quæ nunc est Romana, diuersa est ab ea ad quam scripsit Paulus, & cuius fidem laudauit, Ergo hæc quæ nunc est Romana non est vera Christi Ecclesia. ℞. ita de popularibus aliquos audiui obtrectantes, nullam tamen cui possent inniti rationem diuersitatis ostendebant, proinde decipi eos sua persuasione quis non uidet? nulla enim multitudo Christianorum vspiam in mundo congregata fuit, quæ iam inde à prima Petri in Vrbem Romanam accessione, & à Pauli prædicatione vsq; in hodiernum diem, tàm longa ab omni occultatione abfuerit, tamq; clarè lumen præbuerit: tùm ijs qui prius fuerunt fideles, tùm etiam barbaris gentibus, quæ ad fidem Christianam deinceps conuertendæ fuerunt: tàmque vna semper indiuisa, eandem formam & speciem regiminis retinens, quàm Ecclesia Romana, quæ etiam nunc est Pontificia. Manifestè iam constat, eam quæ nunc est Romana, non esse diuersam ab ea cui scripsit Apostolus, sed per omnia eandem cum illa. 55.

ARTICVLVS IV.

V. Romana Pontificia sit Catholica Ecclesia?

AD discernendam veram Ecclesiam ab hæreticorum sectis, qui etiam suas congregationes haberi Ecclesiam Catholicam volunt, vt de antiquis testatur Lactant: lib. 4. diuin: institut: cap. 30. & August: cap. 4. contra epistolam fundamenti, proponitur præsens Articulus in quo certa ab incertis, vera à falsis, clara lux Catholica à tenebrosis hæreticorum erroribus, eruenda venit & separanda. Itaq; pro parte aduersatiua hæc videntur proponi posse. Lactant. August. 56.

1. Romanense, Pontificium, Papisticum, non est Catholicum, vt ipsæ denominationes indicant, Ergo Romana Pontificia non est Catholica Ecclesia, Conseq. tenet, quia diuersa non possunt in idem conuenire, ANT: declaratur, quia Catholicum abstrahit à certo nomine & loco. Atqui Pontificium, Papisticum & Romanense, non abstrahit à certò nomine & loco: nam Romanense locum certum scilicet Romam significat; Pontificium & Papisticum certum nomen hominis habet. Ergo Pontificium Papisticum

57. & Romanense non est Catholicum. 2. Ecclesia Catholica semper fuit: quia Catholicum etiam Vniuersitatem temporum complectitur. Atqui hæc, demonstrando Romanam Pontificiam non semper fuit, Ergo hæc Romana Pontificia non est Catholica. Min: Hæc Pontificia Romana non fuit in die Pentecostes. Ergo non semper fuit. 3. Ecclesia Catholica seu vniuersa-
58. lis ex eo etiam dicitur, quòd omnes quicunq; saluantur, intra ipsius gremium saluantur, & extra illam non est vlla salus. Atqui extra Romanam Pontificiam multi saluantur. Ergo Min: Multi Martyres sunt saluati extra, Romanam Pontificiam, Ergo extra illam est salus. Ant: quia multi non baptizati tempore persecutionis, vltrò se offerebant pati pro Christo: iam autem Romanam Pontificiam dicitur quis ingredi per baptismum. Deinde Romanam Pontificia tradit septem Sacramenta ad salutem necessaria. Atqui multi saluantur sine vsu septenario sacramentorum. Ergo. In opposi:

59. Concludıtvr. Romana Pontificia est verè Catholica Ecclesia. Patet 1. ex communi sensu omnium gentium, nationum & populorum, apud quos Catholica Ecclesia, non alia aliquando fuit habita, nisi Romana semper Pontificia: ob eamq; causam grauissimæ quæstiones in negotio fidei & Religionis, ad Pontificem Romanum semper ex toto orbe perferebantur.
Polycarp. Nam Polycarpus in primis Ioannis Apostoli discipulus, qui fuit Episcopus Smirnensis, & Princeps totius Asiæ, vt S. Hieronymus in Catalogo dicit, venit Romam, vt conferret cum Aniceto Romano Pontifice cùm de multis rebus controuersis, tùm de festo Paschatis. Item Martyres qui circa Lugdu-
Martyres. num & Viennum mortem pro Christo obibant, literis compellabant Eleutherium Romanum Pontificem, vt scribit Eusebius lib. 5. cap. 3. Eundem
Rex Britã. Pontificem Lucius Britannorum Rex per literas conuenit, vt se in Christia-
Origen. nam Ecclesiam reciperet, vt Damasus habet in Pontificali, Origenes quoque teste S. Hieronymo ad Pammachium & Oceanum, de suis scriptis rationem reddens, epistolam misit ad Fabianum Romanum Pontificem. Eundem Fa-
Episcopus Orient. bianum Orientales Episcopi de sacro chrismate consulebant, vt patet ex responsione eiusdem Pontificis, S. quoq; August: epist. 106. scribit ad sedem
August. Apostolicam, id est Romanum Pontificem à duobus Concilijs, Carthaginensi & Mileuitano missas relationes, sed quis omnia enumeret? vnde liquidò constat, omnium gentium & nationum consensu, Romanam semper Pontificiam, esse Catholicam Ecclesiam. Huc etiam faciunt peregrinationes ex vniuerso orbe & cunctis nationibus ad Ecclesiam & sedem Romanã susceptæ. CON: V. ART. IV.

DEINDE. Id Doctorum scripta constantissimè testantur. Iren: lib. 3. cap. 3. Romanam Pontificiam vocat maximam, antiquissimam, à duobus gloriosissimis Apostolis Petro & Paulo fundatam, ad quam propter Principalitatem potentiorem dicit necesse esse conuenire omnem Ecclesiam, &c. S. Hieron: contra Lucifer: d. in illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad diem hunc durat; loquitur autem de Romana Pontificia, tunc per Damasum gubernata, S. August: contra epistolam Manichæi. *Tenet me* inquit *in Ecclesia consensio populorum atq; gentium*, &c. *tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses ista Ecclesia sola obtinuit.* Iren. 60. Hieron. August.

PRÆTEREA. Id vel ipsorum hæreticorum conuincit confessio, qui de Catholica Ecclesia interrogati Romanam Pontificiam ostendunt, vt eodem loco subiungit August: Et Cyrillus Catech: 18. 61. August. Cyrill.

INSVPER. Ecclesia Apostolica, est simul Catholica, nam quæ in Symbolo Apostolorum Catholica dicitur, eam sancti Patres in Concilijs Apostolicam nominârunt, vt scilicet omnes intelligerent quænam esset Catholica, ait Catechismus Parochorum. Atqui Romana semper Pontificia est Apostolica, quia fundata à duobus gloriosissimis Apostolis, vt Iren: dicit: retinet successionem Episcoporum cæptam ab Apostolis, vt passim Patres ostendunt, præter Irenæum, August: loco prædicto, Tertull. in lib. de præscript: Euoluant inquit ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquis ex Apostolis vel Apostolicis viris fuerit, sicut Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum profert. Epiphanius hæresi 27. Episcoporum inquit Romana successio hanc consequentiam habuit, Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, Alexander, &c. Optatus lib. 2. contra Parmen: Negare inquit non potest, scire te in Vrbe Roma Petro Primùm Cathedram Episcopalem esse collocatam. Hinc Sozomenus lib. 4. cap. 14. Non sine diuina inquit prouidentia factum est, vt mortuo Felice, solus Liberius Romanæ Ecclesiæ præesset, ne Petri sedes vlla infamiæ macula aspergeretur. 62. Catechis. Paroch. Iren. August. Tertull. Epiphan. Optat. Sozomen.

DENIQ; Catholica Ecclesia est, in qua docetur & tenetur id, quod vbiq;, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc enim verè proprieq; Catholicam, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, ait Vincentius Lyrinen: cap. 3. nam vt idem explicat, Catholica fides constat. Vniuersitate, antiquitate, consensione, porrò vniuersitas in eo consideratur, si hanc fidem vnam, veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. An- 63. Lyrinen:

tiquitas verò si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sancti maiores & Patres nostri celebrârunt. Consensio tandem, si in ipsa vetustate omnium vel penè omnium Sacerdotum & Magistrorum definitiones & sententias sequamur. Hæc ille. Ex quo sequitur euidenter, Romanam semper Pontificiam esse Catholicam Ecclesiam, in ea enim creditur id quod vbiq; credebatur, quod semper quod ab omnibus: idq; exemplificari potest, cùm omnibus, tùm verò breuitatis causa illis tribus credendis, scilicet Sacrificio Missæ. Inuocatione sanctorum, & Purgatorio post mortem: quæ doctrina Catholica esse ex hoc triplici fonte, quia per omnia loca, omnia tempora, omnes nationes diffusa, semper eadem & inuariabilis, per singula contra hæreticos patet. QVANTVM ad PRIMVM. CREDENDVM, id est Sacrosanctum Missæ sacrificium, id vbiq; semper, & ab omnibus creditum est. VBIQVE. quia ita

64. credidit tota per orbem terrarum Ecclesia. Nam quicunq; erant veri fideles vbiq; terrarum, in Oriente, Occidente, Meridie, Septemtrione, in Ægypto, in Phrygia, in Mesopotamia, in Æthiopia, in Indijs, & vbiq; gentium, in Missæ actione verum & propriè dictum, propitiatorium & impetratorium, legis nouæ sacrificium offerri credebant. In Oriente ita creditum esse testatur

Basilius. S. Basilius, cùm in Liturgia ita orat. *Dignos efficito nos, qui puro, corde stemus coram te, tibiq; ministremus & offeramus sacrificium hoc reuerendum, ad abolenda*

Chrysost. *delicta nostra, & pro piaculo populi* DEI, S. Chrysost: Homil. 17. in epist: ad Hæbr. *In multis locis offertur, non plures Christi, sed vnus vbiq; Christus, hic & illic*

Cyrill. *plenus existens, vnum corpus non plura corpora.* Cyrill. Catechis. 5. Mistag: *Christum pro peccatis nostris offerimus mactatum, vt & nobis & illis eum, qui est benignissi-*

Hieron. *mus propitium reddamus.* In occidente ita creditum esse ostendit S. Hieron: ad Marcellam d. *Recurre ad Genesim, & Melchisedech Cagem Salem inuenies, qui iam tum in typo Christi, panem & vinum obtulit, & Mysterium Christianum in Salua-*

Ambros. *toris Sanguine & corpore dedicauit.* Ambros: lib. 5. de Sacramen. cap. 1. *Cognouimus Sacramentorum istorum figuras præcessisse Abrahæ temporibus, quando ob-*

Cypr. *tulit Sacrificium S. Melchisedech.* Ita in Meridie creditum, S. Cyprianus testatur, qui lib. 2. epist: 3. d. *Melchisedech Sacerdos* DEI *summi fuit, quod panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos* DEI, *summi quàm Dominus noster Iesus Christus qui sacrificium* DEO *Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & san-*

August: *guinem.* S. August: quæst: 57. in Leuit: *Illis Sacrificijs vnum hoc Sacrificium significabatur, in quo vera fit remißio peccatorum, à cuius sacrificij sanguine in alimentum*

sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur. Ita in Ægypto creditum S. Athanasius in Sermone de defunct: d. *Incruentæ hostiæ oblatio, propitiatio est.* Clemens Alexandr. lib. 4. Strom: *Melchisedech rex Salem Sacerdos* DEI *altißimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Ecclesiæ.* Ita in reliquis orbis partibus creditum. Ergo vbiq; seu in tota Ecclesia. Deinde SEMPER & antiquitùs, ita creditum tempore Apostolorum, S. Andreas Apostolus coram Ægea Proconsule dixit. *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum in altari offero, cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, agnus integer perseuerat & Viuus.* S. Iacobus in liturgia, d. *offerimus tibi incruentum sacrificium, pro peccatis nostris & ignorantijs populi.* Post Apostolos S. Dionysius Areopagita in fine Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Et sæculo secundo Iren: lib. 4. cap. 32. d. *Christus suis dans discipulis Consilium, Primitias Deo offerre ex suis creaturis, vt qui ex creatura panis est, accepit & gratias agens dixit. Hoc est corpus meum.* Et vltra. *Noui* inquit *testamenti, nouam docuit oblationem.* Sæculo tertio, iam Cyprianum supra retulimus Sæculo quarto. Athanasium cum Basilio citatos, Sæculo quinto Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum & alios comperies, Sæculo sexto, ita docuerunt Remigius. Primasius & alij, Sæculo septimo S. Greg. Magnus lib. 4. Dialog: cap. 58. *Hæc* inquit *Victima singulariter ab æterno interitu animam saluat.* loquitur autem in illo capite de victima altaris, quæ ad vocem Sacerdotis in ipsa hora immolationis cœlos aperiri dicit. Et posterioribus sæculis idem docuerunt S. Bernardus, Petrus Lonbardus, Thomas Aquinas, & alij ad nostra vsq; tempora. Ergo semper & ab antiquis, Deniq; AB OMNIBVS. summo consensu ita creditum est, ab omnibus doctum, qui licet linguis fuerint diuersi, Græci, Latini, Syri & aliorum idiomatum, omnes tamen summo consensu, vna anima & vno Spiritu idem dixerunt schisma detestantes. Atq; hunc consensum vnanimem confirmat Canon Missæ in tota Ecclesia qui dicit. *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostium.* Et huius quidem Canonis meminit S. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 6. Ergo in actione Missæ offerri DEO verum & proprie dictum, propitiatorium & impetratorium nouæ legis sacrificium, est dogma Catholicum, cui oppositum est dogma hæreticum.

[Margin: Athanas. Clemens Alexand. — 65. — S. Andreas — S. Iacob. — Dionys. Iren. — Cyprian. Athanas. Basil Chrysost. Hieron. August. Remig. Primas. Gregor. Bernard. Petrus Lūbardus. Thomas Aquinas: — 66. — Can. Miss. — Ambros:]

QVANTVM ad SECVNDVM CREDENDVM. Scilicet inuocationem sanctorum, 67.

 simili

simili ratione, vbiq; semper, & ab omnibus creditum est. VBIQVE in pri-
mis, quia in omnibus locis fidelium, siue in Græcia, siue in Syria, siue Ori-
Ambros. ente, Occidente, & alijs mundi partibus. Ita quidem in Occidente S. Am-
brosius in lib. de Viduis. *Obsecrandi* inquit *sunt Angeli pro nobis, obsecrandi
Hieron: *Martyres, isti sunt nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum.* Et S. Hie-
ron: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore, constituti possunt orare pro cæteris,
quando pro se adhuc debent esse soliciti, quanto magis post coronas? aut postquam esse
Syn. Gen. *cœperunt cum Christo minùs valebunt?* In Oriente eadem fides: nam ad finem
Sectæ actionis, septimæ Synodi Generalis, *Cum timore* (aiunt Patres) DEI *aga-
mus omnia, postulantes intercessionem Deiparæ Virginis, Dominæ nostræ Mariæ item
sanctorum Angelorum, omniumq; sanctorum salutantes & venerantes eorum reliquias,
Theophil. *vt nos sanctitudinis eorum fiamus participes.* Theophilact: in Cap. 11. ad Hæbr:
*Sancti iam arrhabonem & pignus honoris habent, vnde enim eis potestas esset, vt suc-
currere queant inuocantibus se? vnde ipsis quòd fiduciam habent intercedendi.* In
Cyprian. Meridie similiter Cyprian: in lib. de mortalitate, sanctos de nostra salute di-
cit esse solicitos. Et lib. 1. epist: 1. *Si quis hinc nostrûm prior Diuinæ dignationis
celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus
August. *nostris apud misericordiam Patris, non cesset oratio.* Hinc August: lib. 7. de Ba-
ptismo contra Donat: cap. 1. *Adiuuet* inquit *nos Cyprianus orationibus suis, in isti-
us carnis mortalitate, tanquàm in caliginosa nube laborantes.* Et Serm: 18. de
sanctis, Dei Genitricem Virginem inuocat, d. *Cùm susceperis vota, culpas nostras
excusa, admitti nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antido-
tum reconciliationis, sit per te excusabile,* &c. Similiter in alijs, mundi partibus
68. hæc fides de inuocatione Sanctorum, Ergo vbiq;. Deinde SEMPER. & omni-
bus sæculis ita creditum est. Id in scripturis palam est, Gen: 48. Iacob bene-
dicens nepotibus suis, docuit super eos inuocari præsidium Angelicum &
maiorum suorum, d. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis,
& inuocetur super eos nomen meum, nomina quoq; Patrum meorum Abraham & Isaac.*
Iob. 5. *Voca si est qui tibi respondeat, aut ad aliquem sanctorum conuertere.* Exodi
32. *Recordare Domine Abraham, Isaac & Israel seruorum tuorum.* Hæc doctrina
viguit temporibus Apostolorum. Rom: 15. *Obsecro vos fratres vt adiuuetis me
in orationibus vestris pro me ad Deum.* Post tempora Apostolorum, lib. 5. cap.
Iren. 19. Irenæus, MARIAM Virginem nominat Euæ aduocatam, & ante eum Dio-
Dionys: nys: Areopagita cap. 7. Eccles. Hierarch. dum inuocamus sanctos, hortatur
Cyprian. ad imitandum. Post istos sæculo tertio Cypr: qui supra memoratus est, Sæ-

culo quarto S. Athanasius in serm: de Annuntiat: d. *Ad te clamamus recordare nostri sanctissima Virgo.* Gregor: Nazian. in Orat: 8. 18. 19. Basilium, Athanasium, Cyprianum iam defunctos inuocat. Sæculo quinto, sic Homil. 66. Populum Antiochenum docebat S. Chrysost. August: in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. Et serm: 30. de sanctis inuocat Sanctum Laurentium. Et hæc antiquitas ad nostra vsq; tempora peruenit. Deniq; summâ consensione id docuerunt OMNES Catholici Doctores, Græci, Latini, aliorumq; idiomatum, vt res de se manifesta est. Ergo ab omnibus nationibus & linguis id creditum est, atq; ita de inuocatione sanctorum est dogma Catholicum, eiusque oppositum est dogma hæreticum, quod fuit Vigilantij, nunc Lutheri & Caluini.

Athanas: Nazian. Chrysost. August: 69.

QVANTVM ad TERTIVM CREDENDVM, nempè Purgatorium post mortem, nihilò secùs id vbiq;, semper & ab omnibus creditum est. VBIQVE inquam id doctum & creditum est, in Oriente, in Occidente, in Meridie, & alijs mundi plagis. In Oriente doctrinam istam viguisse testantur Concilia à Græcis celebrata: testantur Patres in Oriente, Gregor. Nazian: in oratione in Cæsarium, Cyrill. Catech. 5. mystag: Chrysost: Homil. 41. in 1. cor. *Iuuetur* inquit *mortuus non lacbrymis sed precibus, supplicationibus, eleëmosynis.* In Meridie idem creditum probat Concil. 3. Carthagin: cap. 29. Et Concil. 4. cap. 79. probant Patres Africani, Cypr. lib. 1. epist: 9. August: in lib. de cura pro mortuis, cap. 2. vbi refert libros Machabæorum idem continentes. Et lib. 21. de Ciuit: cap. 24. Et in Ps. 37. In Occidente idem tentum, docent Concilia Generalia. Lateranēse sub Innocentio Tertio cap. 66. Florentinum Session: vltima in decreto de purgatorio. Trident: sess: 25. Et Prouincialia Bracarense, Cabilonense, Vormatiense. Testantur Patres Occidentales, Gregor. lib. 4. Dialog: cap. 34. Ambros. lib. 2. epist. 8. ad Faustinum de obitu Sororis, Hieron: in epist. ad Pammach. de obitu Paulinæ. Deinde ANTIQVITAS istius doctrinæ omnibus sæculis nota fuit, nam in primis scripturis comprobatur vtriusq; testamenti. Nam 2. Reg: cap. 1. ieiunauit Dauid pro Saule, Ionatha & alijs in bello occisis. Et cap. 3. pro Abner interfecto. 2. Machab. 12. res est clarissima. In nouo testamēnto sunt plurimæ scripturæ, quæ doctrinam de purgatorio testantur esse Christi & Apostolorum. Vnum locum commemoro, qui est, 2. Tim: 1. vbi Apostolus pro Onesiphoro mortuo orat. d. *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die.* Post Apostolos omnibus sæculis doctrina ista prædicabatur. Nā

70. Nazian. Cyrill. Chrysost. Concil. Carthag. Cyprian. August. Concil. Later. Florent: Trident. Bracar: Cabilon. Vormat. Gregor: Ambros. Hieron. 71.

Dionyſ. Dionyſ. Areopagita cap. 7. Eccleſ. Hierarchiæ, d. *Accedens venerandus Antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit, precatur oratio illa Diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto.* Sæculo au-
tem tertio Origen: Homil. 6. in Exod. locum Apoſtoli 1. cor. 3. de purgato-
Origen: Tertull. rio explicat. Tertull. in lib. de corona militis. ſuffragia pro defunctis, ex tra-
ditione Apoſtolica docet eſſe. Sæculo quarto S. Athan: quæſt: 34. ad Antio-
Athanaſ. chum aſſerit animas defunctorum ſentire vtilitatem ex orationibus viuorum.
Hilar. Item Hilarius in Pſ. 118. Sæculo quinto Theodoretus in 1. cor. 3. Sæculo ſex-
Theodor. Boët. to Boëtius lib. 4. de Conſolatione Philoſophiæ proſa 4. pœnam purgatoriam
Bernard. aſſerit, & ſic de alijs ſæculis, ſemper idem creditum fuit, ita Bernard. Magi-
Mag: ſent: ſter ſent: lib. 4. diſt: 21. D. Thomas ad calcem ſupplementi tertiæ partis,
D. Thom. quæſtionem inſtituit de purgatorio, & omnes Scholaſtici. Deniq; OMNES ita
72. vnanimiter tenuerunt, ſiue illi fuerint Græci, ſiue Latini, ſiue cuiuſuis alteri-
us linguæ Catholici Doctores, conſenſerunt in eandem ſententiam. Ergo de purgatorio poſt mortem eſt dogma Catholicum, cuius oppoſitum eſt dogma hæreticum, quod fuit Armeniorum circa Annum 600. tempore Gregorij Magni. Et Græcorum circa Annum 984. tempore Ioannis XIV. Et Apoſtolicorum, circa Annum, 1155. tempore Adriani Quarti. vt eſt apud Sanderum lib. 7. Monarch. Et Waldenſium, circa Annum 1198. tempore Innocentij Tertij. Nunc idem dogma Lutheranorum & Caluiniſtarum. Ex quo euidenter ſequitur ipſos eſſe hæreticos, qui veterum hæreticorum dogmata & errores ex cineribus ſubleuant. Romanam verò Eccleſiam ſemper Pontificiam eſſe Catholicam, quæ omnes hæreſes expugnet & in qua ſola do-
Iren: gmata ſunt Catholica omnia, ut expreſsè docet Iren. lib. 4. cap. 64. Et
Cyrill. Cyrill. Catech. 5. Bernard. epiſt. 190.
Bernard.

73. Ad arg: ℞. Ad. 1. Ita quidem hæretici iſtiuſmodi denominationibus denigrare & exoſam reddere fruſtra conantur Eccleſiam Dei. quæ denominationes ſolùm à Germanicis Sectarijs loco ſcommatum effutiuntur, qui maledicta & improperia contra Eccleſiam torquere non ceſſant, quæ obtrectationes alibi nunquam audiuntur. nec in Aſia, nec in Africa, nec in Ægypto, nec in Indijs. Verum ipſi imprudentes, ſuis maledictis non tàm obſiſtunt Catholicæ veritati, quàm famulantur, Papiſticum quidem & Pontificium à Papa & Pontifice dicitur. Cùm autem Petrus, imò Chriſtus ipſe Papa fuerit & Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, quid veritati Catholicæ derogare poteſt iſta appellatio? Similiter Romanus & Romanenſis antiquitas idem

erat qui & Catholicus, vt patet ex Ambrosio in oratione de obitu Satyri. Ambros.
Quòd verò dicitur Romanum & Romanense non abstrahere à certo particulari loco, prorsùs abstrahit; nam sicut olim Romanis imperantibus in vniuerso orbe, ciues Romani dicebantur, non solùm qui in ipsa vrbe Romana existebant, sed etiam qui in extremis orbis partibus, sub ditione Romanorum morabantur, vt patet de S. Paulo, qui Act. 16. se ciuem Romanum esse professus est. Ita Ecclesia Romana dicitur, quæ diffusa est in vniuerso orbe, capite Romæ existéte. Quòd verò adhuc Papisticũ & Pontificiũ obtrectant, non sunt ista nomina Papa & Pontifex particulariũ hominum, sed eorum qui gubernant Ecclesiam nomine Christi; à quibus denominari non esse malum nec abominandum, docet S. Chrysost: Homil. 33. in Acta Apostol. Chrysost.

Instabis. Athanasius serm: 2. contra Arianos, d. Nunquam populus ab Episcopus suis, sed à Domino in quem creditum est, nomen accepit. Ergo adhuc malè sonat Ecclesia Pontificia seu Papistica. ℞. Conseq. non infertur ex Anteced. in quo S. Athanasius non de nomine officij, sed de nomine proprio loquitur q. d. nunquam populi dicti sunt aut Petrini à Petro, aut Pauli à Paulo, aut Iacobini à Iacobo, iuxta quem sensum 1. cor: 3. redarguit aliquos Apostolus, quorum nonnulli volebant esse Pauli, alij Apollo, alij Cephæ. Et hoc expresè ostendit S. Athanasius contra Lutheranos & Caluinistas, d. Certè à Beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus, & nuncupamur, illi verò qui aliunde originem suæ fidei deducunt, meritò auctorum suorum cognomenta præseferunt. Quare cùm à Christo omnes Christiani essemus & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos, reliqui autem qui remanserunt, Christiani titulum retinuerunt, qui verò Marcionem sæcuti sunt, non iam inde Christiani, sed Marcionistæ appellati sunt. Ita quoq; Valentinus, Basilides, Manichæus, Lutherus, Caluinus, Hus, Wickleff, & cæteri sectatoribus suis nomina tradiderunt. 74.

Ad 2. ℞. neg: Min: Ad prob. d. Hæc Pontificia Romana fuit in die Pentecostes, quamuis nondum denominabatur Romana, nam Hæc, demonstrando Romanam, semper fuit Catholica, sed non semper Romana, sicut populus ille Israëliticus, semper fuit populus Dei, quamuis non semper in Iudæa fuit, quia priùs in deserto, & ante in Ægypto. 75.

Ad 3. ℞. neg: Min: Ad. 1. prob. d. Nulli Martyres saluati sunt extra Romanam Pontificiam: nam & illi se vltrò offerebant non baptizati, 76.

iam voto & desiderio credentes erant intra Ecclesiam, quâ ratione etiam Catechumeni sunt intra Ecclesiam potentiâ si non actu. Quando ergo dicitur neminem posse saluari extra Ecclesiam Catholicam, intelligi debet iuxta hunc sensum, si videlicet nec re, nec voto sit de Ecclesia: non est autem vllo modo de Ecclesia, qui nec re, nec voto, est baptizatus. Porrò qui vel voto est baptizatus, non omnino excluditur ab Ecclesia. Adde quod docet

D. Thom. D. Thom: 3. p. q. 66. art: 11. & 12. & q. 87. art: 1. ad 2m. passio pro Christo suscepta, obtinet vim baptismi, & ideo per ipsam patet ingressus in Ecclesiam Catholicam. Ad 2. prob. d. Romana Ecclesia Pontificia tradit septem Sacramenta ad salutem necessaria, non quòd doceat singulis omnia necessaria, sed diuersis pro diuersitate statûs & conditionis, omnia tamen septem Ecclesiæ militanti esse necessaria.

ARTICVLVS V.

V. Ecclesia Romana, semper Pontificia sit dicenda?

SEnsus est, an semper sub Pontifice Monarchico regimine sit gubernata. Et hæretici quidem vt oderunt Pontificem Christi Vicarium, ita varijs modis regimen Ecclesiæ ab ipso, nunc ad plebem, nunc ad Optimates, nunc

Illyric. etiam ad Imperatores, ad fæminas deniq; transferre contendunt. Nam Illyricus de elect: Episc. statum gubernationis Ecclesiæ vult esse Democrati-

Caluin. cum, seu popularem & plebeium; Caluinus Aristocraticum seu Optima-

Brent. tûm; Brentius tandem ad Principes sæculares & Imperatores summum regimen Ecclesiæ nititur deuoluere: Anglicanæ Ecclesiæ Elizabeth mulier se-

77. se caput nominare ausa. Pro parte itaq; hæreticorum, videntur ista facere. 1. Per Imperatores gubernabatur Romana Ecclesia, Ergo non per Pontificem. Ant: Synodos conuocare & in eis præsidere, est regimen Ecclesiæ habere.

Concil. Atqui Imperatores Synodos conuocabant & in eis præsidebant: nam Nicæ-

Nicæn. num Concilium conuocauit Constantinus Magnus, vt est apud Ruffin. lib.

Constant. 10. Historiæ cap. 1. & in eo causam Donatistarum iudicauit. Constantinopolitanum Primum à Theodosio seniore indictum testatur Theodoret. lib. 5.

Chalce. histor. cap. 9. Chalcedonense à Martiano, vt S. Leo dicit. epist: 43. Sardi-

Sardicen: cense à Constantio, vt testis est Theodoret: lib. 2. cap. 4. Romanum Quar-

Roman: tum, à Theodorico Rege. 2. Temporibus Apostolorum Romana Ecclesia

78.

non fuit Pontificia. Ergo non semper. Ant: Temporibus Apostolorum à pluribus gubernabatur, à quibus & fundata fuit, scilicet Petro & Paulo, vt ait Iren: lib. 3. cap. 3. Ergo tunc non fuit Pontificia, vt ab vno solo gubernaretur. 3. Quam formam regiminis alijs Ecclesijs præscripserunt Apostoli, eam ipsi etiam in Romana regenda seruabant; vt conformitas regiminis seruaretur in toto corpore Ecclesiæ. Atqui alijs Ecclesijs formam regiminis per plures præscripserunt Apostoli, vt testatur S. Hieron: in cap. 1. epist. ad Tit: d. *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, Communi Presbyterorum Concilio Ecclesia gubernabantur.* Ergo & Apostoli communi consilio & pari potestate Romanam Ecclesiam administrabant; non ergo Petrus vt Pontifex excellebat gubernatione. In opposi:

Iren: 79. Hieron.

Conclvditvr. Romanam Ecclesiam regimine Monarchico, semper Pontificiam necesse est agnoscere. Patet. 1. Ipsâ successione Pontificum Romanorum, ab ipsis Apostolis cæpta, quorum successionem à Petro Apostolo cui à Christo collatæ erant claues deducunt antiqui, Iren: lib. 3. cap. 3. vsq; ad Eleutherium, qui suo tempore gubernabat Ecclesiam, Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmen, seriem pontificum Romanorum à Petro deducit vsque ad Syricium qui eo tempore gubernacula tenebat Ecclesiæ, S. Augustinus epist: 165. simili modo regimen Monarchicum Ecclesiæ Romanæ ostendit per Pontifices, vsq; ad Anastasium suo tempore ad clauum Ecclesiæ sedentem. Nos per tot sæcula deducimus regimen Ecclesiæ per Pontifices Romanos vsq; ad Alexandrum Septimum, feliciter modernum.

80. Iren. Optat. August.

Deinde. Illa Ecclesia necessariò semper est Pontificia, in qua semper viguit & viget Cathedra Petri Apostoli, cui Pontificium traditum à Christo fuit. Atqui in Romana Ecclesia semper viguit Cathedra Petri Apostoli, Tertull: in lib. de præscript: Romanorum inquit Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert: Augustinus epist: 162. *In Romana* inquit *Ecclesia, semper viguit Cathedræ Apostolicæ Primatus.* Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 6. *Roma* inquit *per sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis quàm solio Potestatis.* Accedit authoritas Præsulis Romani S. Leonis qui serm: 1. de natali Apost: Petri & Pauli, d. *Roma ciuitas Sacerdotalis & Regia, per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta, latiùs præsidens religione, domina quàm dominatione terrena.* Ergo Romana Ecclesia Monarchico regimine semper est Pontificia.

81. Tertull. Augusti. Prosper. S. Leo.

82. INSTABIS. 1. Petrus nunquam Romæ fuit. Ergo nec Pontifex Romanus erat, ANT: quia in Iudæa post Domini Passionem mansit, deinde Antiochiæ, tandem in alijs locis, vt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, Bythinia & alibi. ℞. Commune hæreticorum effugium, negare S. Petrum aliquando Romæ fuisse, vt Romanum Pontificem eò faciliùs & expeditiùs negent Petri successorem esse. Et hoc inuentum Thomas Waldensis lib. 2. doctrinæ fidei tribuit Gulielmo qui fuit præceptor Wickleffi, nunc verò id sibi passim præstant Lutherani & Caluinistæ. Verùm vniuersus orbis loquitur Petrum & Paulum vno die, & vno in loco, scilicet Romæ Martyrium subijsse, & S. Hieron: de viris Illustr: testatur S. Petrū Romæ Cathedram Sacerdotalem 25. annis tenuisse, id omnes alij Catholici Doctores testantur: ipse S. Petrus Romā scribens primam epistolam concludit, d. *Salutat vos Ecclesia quæ est Babylone collecta*, id est Romæ prout Papias discipulus Apostolorum apud Eusebium intelligit, S. Hieron: Oecumenius, Tertullianus, Beda & alij, de qua Babylone Apoc. 17.

Walden sis. Hieron. Papias. Hieron. Oecumen: Tertull. Beda.

83. INSTABIS. 2. Saltem eo tempore Ecclesia Romana non fuit Pontificia, priusquam ibi Petrus Cathedram Pontificalem collocasset. Ergo adhuc non semper Pontificia. ℞. Dato ante aduentum Petri Romam, non fuisse ibi ab aliquo prædicatam fidem: tunc nec Ecclesia adhuc fuit; posito quòd per aliquos prædicatio aduentum Petri Romam præcessit, Ecclesia iam tum etiam Pontificia fuit, subiecta videlicet regimini Monarchico & Pontificio Petri: erat enim illa Ecclesia, supra quam Monarchum S. Petrum Christus fecit & constituit. Iam

84. Ad arg: ℞. Ad. 1. neg: ANT: Ad prob. d. Lutherus ius & authoritatem conuocandi Concilia Generalia, in ijsq; præsidendi tribuit Imperatori, sed fallitur & fallit, cùm Christus ascendens in cœlum, non Imperatori alicui, sed Petro regimen Ecclesiæ, vnâq; ius & authoritatem conuocandi Concilia contulerit Ioan: 21. d. *Pasce agnos meos, Pasce oues meas*. Imò nullum ius, in isto negotio habere Imperatores & Principes sæculares euincunt vel ipsæ protestationes antiquorum Patrum, talibus enim negotijs immiscenti se Constantio Imperatori, Osius Cordubensis Episcopus liberè restitit d. *Ne te Imperator misceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce, tibi DEVS imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit*. vt refert, S. Athanasius Apolog: 2. ad solitariam vitam agentes. Et ipse, ex propria sententia d. *Si istud est iudicium Episcoporum, quid cum eo commune habet Imperator*

Luther. Osius. Athanas.

perator? Et vltra. Quando à condito æuo auditum est? quando iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? B. Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus, vocatus ab Augusta Imperatrice ad Concilium, etiam propositis præmijs venire renuit, eo quòd non esset legitimum. Leontius. Quantùm ad Concilium Nicænum, illud authoritate Constantini indictum non fuit, sed anthoritate Syluestri Papæ, nec iudicauit, quin etiam vltimò ingressus, postulauit ab Episcopis, vt sellá paruá in medio positá considere sibi permitteretur, vt Theodoretus narrat. Nicæn. Theodor: Et ad querelas Episcoporum respondit, DEVS inquit vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quód DEI solius inter vos expectate iudicium, ita Ruffin: lib. 1. cap. 2. Ruffin. Quòd si Vrgeas Constantinum intimasse futurum Concilium. ℞. id eum fecisse non ex authoritate & iure aliquo, sed potiùs vt ait Ruffin. lib. 10. cap. 1. secutus sententiam Sacerdotum Concilium indixit. Constantinopolitanum similiter non Theodosius indixit, sed literas Damasi quibus Concilium indicabatur ad Episcopos misit, ait Theodoretus lib. 5. cap. 9. Constant: Theodor. Chalcedonense nutu Leonis Papæ, Martianus denuntiauit, vt patet ex epist. Martiani, ad Leonem ante Concilium, in qua Imperator rogat Pontificem, vt suam sententiam in eo aperiat. Chalced. Sardicense Concilium à Iulio Papa conuocatum, testatur Socrates lib. 2. cap. 19. vbi Episcopi Orientales conquerebantur, nimis angustum tempus conueniendi ad illud præscriptum esse à Iulio Papa, Sardicens. Socrat. Romanum in causa Symachi, non à Rege sed à Papa debuisse indici & conuocari responderunt omnes Episcopi, cùm verò Theodoricus assereret se ex consensu & voluntate Papæ Concilium conuocasse, non priùs acquieuerunt Episcopi, quàm Rex proferret literas Papæ. Roman: Quòd si aliquando Imperatorum authoritas requirebatur in indicendis Concilijs, non ideo fiebat quòd ipsi ius aliquod ad hoc haberent, sed vt iuuarent & opem ferrent Episcopis, tanquam aduocati Ecclesiæ, qúo nomine Conradum Imperatorem S. Bernardus epist: 243. appellauit. Bernard.

85. Ad. 2. ℞. neg: ANT: Ad prob. d. equidem ambo isti Apostoli Ecclesiam Romanam fundauerunt prædicatione: & Paulus quidem excellebat prædicatione, superabat tamen Petrus regiminis authoritate, quæ in ipso, tanquam in Ordinario ac summo Ecclesiæ Pontifice excellentior erat. Atque iuxta hunc sensum, S. Maximus in serm: de istis Apostolis, dicit Paulo datam clauem sapientiæ Petro verò clauem potentiæ, atq; ita Petrus vt Pontifex Maxim:

vnus præerat in regimine Ecclesiæ, cui singulari modo claues ad hoc datæ fuerunt, etsi in prædicatione consortem habuit Paulum.

Hieron. 86. Ad. 3. ℞. dicit, S. Hieron: in aliquibus particularibus Ecclesijs Apostolos ordinasse, vt plures præessent, non tamen in omnibus sed singulis Ecclesijs, singulos præfecerunt. Nam & Ierosolymorum Ecclesiæ Iacobum fratrem Domini, ab ipsis Apostolis ordinatum Episcopum, testatur in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Multò igitur minùs tale regimen in tota Ecclesia esse valuerunt, non ignorantes Petrum à Christo totius orbis Christiani caput & summum Pastorem omnium fidelium designatum. Cùm propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, Schismatis occasio tolleretur, lib. 1. contra Iouinianum idem Hieron: dicit: Ergo in eo loco vbi dixit Ecclesias communi consilio plurium gubernatas, confestim adiungit, d. postquam verò vnusquisq; eos quos baptizauerat suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus præponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Clarum igitur est, principalem Ecclesiam, qualis est Romana, vt suis singulis partibus consonum esset totum opus, ab initio per vnum pastorem gubernatam esse.

COROLLARIVM I.

Hæc Ecclesia, demonstando Romanam Pontificiam, vna eademq; omninò est cum illa, quæ super Petrum ædificata fuit, & quinquagesimo die à Christi resurrectione Spiritum sanctum accepit.

1. EQuidem res ipsa loquitur, Romanam Ecclesiam firmiter in Petra ædificatam, stabilem semper in fide perseuerasse, fatetur etiam Caluinus in suis Institut: cap. 8. magnum honorem eidem vbique detulisse veteres, reuerenterq; de eo locutos: sed quia vocant in dubium, sitnè moderna Romana eadem cum illa antiqua, nunc breuiter resoluendum venit. Sit igitur

MEMBRVM I.

An Romana Ecclesia semper sit eadem?

CIrca difficultatem istam, iam aliquid tactum est Articulo præcedenti tertio: modò pro ipsius resolutione COLLIGITVR. Romana Ecclesia non potest non vna & eadem semper manere. PATET. 1. Ecclesia in qua est Cathedra Petri, non potest non vna & eadem semper esse. Ratio, quia ex Cathedra Petri vnitatis & identitatisEcclesiæ ratio pendet: ita Cyprian: lib. 1. epist: 8. *Deus* inquit *vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata,* aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest, Et epist: 3. ex Cathedra Petri vnitatem exortam docet. Ergo quamdiu Cathedra Petri perseuerat, tamdiu vna & eadem Ecclesia, vnum & idem Sacerdotium. Atqui in Romana Ecclesia à Principio semper Cathedra Petri perseuerat, imò etiam inde transferri non potest: quod ex eo colligitur, quia nullis vnquam motibus, & persecutionibus inde expelli potuit. Nam ethnici Imperatores ægrè ferebant sedem Apostolicam seu Cathedram Petri Romæ esse, & ideò totis viribus persequebantur Pontifices Romanos, tanquam Petri in Cathedra successores, nec tamen præualuerunt Cathedram Petri inde tollere. Hinc Cyprian: lib. 4. epist: 2. laudans constantiam Sancti Cornelij, d. *Quanta in ipso suscepto Episcopatu virtus, quantum robur animi? qualis firmitas fidei? sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali Cathedra eo tempore cùm tyrannus Infestus sacerdotibus* DEI; *fanda atq; infanda comminaretur.* Adhæc immutabilia sunt quæ DEVS iubet, porrò Cathedram Petri Romæ figi DEVS iussit, vt testatur S. Marcellus Papa & Martyr in epist: ad Antiochen. Et S. Ambros. in Orat: de tradendis Basilicis vbi asserit Christum omninò voluisse, vt Petrus Romæ moreretur, & id circo ei fugienti dixisse. *Venio Romam iterum crucifigi.* Ergo Ecclesia, moderna Romana, vna & eadem est cum illa antiqua.

Cyprian. Cypr: S.Marcell. Ambros:

DEINDE. Vbi vnum corpus & vnus Spiritus, ibi vnus & idem homo, Ergo vbi vna & eadem societas, vnus idemq; DEI Spiritus, eadem Ecclesia. 2.
Atqui in moderna Ecclesia Romana, vna eademq; societas, vnus idemq; DEI Spiritus, Ergo vna eademq; Ecclesia MIN: declaratur, vna eademque societas, quia vno eodemque modo, ijsdemq; legibus semper gubernatur. Vnus etiam idemque Spiritus dilectionis in Membris maximè viuis, Ephes.

4. *Soliciti seruate vnitatem Spiritus.* Eadem Sacramenta, idem eorum numerus, vna Diuinitatis confessio, idem sensus verbi DEI, vna de filio DEI fides, vt non ab alijs quidem verus DEVS, ab alijs autem minor DEVS prædicetur. Vnum commune idemque semper symbolum, vna eius expositio, vt non alia sit confessio Waldensium, alia Saxonica, sed vna eademque semper Catholica. Manifestum est igitur in moderna Ecclesia Romana, sicut eandem societatem, ita vnum eundemq; Spiritum, atq; in antiqua semper manere.

3. PRÆTEREA. Satis manifestè indicat vnam & veram Ecclesiam, legitima successio continuata ab Apostolis cæpta, quasi in eodem corpore, nutritio. Hanc antiqui Patres semper infallibilē tesseram habebant, Iren: lib. 3. cap. 3. & lib: 4. cap: 43. & alibi, Tertull. de præscript: Eusebius in Chronico Hieron: Prosper, Optatus, Augustinus & alij. Ergo quamdiu perseuerat continua successio legitima, tamdiu vna, eademq; vera Ecclesia, Atqui in moderna Romana perseuerat cōtinua successio legitima, quæ cæpit ab Apostolis, Ergo vna eademque Ecclesia. Non ergo alia & diuersa ab illa antiqua Romana, sicut somniant hæretici nisi forte in ætate aliqua differentia deprehendatur, quod nunc anicula sit, quæ olim iuuencula fuit, eandem semper faciem & formam retinens gubernationis.

Iren. Tertull. Euseb. Hieron: Prosper. Optat. August.

4. DICES. 1. Mutata forma & substantia rei, mutatur res ipsa, nec est amplius vna & eadem. Ergo mutata forma & substantia Ecclesiæ, non est amplius vna & eadem Ecclesia. Sed fides quæ est forma & substantia Ecclesiæ mutata est in moderna Ecclesia Romana prout aduertit Caluinus in suis institut: lib. 4. cap. 2. Ergo moderna Ecclesia Romana non est vna & eadem cum illa antiqua. ℞. somnium & impostura Caluini dicentis nunc mutatam esse fidem in Ecclesia Romana: quod ne in minimo quidem demonstrare potest cùm Ecclesia Romana ita antiquitati semper adhæreat, vt ne latum quidem vnguem ab ea recedendum iudicet, quod vel ipse Caluinus agnoscit, qui non aliter cum Ecclesia Romana vult pugnare, quàm impugnando totam antiquitatem, quod facit lib. 2. instit. cap. 2. contra libertatem arbitrij ab vniuersa antiquitate recepti.

Caluin.

5. DICES. 2. Antiqua Ecclesia Romana, semper vna & indiuisa fuit. sed moderna Romana non est vna sed diuisa in tot schismata, Ergo non est vna cum illa. MIN: deducit Caluinus lib. 4. instit: cap. 13. asserens in moderna Romana tot esse schismaticorum conuenticula quot sunt monasteria, in quibus priuata altaria eriguntur; deinde externis vocabulis nominantur, alij Be-

Caluin.

nedictini, alij Franciscani, Dominicani, non secùs ac olim Marcionitæ & Ariani, vt est apud Lactantium, Tandem tot sectæ in moderna Ecclesia Romana, alia Thomistarum, alia Scotistarum, quemadmodum apud Philosophos, alij Pythagorei, alij Platonici, alij Epicurei, alij Stoici. ℞. tametsi omnes vires & conatus contulerit Caluinus ad imponendum Ecclesiæ, non poterit in ea vlla ostendere schismata. Nam quod attinet ad erectionem altarium, in monasterijs, nullo modo probat schismatica conuenticula, enim verò etiam antiquitus Monachi suos habebant Presbyteros, qui alijs in monasterio Sacramenta ministrabant & sacrificabant, id S. Augustinus docet lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & 33. S. Hieron: in vitis Patrum: Deinde schismatici non iudicantur propter diuersum altare materialiter, nam tot diuersis Parochijs altaria diuersa materialiter, neq; tamen vel inde schismatis argui possunt. Itaq; illi ob altare propriũ schismatici sunt cẽsendi, qui aliorum altaria profana esse iudicant. quod neq; nos de Monachorũ altaribus dicimus, neq; illi de nostris. Quantum ad denominationes, Marcionitæ quidem à Marcione, Ariani ab Ario, Lutherani à Luthero, Caluinistæ à Caluino, tanquam ab authoribus doctrinæ nominantur: iam verò Benedictini, Franciscani, Dominicani, non ab inuentore fidei & doctrinæ, sed ab institutoribus seuerioris disciplinæ nomen acceperunt. Quod verò ad Scholasticos, isti diuersas sectas schismticas non constituunt, non enim de rebus ad fidem pertinentibus dissentiunt, sed de illis quæ sunt leuioris momenti, ac modo loquendi & explicandi, in quibus etiam omnibus, subijciunt se iudicio & definitioni Ecclesiæ, parati acquiescere dimissa propria sententia, quidquid ab Ecclesiæ definitum & constitutum fuerit; nec præterea ita se mordicùs proscindunt, vt alter audeat alterum hæreticum appellare, sicut Lutheranæ aut Caluinianæ factionis sectarij faciunt.

Augus. Hieron:

MEMBRVM II.

Quàm conuenienter Christi Ecclesia Romæ sedem fixerit?

QVia vniuersæ Christi Ecclesiæ in terris, sedes Romæ fixa manet ideo illa, quæ per orbem terrarum diffusa est, Romana nuncupatur: sed quàm id conuenienter, aliquot congruentijs declarabitur. 1. quia sicut Roma semper fuit caput orbis dominatione terrena, ita conueniebat eam, per sa- 6.

cram Beati Petri sedem effici caput orbis terrarum dominatione Diuina, ait
S. Leo. S. Leo. Et hæc congruentia colligi potest ex ipso nomine Roma: est enim
Hieron: vt explicat S. Hieron: lib. 2. contra Iouin: sublimitatis nomen apud Hebræos, fortitudinis apud Græcos. In hac ergo sublimitate decuit locari Cathedram B. Petri, de cuius ore debebant omnes gentes audire verbum Euangelij. Act: 15. & hac fortitudine decuit fundari Ecclesiam, contra quam Portæ inferi non præualerent.

7. DEINDE. Quia principatui Romano omnes gentes subiectæ erant, inde quoque faciliùs in omnes gentes gratiâ Euangelicæ prædicationis diffundi
S. Leo. potuit. Hanc quoque congruentiam ostendit S. Leo ser: 1. de Apost: d. *Beatißimus Petrus, Princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabitur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.*

8. PRÆTEREA. Quia omnes gentes confœderatæ erant Romano imperio, ideo ibi oportebat sedem poni Ecclesiæ, cui omnes orbis partes, & omnes Ecclesiæ coadunarentur. Hanc congruentiam affert Iren: lib. 3. c. 3.
Iren. d. Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles.

INSVPER. Romæ omnium gentium errores & superstitiones vigebant,
9. ibi ergo conueniebat fundari sedē Ecclesiæ, à qua faciliùs errores illi & superstitiones confunderentur. Hanc congruentiam ponit S. Leo loco supra dicto
S. Leo. d. Hic confutandi erant dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam erat vanis erroribus institutum.

10. DENIQ; Sicut Romana Monarchia omnibus ad eam confugientibus opem ferebat, vt patet etiam 1. Machab. 8. ita ibi conueniebat sedem & caput Ecclesiæ constitui, vt eò omnes refugium haberent, Petrus Alexandrinus Patriarcha, dùm persecutionem Arianorum declinaret, eò refugium habuit: eò Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, eò Ioannes Chrysostomus &
Sixtus. alij. Hinc Sixtus epist: 2. *Si quis vestrûm pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam appellet sedem, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.*

11. VLTIMÒ. Id prædictum fuit Isai, 66. vbi dùm describit vocationem gentium ad Ecclesiam Christi, ex Vrbe Romana prædicit plurimos mittendos ad prædicandum Euangelium, in illis verbis. *Tendentes sagittam in Italiam,*

vt hunc locum exponit Lyranus. Nam in primis Petrus sedens Romæ, quæ est caput Italiæ, tanquam sagittam misit Marcum Alexandrium, qui Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ad fidem Christi conuertit. Clemens post Petrum sedens Romæ Dionysium Areopagitam in Galliam destinauit, Eleutherius quoq; Romæ tenens Petri Cathedram ad Petitionem Lucij Britannorum Regis, in eam Prouinciam misit prædicatores. Sic S. Gregorius & alij deinceps Romani Pontifices, in vniuersum orbem prædicatores fidei mittebant & mittunt, tanquam ab ipsa sede Christi Ecclesiæ, de qua Anacletus epist: 3. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem consecuta est.* Lyran: Anaclet.

DICES. 1. In Ierusalē conueniebat figi sedem Ecclesiæ Christi, Ergo non Romæ, ANT: patet ex his congruentijs. 1. Quia Ecclesia Christi succedit antiquæ Synagogæ, quæ quia in Ierusalem sedem habuit, etiam Ecclesia Christi sedem ibi debebat figere. 2. Quia de Ierusalem Euangelium prædicandum Propheta prædixit Isai. 2. d. *De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem.* 3. Quia in Ierusalem collecta Ecclesia Christi, & Spiritum sanctum accepit, indeq; ad omnes gentes facilè prædicatio Euangelij poterat peruenire, quæ tunc ibi congregatæ erant Act: 2. 4. Quia ipse Christus non Romæ, sed Ierosolymæ Episcopus erat. Vbi docuit & Passus est, Ergo in Ierusalem conueniebat figi sedem Ecclesiæ Christi. R. neg: ANT: Ad congruentias. d. Ad. 1. Tametsi Ecclesia succedat Synagogæ, non est tamen opus vt in loco succedat, quia Synagoga in vno duntaxat erat populo, in populo Iudæorum, ideo in Iudæa sedem habuit, Ecclesia verò in cunctis gentibus, ideo non est necesse vt succedat Synagogæ in loco. Imò ordo ipse verum postulat, vt quia Synagoga in Oriente sedem habuit, Ecclesia succedens in Occidente figeretur: tùm quia Iudæi deserendi erant propter suam perfidiam, conueniebat & locum illorum desertum esse, idque Christus prædicebat. Matth. 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quia verò Ecclesia Christi in populo gentium plantanda fuit, reprobato populo Iudæorum, iuxta illud, Matth. 21. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum*, sicut & infra Iudæis. d. *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus eius*: ideo & locus alius eligendus erat pro sede Ecclesiæ Christi. Ad 2. congruentiam. d. de sede Ecclesiæ Christi in Ierusalem, nihil prorsùs in loco Prophetæ, sed causam tantum & modum ostendit, 12.

dit, de multitudine gentium ad fidem Christi conuertendâ, quia scilicet de Iudæa & Ierusalem exierunt Apostoli & alij discipuli, ad prædicandum gentibus fidem Christi, quam Iudæi non receperunt, quibus & dixerunt Act: 13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum* DEI, *sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Ad. 3. d. quamuis Ecclesia Christi in Ierusalem collecta fuerit, non tamen ibidem sedem figere debuit: sicut Synagoga in Ægypto collecta, & in Sinai legem accepit, alibi tamen sedem habuit: deinde diuulgatio Euangelij in omnes gentes, opportunior & multo facilior fuit ex Vrbe Roma, ob dominatum quem super gentes obtinebat. Ad 4. d. Christus non fuit Episcopus alicuius particularis Vrbis, sed totius Ecclesiæ, vnde non Ierosolymæ, sed vniuersæ Ecclesiæ ex gentibus collectæ Pontifex habetur, & quia per suum aduentum translata est lex à Sacerdotibus, translatum & sacerdotium, Aaronicum desijt, successit secundùm ordinem Melchisedech, ita conueniens erat, vt sedes etiam Ecclesiæ in alium locum ab Ierusalem transferretur.

13. DICES. 2. Petrus iure Diuino fuit Apostolus Iudæorum sicut & Paulus gentium, vt idem Gal. 2. d. *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro Circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes.* Ergo Petrus in Iudæa debuit sedem ponere. ℞. Quamuis Petrus fuit Apostolus Iudæorum sicut Paulus gentium, per hoc tamen non ita stringebatur ad solam Iudæam, vt non potuerit ad gentes transire, sicut & Paulus, quamuis fuerit Apostolus gentium, per hoc tamen non ita stringebatur ad gentes, vt non potuerit & Iudæis prædicare. Sed sicut Paulus præcipuam operam nauabat gentibus conuertendis, nec tamen prohibebatur à conuersione Iudæorum, ita Petrus præcipuè laborabat in conuersione Iudæorum, liberum habens transsitum ad gentes. Itaque pro sua libertate, sedem non Iudæa, sed in gentilitate collocauit, ob rationes iam dictas.

14. DICES. 3. Petrus Antiochiæ in Syria sedem collocauit, Ergo non debet Romæ sedes ista attribui & prærogari. Conseq. patet, quia antiquior Ecclesia non debet posthaberi, qualis est Antiochena. ℞. neg: Conseq. licet autem Petrus primum Antiochiæ sedem collocârit, eam tamen iussu diuino Romam transtulit, nam cùm cæteri Apostoli in orbem terrarum mitterentur, Petrus ad ipsum orbis caput, & Vrbium reginam missus est, id ita con-

S. Leo: firmat S. Leo Serm: 1. de Ss. Apostolis Petro & Paulo d. *Cùm duodecim A-*

postoli accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent, Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romam destinatur imperij. Et S. Maximus. Serm: 1. de natali Ss. Apost: *Vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocauit.* Huc spectat, quod Anacletus, epist: 3. d. *Prima sedes cœlesti beneficio est Romanæ Ecclesiæ, quam Petrus & Paulus suo Martyrio consecrarunt, secunda apud Alexandriam, B. Petri nomine à Marco eius discipulo atq; Euangelista consecrata, tertia sedes apud Antiochiam, eiusdem Apostoli nomine habetur honorabilis, quia illic priusquam veniret Romam habitauit.*

Maxim. Anaclet.

MEMBRVM III.

Quomodo intelligi debet, super Petrum ædificata Ecclesia?

COmmunis est hæreticorum pertinacia, negantium super Petrum ædificatam esse Ecclesiam: neq; Petrum appellari Petram, sed vel omnem hominem fidelem, vt Erasmus, vel ipsum Christum, vt Caluinus, vel ipsam confessionem fidei absolutè & secundùm se, vt Lutherus cum suis existimat. Nos tamen Catholicè. 15.

Erasmus. Caluin. Luther.

COLLIGIMVS. Super Petrum voce Domini ædificatam esse Ecclesiam, & Petrum à Domino appellari Petram. Hæc sententia Catholica est omnium Patrum, tàm Græcorum, quàm Latinorum, Origen: Homil. 5. in Exod. Athanasij in epist: ad Felicem Papam, Basilij lib. 2. contra Eunomium, Chrysost: Homil. 55. in Matth. Tertull. de præscript: Hilarij in cap. 16. Matth. Hieronymi ibidem, August: in Ps. contra partem Donati, Maximi, Leonis, &c. Ratio manifesta, quia illi dictum est, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, cui etiam, Tu es Petrus, & Tibi dabo claues. Atqui illi personæ inter Apostolos computatæ dictum est, Tu es Petrus: & Tibi dabo claues. Ergo

Origen: Athanas: Basil. Chrysost. Tertull. Hilar. Hieron. August. Maxim. Leon:

DEINDE. Si de seipso vt vult Caluinus, aut de confessione fidei secundùm se & absolutè considerata, vt Luthero placet, Christus dixisset, non in futuro dixisset, sed in præterito vel præsenti, siquidem iam super se, & super fidem multorum credentium Prophetarum & aliorum discipulorum erat ædificata, qui crediderunt eum filium DEI viui esse. Certum ergo manet apud Catholicos super Petrum promisisse Dominum ædificare Ecclesiam. Sed 16.

quomodo id explicandum. 1. itaq; promisit Christus se ædificaturum Ecclesiam super Petrum, id est super fidem, non quamcunq; vt Lutherus vult, sed Petri, non quatenus homo Priuatus & Persona particularis, sed quatenus vniuersi orbis Pastor est: nec vt cæteri etiã Apostoli, sed quaten⁹ authoritate illos præcellit, ita vt fides Petri quaten⁹ præcellentis Pastoris nunquam deficiēs, mereatur Petro esse fundamentum, super quod ædificetur Ecclesia. Et hunc Chrysost. modum sonat expositio S. Ioannis Chrysostomi Homil. 55. in Matth. d. *Super fidem & confeßionem Petri se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.* Et Homil. 83. *Christus super confeßionem Petri Ecclesiam ita fundauit & muniuit, vt nullum periculum, neq; mors ipsa posset eum superare,* Et lib. 2. de Sacerdotio cap. 2. d. *Petrum authoritate præditum esse Christus voluit, & reliquos item Apostolos longè præcellere.* Rectè itaq; vtroq; modo loqui possumus, & super Petrum & super fidem eius Ecclesiam esse ædificatam, Petrus enim ratione fidei suæ indefectibilis Petra est firmissima, totam sustentans Ecclesiam.

17. Dixeris. Cùm Christus dixit, Super hanc Petram ædificabo, respondit ad illud quod Petrus præmisit. Atqui Petrus absolutè præmisit confessionem fidei Diuinitatis Christi. d. *Tu es Christus Filius DEI viui.* Ergo non super solùs Petri fidem, sed potiùs absolutè super fidem Diuinitatis, tanquam vnius articuli principalis promisit ædificare, fides enim & confessio Diuinitatis est Petra firmissima. ℞. non ad fidem absolutè & secundùm se, atque sine relatione ad Personam Petri respondit Dominus d. *Super hanc Petram.* Sed ad fidem Petri vt Pastoris, quod iudicat ipsum pronomen demonstratiuum Hanc, quod pronomen non ad fidem absolutè refertur, sed ad Petram proximè nominatam; proximè autem dictum est Simoni. Tu es Petra, quod idem est planè ac Petrus secundùm vim significationis, quamuis secundùm terminationem in masculino positum est Petrus non Petra, propter sexum virilem ad quem sermo factus. Et quamuis fides & confessio Diuinitatis Christi sit Petra in suo genere, & super eam inter cæteros fidei articulos Ecclesia ædificetur, sola tamen ista fides & confessio non satis habet virium, ad sustentandum pondus Ecclesiæ, fuit enim in multis hæc confessio Diuinitatis Christi, super quorum tamen confessionem, non est ædificata Ecclesia, vt etiam fuerunt illi antiqui hæretici, Nicolaitæ, Nouatiani, Palagiani, &c. Ergo super fidem Petri, quam Petrus firmiter, constanter & inconcusse credit, & alios in fide confirmat, Dominus Ecclesiam ædificare promisit, Hinc Chrysost. Chrysost: Homil. illa 55. in Matth. *Deus concedere solus potest, vt Ecclesia tot tantis-*

tantisq́; fluctibus impetu irruentibus immobilis maneat, atq; vt homo piscator quâuis petrâ firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante. Iam ergo fides absolutè sumpta, non potest propriè dici fundamentum Ecclesiæ: nam eiusdem generis esse debent fundamentum & reliquum ædificium. Porrò Ecclesia est congregatio hominum, quasi lapidum viuorum, 1. Petr. 2. Ergo Petra quæ est fundamentum debet esse homo. 2. Promisit Christus super Petrum ædificare Ecclesiam, quia ipsi commisit regimen totius Ecclesiæ. Nam sicut Petra fundamentalis sustentat totum ædificium, ita Petrus gubernatione sustentat Ecclesiam: ideoq; & claues illi traditæ sunt, quarum traditione significatur traditio plenariæ potestatis. Hunc sensum S. Chrysost: loco supra dicto ostendit, d. *Ieremiam genti vni Pater, Petrum autem vniuerso orbi Christus præposuit.* Et S. Gregor. lib. 4. epist: 32. d. *Voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ergo iuxta hunc sensum, Ecclesiam ædificatam super Petrum, idem est, ac Ecclesiam pendere à regimine Petri. Chrysost. Gregor:

Dices. 1. Supra fundamentum ædificatur domus, Atqui non solus Petrus, sed alij etiam fundamenta dicuntur Ecclesiæ, Ephes: 2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum. Et Apoc. 21. Murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina, duodecim Apostolorum Agni, Ergo pari ratione super alios ædificanda prædicitur Ecclesia, non ergo specialiter super Petrum. ℞. Omnes Apostoli æqualiter fuerunt fundamenta Ecclesiæ, quantùm ad fundationem Ecclesiarum, quas fundauerunt in vniuerso orbe prædicatione: & quantùm ad reuelationem fidei & doctrinæ quam prædicarent: cùm enim iam non reuelentur noui articuli fidei, Ecclesia nititur in fide & doctrina reuelata Apostolis & Prophetis. Quia verò quantùm ad gubernationem Ecclesiæ, Petrus vt ordinarius Pastor omnibus erat præpositus, & ab illo pendebant omnes, ideo speciali modo super Petrum promittitur ædificanda Ecclesia: quod S. Hieron: lib. 1. contra Iouin: ita prosequitur. *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur, tamen propterea vnus inter duodecim eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.* 18. Fundamenta Eccles. sunt Apostoli Hieron:

Præterea. Propriè super Petrum promisit Christus ædificare Ecclesiam, id est, ipsum caput & fundamentum Vicarium loco sui dare Ecclesiæ suæ, propter soliditatem fidei. Id expresse S. Basilius ostendit lib. 2. contra Eu- 19. Basil:

nomium d. *Petrus proter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit.* Et Gregor. Nazian: *Petrus Petra vocatur atq; Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita sunt.* Et Athanasius in epist: ex Synodo Alexandrina. *Tu es* inquit *Petrus & super fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ, id est Episcopi, sunt confirmatæ.* Paulinus in epist: ad Seuerum. *Petra est Christus, sed etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, cui dixit. Super hanc Petram ædificabo.* Gregor. lib. 6. epist: 37. *Quis nesciat Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatã?*

Nazian. Athanas. Paulin: Gregor:

20. Dices. 2. Christus est fundamentum Ecclesiæ suæ 1. cor. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesvs. Ergo non super Petrum, sed super seipsum Christus promisit ædificare Ecclesiam suam. ℞. Certum est Christum esse Petram & primum fundamentum Ecclesiæ, sensus tamen immediatus literalis illius promissionis, est de ædificanda Ecclesia super Petrum, quod comprobat tùm pronomen demonstratiuum Hanc, tùm illa reuocatio. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc, &c. vbi Petrvs, & Hanc Petram, eandem indicant personam.

21. Insvper. Christus promisit ædificare Ecclesiam suam super Petrum, id est, super sedem seu Cathedram Petri, ita vt ex Cathedra Petri & communicatione cum illa, pendeat vnitas totius Ecclesiæ: itaq; Cathedra Petri est ista Petra, super quam fundatur Ecclesia. Hunc sensum exprimit Hieron: in epist: ad Damasum, vbi loquens de Cathedra Petri ita dicit. Super hanc Petram scio ædificatam Ecclesiam. Et August: in Ps. contra partem Donati. Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Et Cyprianus lib. 1. epist: 8. loquens de Cathedra vna Petri, sic ait. *Quisquis alibi collegerit, spargit.* indicans à communione cum Cathedra Petri, tanquam à fundamento, totam pendere Ecclesiam, nec vspiam esse Ecclesiam, vbi non sit communicatio cum Cathedra Petri.

Hieron. August. Cyprian.

22. Dices. 3. Omnes Apostoli pares erant, vt ostendit Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ. *Hoc erant* inquit *cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus pari consortio præditi & honoris & potestatis.* Ergo non supra Petrum prædicitur ædificanda Ecclesia, vel non super solum. ℞. Pares erant omnes Apostoli in potestate Apostolica, & eandem omnino habuerunt authoritatem in populos Christianos, sed non fuerunt pares inter se, quod S. Leo in epist. 84. ad Anast: exponit. d. *Inter Beatissimos Apostolos, in similitudine honoris, fuit quæ-*

Cyprian. S. Leo:

dam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret.

MEMBRVM IV.

An Ecclesia omnium simul mysteriorum fidei, in die Pentecostes accepit reuelationem?

ALiqui ita proponunt. Vtrum Apostoli plenam cognitionem articulorum fidei, ad salutem necessariorum, à Spiritu sancto pro Ecclesia in die Pentecostes acceperint, an verò tunc aliquorum tantùm, & reliquorum successiuè? Sunt autem in isto negotio duæ Catholicorum Sententiæ. Vna affirmat Apostolos vt Magistros Ecclesiæ in die Pentecostes per Spiritum sanctum, omnia simul mysteria fidei didicisse, quamuis successu temporis pleniorem & perfectiorem aliquorum intelligentiam, per magisterium eiusdem Spiritus sancti habuerint. Altera sententia negat omnia simul cognouisse, sed aliqua tantùm in die Pentecostes, alia verò atq; alia successu temporis pro indigentia Ecclesiæ. In qua controuersia quid sit tenendum, totum definitioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis relinquo: modò autem problematicè tantùm aliquid proferre libet. 23.

Negans itaque sententia his muniri potest rationibus.

1. Act: 10. Per visionem sibi oblatam in excessu mentis, cognouit Petrus, gentiles etiam ad fidem & Ecclesiam esse recipiendos, non minùs quàm Iudæos, d. *In veritate cognoui, quòd non est personarum acceptor DEVS, sed in omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Ergo cùm antea ignorauerit, non erat ei reuelatum. 24.

2. Act: 15. in Concilio Ierosolymitano Spiritus sanctus docuit Apostolos, gentiles conuersos ad fidem Christi, non esse cogendos ad obseruationem legalium. Ergo in die Pentecostes id eis non reuelauit. Conseq. patet, si enim id reuelasset, iam sciuissent, nec opus habuissent de nouo doceri. Ant: autem in eodem loco manifestum, vbi tale rescriptum legitur. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris.* 25.

3. 2. Cor. 12. S. Paulo, octennio post acceptum Spiritum sanctum, factæ sunt nouæ reuelationes in illo raptu ad tertium cœlum. Ergo non omnia simul didicit à Spiritu sancto, quem accepit in sua conuersione Act. 9. per impositionem manuum Ananiæ. 26.

27. 4. Ecclesia successit Synagogæ, Atqui tempore Synagogæ non simul omnia reuelata erant Prophetis, sed successu temporis, nec singulis omnia. Hinc S. Gregor. Homil. 16. in Ezech. dicit quòd per successiones temporum, creuit Diuinæ cognitionis augmentum, Ergo nec Ecclesia in Apostolis omnia simul credenda in die Pentecostes cognouit.

Gregor:

28. 5. Petrus cogebat gentes Iudaizare, ob quam causam restitit ei Paulus in faciem, Gal. 2. Ergo errauit, nec omnia mysteria fidei in die Pentecostes reuelata accepit. Porrò

Affirmanti sententiæ ista suffragari possunt.

29. 1. Quoties in Euangelio missionis Spiritus sancti legitur promissio simul ad docendum omnem veritatem promittitur, vt Ioan: 14. *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia; & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis.* Et cap. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Atqui in die Pentecostes impleta est promissio missionis Spiritus sancti. Ergo simul impleta de docendo omnem veritatem

D. Thom. ad salutem necessariam. Et ita videtur exponere D. Thom: 1. 2æ. q. 106. art: 4. ad 2m. *Docuit* inquit *Spiritus sanctus Apostolos omnem veritatem, de his quæ ad salutis necessitatem pertinent, scilicet de credendis & agendis.*

2. Si Apostoli in die Pentecostes non omnium, sed quorundam duntaxat mysteriorum ad salutem necessariorum à Spiritu sancto reuelationem ac-
30. ceperunt, oportet determinare quorum acceperunt, & quorum non. Atqui id non potest definiri, nec determinari: nec potest dari ratio conuincens, cur potiùs tunc istorum quàm aliorum, aut cur non omnium simul: nam quòd aliqui dicunt, secundùm exigentiam Ecclesiæ Spiritus sanctus reuelabat diuersa mysteria diuersis temporibus, parum valet ratio ista, siquidem æqualiter indigebat Ecclesia cognitione huius mysterij atq; illius: & Apostoli erant Magistri non secundum literam vt successiuè addiscerent, sed secun-

Gregor. dùm Spiritum, qui sine mora docet omnia. Hinc S. Gregor. *Hic Doctor,* (scilicet Spiritus sanctus) *nulla discentium mora agitur, sed in omne subito mentem illuminat.* Ergo in die Pentecostes per Spiritum sanctum omnium simul cognitionem Apostoli acceperunt.

31. 3. Ita Spiritus sanctus docuit Apostolos mysteria fidei ad salutem necessaria, sicut docuit genera linguarum, non minùs enim necessaria illis fuit notitia mysteriorum fidei, quàm linguarum, imò hoc ordinabatur ad illud, ideò enim genera linguarum illis data sunt, vt loquerentur reuelata sibi magnalia

CON: V. COR. I. DEI.

Dei. Atqui in die Pentecostes omnia simul idiomata illos docuit sine ali-
qua successione vt S. Gregor. Homil. 30. in Euangel. dicit: & ex eo D. Gregor.
Thom: 2. 2æ. q. 176. art: 1. Et Ecclesia in officio Octau: Pentecost: *Spi-* D. Thom.
ritus sanctus inquit *procedens à throno, Apostolorum pectora inuisibiliter penetrauit,*
nouo sanctificationis signo, vt in ore eorum, omnium genera nascerentur linguarum.

4. In statu perfecto Ecclesia in die Pentecostes per Spiritum sanctum fu- 32.
it constituta: nam *Dei perfecta sunt opera.* Deut: 32. ad perfectionem autem
Ecclesiæ pertinet notitia mysteriorum fidei, quæ sunt ad salutem necessaria.
Ergo omnia eo die reuelauit Apostolis, qui fuerunt Bases Ecclesiæ: alioqui
minùs perfecta fuisset tunc, quàm nunc, cùm iam omnia mysteria fidei re-
uelata habeat. Iam

Ad arg: negantis sententiæ. ℞. Ad. 1. Quod Petrus cognouerat in 33.
die Pentecostes per reuelationem Spiritus sancti, id iterum per illam visio-
nem & euentum cognouit experimentaliter. Nam gentes ad fidem & Ec-
clesiam Christi pertinere, etiam per Prophetas in antiqua lege prædictum
fuit, vt ostendit S. Paulus Rom: 15. & alibi gentium vocatio in locis innu-
meris ostenditur. Cùm ergo Apostoli non fuerint in hoc Prophetis infe-
riores, certè hæc eos mysteria, etiam in die Pentecostes latere non debue-
runt, & præcipuè Petrum summum Ecclesiæ Pastorem & Rectorem, qui ad
eā gentes reciperet, in die Pentecostes cognouisse, valde mihi persuasū est.

Ad 2. ℞. Causa congregandi illius Concilij erat componere controuer- 34.
siam de prædicta obseruatione legalium, quæ controuersia non inter Aposto-
los erat, sed inter quosdam Antiochiæ fideles, ex circumcisione, vt principi-
um eiusdem capitis indicat, vbi sic legitur. *Quidam descendentes de Iudæa do-*
cebant fratres, quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysis non potestis saluari.
Ad Apostolos ergo deuoluta fuit hæc controuersia, apud quos in confesso
fuit, non esse cogendos gentiles ad legalia; sed vt tota controuersia faciliùs
componeretur, conuenerunt Ierosolymam Apostoli, illudque negotium ex
Spiritus sancti reuelatione, quam ipso die Pentecostes acceperant, definie-
runt. Sciebant ergo Apostoli non obligari iure Diuino, sed consultabant, an
tunc iam deberent pronuntiare palam gentes liberas esse ab illo onere, ma-
ximè respectu habito ad scandalum Iudæorum.

Dices. Ergo Spiritus sanctus nihil operabatur in illo Concilio circa præ- 35.
sentem controuersiam. ℞. Quamuis non tunc primùm reuelauit, illud
mysterium, effecit tamen etiam in Apostolis clariorem eius intelligentiam,

& mouit affectum illorum ad exhortandas gentes permanere in gratia Dei.

36. Ad 3. ℞. incertum est, quo tempore raptus ille Pauli contigit, nam aliqui dicunt contigisse octennio post conuersionem eius, alij autem ipso anno conuersionis, imò illo triduo quo erat non videns. Act: 9. si igitur in illo triduo raptus contigit, quo per impositionem manuum Ananiæ Spiritum sanctum accepit, etiam tunc omnium simul reuelationem à Spiritu sancto habuit, quo mihi valde probabile videtur, quia statim prædicabat, disputabat, & suadebat.

37. Ad 4. ℞. Maioris perfectionis est Ecclesia in Apostolis fundata, quàm fuerit Synagoga quam instruebant Prophetæ, propterea perfectior notitia Diuinorũ fuit in Apostolis propter Ecclesiam, quam in Prophetis propter Synagogam. Hinc Apostolus Ephes. 3. *Potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum, sicut reuelatum est sanctis Apostolis eius.*

38. Ad 5. ℞. Hæc obiectio est Nili hæretici, qui criminatur S. Petrum errasse in fide, cùm ipse erret, atq; vt cæcus præceps in foueam ruat. Reprehensus est quidem Petrus à Paulo, non propter aliquem errorem in fide, sed propter simulationem, vt apertè indicat Paulus in eodem loco, d. *Simulationi eius consenserunt cæteri Iudæorum*: hæc autem simulatio eius fuit vitium hypocrisis, vt Augustinus ad Anselmum censet, oppositum simplicitati. (August.) Simulabat autem legis obseruationem, cùm verè non intenderet eam seruare, sciebat enim illam abolitam mente Christi, & tamen alijs Iudæis se accommodare intendebat, & illa simulatione gentes prouocabat ad Iudaismũ, id est ad abstinendum à cibis lege Mosaicâ vetitis, Leuit: 11. Itaque simulatio ista Petri non debet dici error fidei aut prædicationis, sed conuersationis, vt dicit Tertull. de præscript. (Tertull.)

39. Ad argum: Affirmantis Sententiæ. ℞. Ad 1. à dicto simpliciter ad dictum secundùm quid, non valere Consequentiam, docent Logici: quia Spiritus sanctus promittitur mittendus ad docendum omnia, non sequitur quod in ipsa die Pentecostes omnia simul mysteria fidei docuerit. Et licet in die Pentecostes missus sit ad docendum omnem veritatem, non tamen necessariò concluditur, quod simul omnia docuerit, ad quæ docenda missus fuit, quod nec ex D. Thoma loco posito colligi potest, solùm enim ille dicit Act: 2. id est in die Pentecostes impletam esse promissionem missionis Spiritus sancti, & in Apostolis impletam esse, quod negabant hæretici, quos ibi refert.

Ad 2. ℟. Quæ magis tunc omnibus ſcitu erant neceſſaria ad ſalutem, credibile eſt ea cumprimis Apoſtolos didiciſſe per reuelationem Spiritus ſancti, qualia erant de Diuinitate Chriſti, de vera ipſius reſurrectione, aſcenſione, ad dexteram Patris ſeſſione, de baptiſmo per quem intratur in Eccleſiam, & ſine quo nemo ſaluari poteſt, & ſimilia, hæc primùm magiſterio Spiritus ſancti didicerunt Apoſtoli. Et quamuis Eccleſia æqualiter indigebat notitia, huius atq; illius myſterij, non tamen ſimul omnium & ſemper æqualiter. Atque hæc docebat Spiritus ſanctus Apoſtolos ad vtilitatem, vt Apoſtolus dicit 1. cor. 12. Hinc D. Thom. 2. 2æ. q. 176. art: 1. ad 1m. dicit. *Apoſtolos habuiſſe omnem ſcientiam, quantum expediebat ad conuerſionẽ mundi.* 40.

Ad 3. ℟. Quamuis pari neceſſitate linguas & myſteria fidei Spiritus ſanctus docuerit Apoſtolos, non tamen ſequitur cum traditione omnium linguarum, ſimul docuiſſe omnia fidei myſteria, ſed iuxta neceſſitatem. Et linguæ quidem neceſſariæ erant ad eloquendum ſingula myſteria cunctis gentibus, iuxta illud præceptum Domini. Docete omnes gentes, vnde omnium gentium linguis oportebat eos continuò loqui; Porrò non omnia myſteria ſimul oportebat loqui, ſed pro diuerſa opportunitate. Hinc Paulus 1. cor. 3. *Lac vobis dedi.* Et Hæbr. 5. *Facti eſtis quibus lacte opus ſit*, proinde nec omnia ſimul reuelandi neceſſitas fuit. 41.

Ad 4. ℟. Ad perfectionem Eccleſiæ, ſufficiebat ea notitia myſteriorum, quam tunc neceſſitas exigebat, quia verò non omnium tunc ſimul notitiam exigebat neceſſitas, ſed aliquorum, quæ primò inculcanda erant credentibus, ideò non erat neceſſe omnia ſimul myſteria in die Pentecoſtes doceri Apoſtolos. 42.

Instabis. Ergo nunc perfectior eſt Eccleſia quàm fuerit in die Pentecoſtes. Conſeq. patet, quia nunc expletas habet omnes reuelationes, quæcunq; ſunt ad ſalutem neceſſariæ, tunc autem non omnes expletæ fuerunt. 43.

℟. Nullum ſequitur abſurdum, nunc clariùs explicatam eſſe doctrinam de rebus Diuinis quàm ante fuerit, quanquam nunc reuelationes quas habet Eccleſia, ab illa deriuatæ ſunt, & quæ fiebant Apoſtolis, etiam pro nobis fiebant. Proinde hac in parte nullius imperfectionis illa Eccleſia reſpectu noſtri inſimulari debet.

COROLLARIVM 2.

In hac Ecclesia Romana Pontificia, omnia dogmata sunt Religionis, etiam quæ scripta non sunt.

PRoximè præcedenti problemate constat doctos fuisse Apostolos omnem veritatem à Spiritu sancto, hoc est omnia mysteria fidei ad salutem necessaria ipsis pro vniuersa Ecclesia fuisse reuelata, subiungitur itaq; præsens Corollarium, colligens in Romana Ecclesia Pontificia plenitudinem dogmatum contineri. Pro quo Sit

MEMBRVM I.

V. in Romana Ecclesia Pontificia, sit plenitudo dogmatum Religionis?

1. QVanquam in Euangelio S. Ioannis dicitur non omnia scripta esse quæ fecit aut docuit Christus, ideo in dubium vocari potest, an omnia dogmata ad salutem necessaria in Romana Pontificia Ecclesia contineantur? atq; pro resolutione dubitationis affirmatiuè

COLLIGITVR. In sola Romana & Pontificia Ecclesia est plenitudo dogmatum religionis. PATET. 1. In sola Romana Pontificia docetur omnis veritas. Ergo in sola Romana Pontificia est plenitudo dogmatum religionis. ANT: Vbi Spiritus sanctus docet, omnem veritatem docet, iuxta illas promissiones, Ioan: 14. *Ille vos docebit omnia.* Ioan: 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Sed in sola Romana Pontificia Spiritus sanctus docet. Ergo in sola Romana Pontificia docetur omnis veritas. MIN: Vbi est vera & legitima successio ab Apostolis, ibi docet Spiritus sanctus; Apostolis enim factæ sunt istæ promissiones cum successione, vt ipsi transmittant ad successores veritatem sibi à Spiritu sancto traditam. Atque ita iam Apostoli in Ecclesiam, in qua ab ipsis est successio, quasi in depositorium diues, plenissimè contulerunt omnia, quæ sunt veritatis, vti omnis quicunq; velit, sumat ex ea potum vitæ, vt ait Iren: lib. 3. cap. 4. Atqui in sola Romana Pontificia, est vera & legitima successio ab Apostolis, vt supra ostensum est, Ergo in sola Romana Pontificia Spiritus sanctus docet. (Iren.)

DEINDE. Est in Ecclesia plenitudo dogmatum religionis quæ ad salutem sunt necessaria, aliàs minùs prouidisset DEVS de salute hominum. Sed plenitudo ista non est in Lutherana aut Caluiniana factione, nec in vlla secta ab Ecclesia Romana aliena. Ergo in sola Romana Pontificia. MIN: Plenitudo ista dogmatum habetur ex plenitudine verbi DEI, non solùm scripti, sed etiam non scripti, cuiusmodi sunt traditiones, quas 2. Thessal. 2. tenere hortatur Apostolus. Atqui in sectis ab Ecclesia Romana Pontificia alienis, præter scriptum DEI verbum nihil admittitur, idq; non totum verbum DEI scriptum ibi recipitur: nam aliqui truncant aliqua capita, alij integros libros, deniq; aliqui totam etiam scripturam reijciunt, sicut Cerinthus apud Sanderum lib. 7. Monarch. circa annum 68. idem quoq; Marcion: Cerdon, & Manichæus, Anabaptistæ tàm ex nouo quàm ex veteri testamento aliquos libros reijciunt, idem Lutherani & Caluinistæ. Sola Romana Ecclesia Pontificia integrum DEI verbum tàm scriptum quàm non scriptum purè veneratur & conseruat. 2. Sander.

PRÆTEREA. Ecclesiæ Romanæ Pontificiæ simpliciter credendum est, Ergo omnia dogmata ad salutem necessaria habet, Conseq. manifestum. Si enim in aliquo dogmate ad salutem necessario deficeret, quis simpliciter ei credendum putaret, si vel in vno errori pateret? ANT: patet, tam ex eo, quia Matth. 18. pro Ethnico & publicano iudicandus decernitur, quisquis Ecclesiam non audit docentem & præcipientem: tùm quia Ecclesiæ Romanæ Pontificiæ semper fides Catholica, nullo vnquam errore aut hæresi labefactata, vt testatur S. Cyprian: lib. 1. epist: 3. nunquam perfidiam habuisse accessum ad sedem Romanam. In qua scilicet Apostolicæ Cathedræ semper viguit principatus, vt S. August: epist: 142. d. indeq; Hieron: lib. 1. contra Ruffin. Romanam fidem Catholicam fidem appellat. Et Ambros. in orat: de obitu Satyri, Episcopos Catholicos non alios vocat quàm Romanos & qui cum eis communicant. 3. Cypr: August. Hieron: Ambros:

INSVPER. Ecclesia Romana Pontificia in dubijs religionis semper est consulenda, Ergo in ea plenitudo dogmatum religionis, Conseq. manifestum, ANT: verò, tùm quia Ecclesiæ Orientales & Africanæ in opinionum suarum dissensionibus Romanam consulebant, & qui definitioni Romanæ Ecclesiæ non acquiescebant, semper hæretici & schismatici habiti sunt; nam & de Paschate controuersiam Ecclesiarum Orientalium, Romana Ecclesia per Victorem Pontificem suum determinauit. Et aliam controuersiam Ecclesia- 4.

rum Africanarum, de rebaptizatione baptizatorum ab hæreticis Romana Ecclesia per suos Pontifices, primò per Cornelium, deinde per Stephanum decidit: tùm etiam quia non solùm Catholici, verùm etiam non rarò hæretici, Romanam Ecclesiam consulebant, vt memorat Cyprianus lib. 1. epist: 3. Iren: quoque lib. 3. cap. 3. docet omnes controuersias de religione definiendas ab Ecclesia Romana, d. Ad hanc Ecclesiam necesse est conuenire omnem Ecclesiam, hoc est omnes qui sunt vndiq; fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. Et Cyrill. in libro thesaurorum vt refert. D. Thom: in opusc. contra errores Græcorum, vbi de potestate Romani Pontificis sic ait. *Vt membra maneamus in capite nostro, Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere & quid tenere debeamus.* Et Maximus in epist: ad Orientales. *Omnes* inquit *fines orbis, qui Dominum sincerè receperunt, & vbiq; terrarum Catholici veram fidem confitentes in Ecclesiam Romanorum, tanquam in solam respiciunt; vt ex ipsa lumen Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiant.*

Cyprian. Iren: Cyrill.

℟. Dices. Verbum Dei per Ecclesiam loquentis aut est maioris authoritatis quàm Dei verbum positum in scriptura, aut minoris. Si maioris authoritatis. Ergo non est necesse, in controuersijs religionis scripturam proferre, cum tamen Augustinus lib. 1. contra Cresi Gramm: protestatus sit sequi se certissimam authoritatem Canonicarum scripturarum. Si autem minoris est authoritatis. Ergo ad plenitudinem dogmatum fidei non pertinet. ℟. Verbum Dei loquentis per Ecclesiam nec maioris nec minoris est authoritatis, quàm quod positum est in scriptura. Non maioris vt res de se clara. Non etiam minoris sed æqualis, proinde Concil. Trid. Sess. 4. vtrumq; pari pietatis affectu ac veneratione suscipit & veneratur. Et ratio est, quia Verbum Dei non à membranis in quibus scribitur sumit authoritatem, sed ab ipso ore Dei, à quo profectum est, pari autem ratione à Deo profectum est non scriptum atq; scriptum: præterea dogmata non scripta ad plenitudinem dogmatum religionis eo etiam modo pertinent, quæ in Ecclesia asseruantur, & custodiuntur, quia per Ecclesiam cognoscitur, quæ scriptura verbum Dei contineat, & quæ minùs, ideo & S. August: propter authoritatem Ecclesiæ se Euangelio credere profitetur, infirmata autem Catholicorum authoritate, nec Euangelio se posse credere, quia per eos illi crediderat. Sed pro sufficientiori deductione. Sit

Trident.

MEMBRVM II.

V. *in Ecclesia aliqua dogmata Religionis non scripta, sint necessaria ad salutem?*

HÆretici pro sua vecordia, nulla dogmata Religionis agnoscunt, præter ea, quæ in scripturis continentur. Et de antiquis quidem hæreticis Irenæus lib. 3. cap. 2. dicit eos neque scripturis, neq; traditioni consentire voluisse. Alij autem penitus profana omnia censebant, quæcunq; in scripturis non erant manifestè expressa. Nam Ariani in Synodo Isauriæ exploserunt vocem cóëssentialis, quia in scripturis non legitur, idem in Ariminensi conciliabulo fecerunt, vbi vocabulum substantiæ reiecerunt, eo quod sacræ scripturæ nunquam meminerunt substantiæ Patris & Filij. Idem sequuntur Lutherani & Caluinistæ, nam Caluinus lib. 4. instit: cap. 8. d. *Esto hoc firmum axioma, non aliud habendum esse verbum Dei, cui detur in Ecclesia locus, quàm quod lege primùm & Prophetis, deinde scriptis Apostolicis continetur.* Et Brentius in prolegom: *Perspicuè* inquit *significat Apostolus, quòd nulla traditio contra vel præter testimonia scripturæ agnoscenda sit pro dogmate necessario ad salutem.* Idem sentit Kemnicius, ad sess: 4. examinis Concilij Trident. Idem ipse Lutherus, in cap. 1. Gal. Contra quos Catholicè 6.

COLLIGENDVM. Esse in Ecclesia dogmata religionis ad salutem necessria, quæ in scripturis non continentur. Ita docet Alfonsus à Castro lib. 1. cap. 5. contra hæreses & alij PATET. 1. ex Patribus antiquis. Dionys. cap. 1. Eccles. hierarch. Primi inquit illi nostri Sacerdotalis muneris duces, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt, Iren: lib. 3. cap. 4. *Si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquißimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & rei liquidum est? Quid autem si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt his, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* S. Basilius etiam in lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Dogmata* inquit *quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus ex* 7. Iren.

doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio ad nos delata accepimus, quorum vtraq; parem vim habent ad pietatem. Et S. Chrysost: in 2. Thess: 2. *Hinc* inquit *patet quod non omnia per epistolam tradiderit, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt, tàm illa, quàm ista.* Et in Matth. Multa ex Propheticis perierunt monumentis, quod de historia Paralipomenon probare possibile est: desides enim cùm essent Iudæi: nec desides modò sed etiam impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tùm incenderunt, tùm conciderunt. Et Epiphanius hæresi 61. *Oportet* inquit *& traditione vti, non enim omnia à diuina scriptura possunt accipi, quapropter alia in scriptis, alia in traditione sancti Apostoli tradiderunt, quemadmodum dicit Sanctus Apostolus. Sicut traddi vobis.* Et Damascenus lib. 4. cap. 17. *Plurima Apostoli sine scripto tradiderunt.* Idem D. Thom: 3. p. q. 25. art. 3. ad 4m.

8. DEINDE. Symbolum Apostolorum est dogma religionis, ad salutem necessarium, quod nemo nisi impius negare præsumit, est enim *breuis & compendiosa fidei regula,* vt ait S. Leo. Serm. 11. de Passione Domini. Atqui symbolum illud in scripturis non continetur, non enim illud Apostoli scripserunt, sed viua voce tradiderunt, vt passim Patres testantur, Irenæus loco supra dicto, Hieron: in epistola ad Pammach. Augustinus in libro de fide & operibus, Ambros. epist: 81. Apellârunt autem symbolum, quia eo veluti nota & tessera quâdam vtebantur, quâ desertos & subintroductos falsos, qui Euangelium adulterabant, ab ijs qui verè Christi militiæ sacramento se obligarunt, facilè possent internoscere.

S. Leo.
Iren.
Hieron:
August.
Ambros.
Catechism.
Baroch.

9. DIXERINT. Omnia quæ continet symbolum, sparsim contineri in scripturis. Ergo nullum dogma religionis ad salutem necessarium est, quod non contineatur in scripturis. ℞. esto omnia contineantur in scripturis quæ continentur in symbolo, quia tamen ipsum symbolum, quod est breuis regula fidei, in scripturis non continetur, sed oretenus compositum & traditum Ecclesiæ ab Apostolis, quod Ecclesia illibatum semper custodit, vt Ambros. dicit, liquidò constat esse dogmata religionis in Ecclesia, ad salutem necessaria, quæ scripturis non sunt consignata, inter quæ est ipsum symbolum, de quo etiam Basil. in lib. de Spiritu sancto. *Omitto cætera, ipsam fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, è quibus scripturis habemus?*

Ambros.
Basil.

10. PRÆTEREA. Doctrina Religionis ad salutem necessaria, latiùs patet quàm scriptura, *cui verbum Dei non est alligatum.* 2. Tim. 2. Ergo in Ecclesia sunt

sunt dogmata religionis ad salutem necessaria, quæ in scripturis non continentur. Conseq. manifestum. Ant: patet, Tùm quia multis ante sæculis fuit doctrina fidei & religionis priusquàm scriberetur: Moyses enim primus mandauit literis verbum Dei & doctrinam religionis, ante Moysen autem multo tempore loquebatur Deus ad Adam, Noë, Abraham, & alios Patriarchas, eisq; dogmata salutis reuelabat, quæ tandem traditione ad Moysen peruenerunt, etiam de mundi origine, quod postea literis prodidit. Tùm quia ipsum Euangelium prius traditum fuit ore Christi, quàm conscriptum, imò Marcus illud conscripsit ex traditione S. Petri, vt Papias discipulus Apostolorum narrat. Et Lucas ex traditione Pauli, tùm aliorum Apostolorum, vt est apud Euseb. lib. 3. cap. 24. ipse Lucas in principio id testatur, d. *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt.* Tùm quia ipsam scripturam, non aliunde scimus esse diuinam, nisi ex traditione; nam Clemens Alexand. secundùm traditionem maiorum, ostendit quæ sint vera Euangelia, vt narrat Euseb. lib. 6. Histor. cap. 11. Tùm quia non omnia in scriptura continentur. Tùm quia scriptura vt plurimum obscura, cuius sensum apertiorem faciunt dogmata præter scripturam in Ecclesia conseruata, vt docet Vincent: Lyrinen: cap. 41.

Papias. Euseb. Clemens Alexand. Lyrinens.

Dices. 1. Abrogatum non debet censeri inter dogmata Ecclesiæ ad salutem necessaria. Atqui adueniente scripta lege, dogmata non scripta sunt abrogata; tantisper enim durabant, donec veniret scriptum, quod certius est & firmius, quia minùs mutabile; nam quod per sermonem tantùm traditur, mutationi frequenti obnoxium est, addendo ei aliquid aut detrahendo, tùm etiam falsa pro veris permutando, vel etiam propter flaccidam memoriam plurima obliuioni concedendo, iam verò quod scripto traditur, faciliùs & firmiùs custoditur. ℟. argumentum est Kemnicianum, cuius Min: negatur, nam circumcisio, Sabbati sanctificatio, discretio animalium mundorum & immundorum, & alia multa, quorum obseruationes per plurima sæcula ante scripturam, fuerunt dogmata religionis, non sunt abrogata per scripturam, nec etiam ex eo quòd postea scripta fuerunt, maius pondus habere cæperunt, quàm antea habuerint oretenus à Deo pronuntiata. Quòd verò dicitur dogmata oretenus tradita mutationi obnoxia esse, idem de scripturis dici debet, nihil enim tàm firmum est, quod corrumpi & falsari non possit, nam & in scripturis multa falsarunt hæretici. Iam quòd dogmata religionis non scripta, in sua fide & integritate semper conseruentur, id non

II. Kemnic.

tàm humanæ curæ, quàm singulari DEI prouidentiæ tribuendum, qui ab Adam vsq; ad Moysen ea conseruabat, & nunc cum vera Ecclesia contra tot persecutiones Imperatorum, Iudæorum & hæreticorum conseruat, quanquam & in Ecclesiasticis scripturis, vsuq; ipso conseruentur.

12. DICES. 2. Quod non continetur in scripturis ab eisdem reprobatur, Ergo inter dogmata religionis ad salutem necessaria numerari non debet, ANT: patet ex aliquot locis scripturæ. Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis.* Apoc. 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Gal. 1. *Licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, Anathema sit.* Et infra, accusat se quòd fuerit æmulator paternarum traditionum. ℞. neg: ANT: Ad prob. d. quia extra causam citant scripturas hæretici, ideo nihil concludunt. Tres priores authoritates, non de solis dogmatibus scriptis sunt intelligendæ, sed in vniuersum de doctrina à DEO data, siue in scripturis, siue extra scripturas. In duabus posterioribus authoritatibus solùm Pharisaicæ reprobantur traditiones, quia aut legi DEI repugnabant, & proximæ erant occasiones peccandi, aut gloriæ Christi derogabant; aut friuolæ, onerosæ, & nullius vtilitatis erant, vt ait Peresius, de traditionibus postulato 3. Peresius.

MEMBRVM III.

Quæ dogmata non scripta, habenda sunt Apostolica?

TRibus ex fontibus dogmata religionis non scripta promanare asserit, Martinus Peresius, in suo tractatu de traditionibus, parte 3. assert: 6. vt primus fons sit diuina authoritas, secundus Magisterium Apostolicum, tertius Episcoporum maximè Romanorum à DEO collata potestas: ita vt alia dogmata non scripta sint traditiones Apostolicæ, alia traditiones Ecclesiasticæ. Ex quo mendacium Caluini confutatur, qui lib. 4 instit. cap. 10. traducit Catholicos omnem ritum Ecclesiasticum eos velle haberi pro Apostolica & Diuina traditione, quod manifestè falsum est, nam Catholici semper distinguunt Apostolicas traditiones ab Ecclesiasticis. Porrò eandem authoritatem esse Diuinorum & Apostolicorum dogmatum, quæ dictante Spiritu sancto ipsi Apostoli tradiderunt & instituerunt seu iubente Christo promulgauerunt, idem Peresius fatetur, idq; confirmat ex Cypriano in serm:

Peresius. 13. Caluin. Cyprian.

de ablutione pedum, qui dicit. Sicut par est Spiritus sancti & Christi Diuinitas, ita in suis institutis æqua est authoritas & potestas; nec minùs ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse per se tradidit. Sunt verò certæ rationes quibus dignoscantur dogmata ab Apostolis profecta. 1. vt illud dogma ab Apostolis credatur profectum, quod vniuersa Ecclesia semper tenuit, Ecclesia enim vniuersa cum capite suo nunquam errare potest, quam nunquam DEVS destituit Spiritu sancto, vt per os eius loqui dedignetur, sicut antea loquebatur, præsertim qui promisit se cum illa futurum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi. Ergo quod Ecclesia semper tenuit tanquam dogma religionis, certum est Apostolicum esse, per Apostolos enim fidem & religionem accepimus. Atque tale dogma est, de perpetua Virginitate DEI Genitricis, contra Heluidium. 2. Ritum illum esse ex dogmate Apostolico, quem nemo nisi solus DEVS instituere potuit, & cum vniuersa seruat Ecclesia, quæ etiam in ritibus errare non potest. Tale dogma est de paruulis baptizandis: hæreticis non rebaptizandis qui de mysterio SS. Trinitatis rectè sentiunt. 3. Dogma & institutum Apostolicum est, quod vniuersa Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus obseruauit, etiamsi aliàs ab Ecclesia institui potuerit. Tale est de ieiunio Quadragesimæ, & Quatuor temporum, vt sufficienter & dilucidè ostendit Alphonsus Pisanus. Deniq; omnia illa ex dogmate Apostolico esse constat, quæ vniuersa Ecclesia frequentat, & initium eorum ignoratur. Hinc S. August. epist: 118. ad Ianuarium. *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendantur atq; instituta retinentur.*

[Heluid. — Alph: Pis. — August.]

DICES. Sub nomine Apostolicorum dogmatum multa falsa subrepunt, Ergo nulla dogmata, quæ Apostolica circumferuntur sunt admittenda, si authoritate scripturæ roborari non possunt. ANT: nam Papias discipulus Apostolorum tanquam ex viua traditione Apostolorum ad se relata docuit, regnum Christi futurum mille annorum post resurrectionem in terris, vt testatur Eusebius lib. 3. Histor. cap. 39. ℞. Quamuis hæc obijciat Brentius in Prolegom, nihil tamen efficit, illa enim quæ dicuntur à Papia scripta vel dicta, non modò pro Apostolicis dogmatibus ab vniuersa Ecclesia non sunt recepta, sed statim etiam ab initio reprobata. 14.

[Euseb.]

INSTAT Brentius, Constituto aliquod dogma esse Apostolicum, non sta- 15.

tim cognoſcitur quo conſilio & in quem finem & vſum ab Apoſtolis ſit inſtitutum, niſi ex perpetuo conſenſu doctrinæ Apoſtolicæ, quæ ſcripto commendata eſt. Ergo non ſunt temerè ſine ſcripto huiuſmodi dogmata admittenda. ℞. minimè expedit aut conuenit ab omnibus excuti quo conſilio aut in quem finem Apoſtoli ſuas traditiones inſtituerint, verùm illud tenendum, quod S. Chryſoſt. Homil. 4. in 2. Theſſ: d. *Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Et S. Gregor. lib. 2. in lib. Regum. *Vera* inquit *obedientia, nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit.*

Chryſoſt.
Gregor.

COROLLARIVM 3.

In ſola Romana Eccleſia, quæ ſemper eſt Pontificia, omnimodis præcauent Præpoſiti, ne aliquid tradant poſteris, quod ipſi à Patribus non acceperunt.

QVia antiquitas ſemper cuſtodita & conſeruata in Eccleſia, excludit omne dogma nouitium, quod vt profanam vocem deuitare monet Apoſtolus 1. Tim. 6. atq; antiquum depoſitum cuſtodire: rectè proinde in doctrina Corollarij infertur, à Paſtoribus in Eccleſia cuſtodiri diligenter, ne quid nouitatis ad poſtores tranſmittant, quod ipſi à maioribus non acceperint, verùm vt hoc quod aſſeritur manifeſtiùs appereat. Sit

MEMBRVM I.

Quomodo antiquitati in Eccleſia Romana ſemper inhæretur?

1. CVm antiquitate nihil ſit ſecurius, nouitate nihil perículoſius, idcirco in Eccleſia Romana, ſemper antiquitas retinetur. Cumque variæ partes Mundi ad nouitia dogmata frequenter declinarent, vt Ægyptus ad nouum dogma Arij, Africa ad Donati, Thracia ad Neſtorij, Saxonia ad Lutheri. Nam in ipſis Patriarchalibus Eccleſijs nouitia dogmata hæretici ſedentes ſunt profeſſi. In Conſtantinopolitana præter Neſtorium, Macedonius, Sergius. In Alexandrina, Cyrus, Dioſcorus, Lucius. In Antiochena, Macarius,

Sedes Conſtantinop. Alexandr. Antioch.

Monothelita, Paulus Samosatenus. In Ierosolymitana Eutyches, & Ioannes Origenista. Romana Ecclesia in antiqua fide semper constans permansit, nec vnquam nouitati subscripsit, quod pluribus in locis imò toto commonitorio suo contra hæreses Vincentius Lyrinensis ostendit. Nam Romanorum Pontificum maximum Studium est antiquitatem conseruare, & nouitia dogmata abolere, quod cap. 9. idem author ostendit. Cùm enim in Africa nouum dogma de rebaptizatione exortum esset, Stephanus Papa antiquitatem opposuit. Cùm ergo, inquit, ad nouitatem rei cuncti vndiq; reclamarent, atque omnes quàquà versum Sacerdotes, pro suo quisq; studio renitentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, Apostolicæ sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum vt opinor existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci authoritate superabat. Deniq; in epistola quæ tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit. *Nihil nouandum nisi quod traditum est.* Cap. 32. Romanam Catholicam Ecclesiam, sedulam antiquorum dogmatum custodem vocat, d. *Christi Ecclesia sedula & cauta, depositorum apud se dogmatum custos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena, sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando si qua sunt illa antiquitùs informata & inchoata accuret, & poliat, si qua iam expressa & enucleata, consolidet, confirmet, si qua iam confirmata & definita, custodiat.* Et vltra. *Deniq; quid Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus suis sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret.* Cap. 34. *Catholicorum cum Romana Ecclesia communicantium proprium esse, antiquitati inhærere, hæreticorũ contra antiquitatem fastidire, & nouitates sectari. Quis* inquit *vnquam hæreses instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit?* Cap. 43. inducit duorum Romanorum Pontificum decreta de antiquitate retinenda, & profana nouitate reijcienda: Nam Xisti Papæ recitat verba dicentis. *Nihil vltra licet nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati, perspicua maiorum fides & credulitas, nullâ cœni permixtione turbatur.* Itẽ Cœlestini. *Desinat* inquit *nouitas incessere vetustatẽ.* Iren: lib. 3. cap. 3. Ecclesiã Romanã antiquissimam vocat, cùm ob multas rationes, tùm potissimùm quia conseruatrix antiquæ fidei, de qua S. Hieron: Apolog: 3. contra Rufin: *Scito* inquit *Romanam fidem Apostoli voce laudatam, istiusmodi præstigias* (id est nouitates) *non recipere.* Deniq; Agatho Ecclesiæ Ro-

Ierosol. Lyrinen: Stephan. Papa. Xistus Papa. Cœlestini. Papa. Iren. Hieron. Agatho.

manæ Pontifex legatis suis, quos ad Sextam Synodum misit, mandauit, vt duntaxat ex libris sanctorum Patrum, quos Ecclesia Romana suscipit, Imperatori Constantinopolitano satisfacere studerent. Postremò omnes qui aliquando cum Ecclesia Romana communicabant, antiquitatis Studiosissimi erant, nouitia dogmata antiquitati contraria damnabant. Hinc Tertul: in lib de præscript: cum nouitatis assertoribus congressus, d. *Qui estis vos? vnde & quando venistis? vbi tamdiu latuistis?* Hilar. lib. 6. de Trin: *Tardè mihi hos piissimos Doctores ætas nunc huius sæculi protulit, serò hos habuit fides mea.* Hieron: ad Pammach. & Ocean: *Quisquis assertor es nouorum dogmatum, quæso te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est,* &c. Rufin: in exposit: symboli *In Ecclesia* inquit *Vrbis Romæ, neq; hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.*

Tertull. Hilar: Hieron: Rufin:

2. DICES. 1. Exclusâ omni nouitate, excluditur omnis profectus religionis. Ergo antiquitati non est ita inhærendum, vt nihil omnino nouitatis admittatur, ad quam se profectus extendat, R. exclusâ nouitate dogmatum, non excluditur profectus in fide & Religione, imò profectus in fide & religione aliter fieri non potest, nisi nouitas antiquitati contraria excludatur, tunc enim vnumquodq; dicitur proficere, quando in seipso amplificatur, nam quando in aliud transuertitur, non proficit sed permutatur. Itaq; tunc profectus est fidei & religionis in Ecclesia, quando crescit secundùm gradus intelligentia in hominibus, circa fidem & religionem, tunc autem permutatur fides, quando antiqua dogmata à Patribus accepta, cedunt nouis & inusitatis.

Lyrinens: cap. 28.

3. DICES. 2. In Ecclesia Romana multa noua docentur, quæ antea fuerunt inusitata. Ergo non adhæret antiquitati. ANT: patet, nam transubstantiationis vocabulum nouum antea inauditum Innocentius tertius cum Thoma Aquinate excogitauit: deinde Sacramenta conferre gratiam non ponenti obicem, nouum est, à Scoto inuentum, antea non auditum, tùm Sacramenta solùm sint promissiones & sigilla gratiæ, & multa alia noua inducuntur, antiquitati aduersantia. R. neg: ANT: multa quidem in Ecclesia Romana nouè docentur, sed nihil nouum, omnia antiqua, non alia, quàm quæ antea docebantur. Nouè autem docentur, quia iam maiori intelligentiâ & declaratione. Quæ verò in probatione adferuntur, sunt hæreticorum mendacia, Lutherus quidem cap. 1. captiuitatis Babylon: transubstantiationem calumniatur inuentam S. Thomæ Aquinatis, & confirmatam ab Innocentio tertio in Concilio Lateran: Caluinus autem lib. 4. instit: cap. 17. dicit

Lyrinen. cap. 27. Luther. Caluin.

dicit transſubſtantiationem tempore S. Bernandi nondum innotuiſſe. Aſt iſti mentiuntur, nec opus eſt cum ipſis de nomine litigare, cùm de ipſa re ſatis conſtet. Etenim quando Patres antiqui dicunt ſubſtantiam panis in conſecratione conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, quid aliud quàm tranſubſtantiationem aſſerunt? Iuſtinus Martyr Apolog: 2. dicit eum cibum quo carnes noſtræ aluntur, id eſt panem, prece verbi DEI ſanctificatum, eſſe verbi carnem, Iren: lib. 4. cap. 34. *Quomodo* inquit *conſtabit eis, eum Panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant?* &c. Tertull. in lib. 4. contra Marc. *Acceptum Panem corpus ſuum facit dicendo. Hoc eſt corpus meum.* Cyprian: in Serm: de cœna Domini, *Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie ſed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus eſt Caro.* Ambroſ. lib. 4. de ſacram. cap. 4. *Panis iſte Panis eſt ante verba ſacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de Pane fit Caro Chriſti.* id alij omnes. Quantùm ad effectum Sacramentorum, negant hæretici ſacramenta eſſe veras & proprias cauſas inſtrumentales iuſtificandi, Lutherus art: 1. Scotum authorem facit huius ſententiæ quòd ſacramenta conferant gratiam non ponenti obicem, quam ſententiam iſte hæreſiarcha vocat hæreticam, cùm ipſe velit ſacramenta nihil eſſe aliud, quàm teſtimonia ad excitandam vel nutriendam fidem, quæ obſignent promiſſionem gratiæ. Verùm & in hoc mentitur, ſiquidem multò ante Scotum docuerat idem Innocentius tertius, & Auguſt: epiſt: 23. ad Bonifac. vbi poſtquam oſtendit Paruulis prodeſſe baptiſmum, etiamſi actu non credant, ita loquitur. *Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etiamſi habeat fidei ſacramentum, & longè melior eſt ille paruulus, qui etiamſi fidem nondum habeat in cognitione, non tamen illi obicem contrariæ cogitationis opponit vnde ſacramentum eius fideliter percipit.* Et Concil. Conſtantinop. 1. in Symbolo. *Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Iuſtinus in Apolog: ad Antoninum. *Remiſſionem ante commiſſorum peccatorum conſequimur in aqua.* Chriſoſt: Homil. 39. in Gen: *Quod illic operatur circumciſio in depoſitione carnis, hoc agit hic baptiſmus in depoſitione peccatorum.* Ambroſ: lib. 2. de pœnit cap. 2. *Impoſſibile videbatur vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram ſuam mundari per aquam poſſe non credidit, ſed quod impoſſibile erat, Deus fecit poſſibile eſſe, qui tantam nobis donauit gratiam.*

Iuſt. Mart. Iren. Tertull. Cypr. Ambroſ. Luther. Innocent. Papa. Auguſt. Concil. Conſtant. Iuſt: Mart. Chryſoſt. Ambroſ.

MEMBRVM II.

Cur hæretici nouorum dogmatum fiunt assertores?

4. DIcente Apoſtolo hæretici ſemper proficiunt in peiùs, 1. Tim: 3. profanas nouitates ſemper credunt, errantes & in errorem ſemper mittentes, quod manifeſtum eſt, tùm de antiquis, tùm de hodiernis Luthero, Caluino & alijs. Id autem faciunt, vel propter iſtas cauſas. 1. quia exoſam habent antiquam veritatem. (DEVS quippe eſt antiqua veritas) & ideo amplectuntur nouam falſitatem: vt enim lumen gratum eſt oculis ſanis onerosum autem lippientibus, adeo vt mallent in abdito tenebrarum latitare: ita lumen veritatis ijs qui circa ipſum ſunt benè diſpoſiti, eſt valde gratum, male diſpoſitis eſt in odio, *Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem: qui autem facit veritatem, venit ad lucem.* Ioan: 3.

Lyrinen: Cap. 34.

5. DEINDE. Vt iactent acumen ingenij ſui; ſuperbi enim ſemper ſingulares videri volunt; hæretici autem cùm ſint progenies ſuperbiæ per inobedientiam effecti, ſingulares videri volunt, quod nouitatibus dogmatum aſſequi nituntur, dùm ſe oſtentant aliquid ſupra homines efficere, quia ſecundùm Apoſtolum 1. Tim. 1. aberrant à Charitate quæ eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, *conuertuntur in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neq; quæ loquantur, neque de quibus affirment.*

6. PRÆTEREA. quia traditi ſunt in ſenſum reprobum, cumq; ad voluntatem diaboli captiui teneantur, quoſcunq; vult errores & noua inuenta, facillimè illis perſuadet, & tùm etiam alijs id probare conantur, in quo ipſi errant, & veluti ſcientiam de nouo ipſis reuelatam promittunt, de quo Apoſtolus, 2. Petr. 2. *In vobis erunt magiſtri mendaces qui introducent ſectas perditionis.* Et vltra. *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.*

7. INSVPER. Noua dogmata ementiuntur, vt ſuis nouitatibus curioſos homines ab Eccleſia retrahant, & ad ſe pelliciant; noua enim ſunt in admiratione, & quoſq; ad ſe magis pertrahunt quàm vetera.

8. DENIQ; id faciunt vt occaſionem litis habeant: hæreticorum enim eſt litigare, Rom: 1. *Repletos contentione, dolo,* &c. Philipp. 1. *Quidam propter inuidiam & contentionem prædicant:* quod 2. Tim. 2. prohibet, d. *Noli contendere*

tendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium: Et infra. *Seruum* DEI *non oportet litigare.* Lutherus itaq; valde cupidus erat litis & contentionis, nam in responsione ad Regem Angliæ, tanquam furibundus & planè dæmoniacus omnes Catholicos ad lites & pugnam verborum fastuosus prouocabat, qui tamen odoratus bellum, receptui canebat. Luther:

9. Dices. Etiam Ecclesia aliquando nouos articulos condit, Ergo nouitas non est improperanda hæreticis; Ant: patet, nam in Concilio Nicæno condidit articulum nouum fidei de consubstantialitate Filij cum Patre, in Concilio Constant: de processione Spiritus sancti à Filio, & plura alia. ℞. neg: Ant: ad prob. d. Ecclesia quando explicat aliquem articulum fidei, non facit nouam fidei veritatem, sed antiquam per assistentiam Spiritus sancti explicat, verbis claris & manifestis exprimendo aliquam assertionem, quam ex alijs abstrusis, reconditisq; sacræ scripturæ locis, cum antiqua traditione elicit. Et sic Concilium Nicænum expressit consubstantialitatem Filij, quam nunquam sacræ literæ hoc nomine expresserunt, sed tamen sensu obscuro concluserunt. Eodem modo dicendum de Concilio Constantinop: expressit enim verbis claris & manifestis processionem Spiritus sancti à Filio, quibus verbis non fuit expressa in scriptura, quamuis rectè ex sensu scripturæ eliciatur, nec tamen in hoc nouam fidem effecit: atq; idem iudicium de cæteris. Hæretici autem noua fidei dogmata credunt, quæ nec formaliter, nec materialiter aut virtualiter, vel quocunq; alio modo, aut ex scripturis, aut ex maiorum traditione per bonā consequentiam elici possunt. Concil. Nicæn. Constant. Castro lib. 1. cap. 8.

10. Dicit apologia Anglicanæ ecclesiæ; nullas nouitates contra veram fidem, aut verbum Dei purum excogitasse Lutherum, sed à Deo datum fuisse ad illustrandum orbem terrarum in medijs tenebris luce veritatis ignotæ tùm & inauditæ. Ergo non debet inter nouatores censeri. ℞. quis vnquam dixerit Luterum à Deo datum ad illustrandum orbem, cùm constet non fuisse ad hoc vocatum? vt supra dictum est. Porrò mundum tunc in medijs tenebris fuisse, falsum est, nec potuit esse ignota aut inaudita veritas Christi, nisi præualuissent contra Ecclesiam ipsius portæ inferorum, vt optimè colligit Sanderus lib: 8. monarch: cap: 54. nam ipse promisit se futurum omnibus diebus vsq; ad consumationem sæculi, non cum illis qui absconderentur sub modio, & prædicarent in deserto & in penetralibus, sed cum illis qui docerent & baptizarent omnes gentes. Atqui erat baptismus in Ecclesia Romana, erat doctrina Euangelij in multis simul gentibus ante exortam Sander.

Lutheri. Ergo Christus erat cum ijs qui docebant & baptizabant omnes gentes, perseuerantes in communione Cathedræ Petri in Ecclesia Romana, contra quam non prævalebunt portæ inferiorum.

COROLLARIVM 4.

Custoditur fides vera in Ecclesia Romana, per primum pastorem & inferiores: ita vt omnes ipsi primo subiecti sint: & ipse primus pastor inferiorum ministerium non respuat, vt in omnibus vnitas conseruetur.

NOn solùm domum DEI, sed etiam columnam & firmamentum veritatis, Ecclesiam appellauit Apostolus 1. Tim. 3. arbitror inter alias causas, etiam ideo, quia fidem veram in sua integritate diligentissimè seruat & custodit; atque adeo firmiter, vt nunquam à vera fide deflectere possit. Iam quibus medijs, seu quorum ministerio hæc fides, illibata custodiatur, iuxta Corollarij doctrinam disquirendum venit. Sit proinde

MEMBRVM I.

An per Papam Custodiatur fides illibata in Ecclesia?

1. QVanquam apud Catholicos, meritò temeritatis nota consignatur, qui id præsumat in dubium vocare, quia tamen hæretici & apostatæ flocci pendunt authoritatem summi in Ecclesia Iudicis in negotio fidei, ideo dubium istud nunc proponitur: pro quo Catholicè.

COLLIGITVR. Ministeriò Papæ principaliter fidem veram in Ecclesia custodiri, PATET. 1. quia Papæ fides nunquam deficit, & ipse confirmat alios in fide, iuxta illud, Luc. 22. *Rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ergo per illũ custoditur vera fides in Ecclesia. Tùm etiam, qui vnitatis Ecclesiæ, idem etiam veritatis fidei custos est; nam hæc inuicem se inferunt: Atqui Papa vnitatis Ecclesiæ est custos: ab ipsius enim sede vnitatis origo manat, vt S. Cyprian: lib. 1. epist: 3. d. *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atq; Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.*

Cyprian. (margin)

DEINDE. Quoties difficultates in doctrina fidei exoriuntur, ad Papam recurritur, tanquam ad Summum & infallibilem Iudicem. Nam Synodus Mileuitana in arduis rebus fidei Innocentium consuluit, vt est apud Augustinum epist: 92. & epist: 107. missas esse epistolas ex duobus Concilijs Carthaginensi videlicet & Mileuitano ad eundem Innocentium in rebus fidei, ad easque rescriptum esse, quô fas erat atq; oportebat, Apostolicæ inquit sedis Antistitem, S. Hieron: in quæstione de tribus hypostasibus ad Damasum recurrebat, d. *A Pastore ouis præsidium flagito, discerne si placet, non timebo tres hypostases dicere si iubebis.* Theodoretus etiam ad Leonem primum recurrebat in hæc verba scribens. *Si Paulus præco veritatis tuba Sanctißimi Spiritus, ad Magnum Petrum recurrit, vt ijs qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant ab ipso afferret solutionem, multò magis nos qui abiecti sumus & pusilli ad Apostolicam vestram sedem recurrimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.* Et Prosper in Chronico. *Concilio* inquit *apud Carthaginem habito, ducentorum sexdecim Episcoporum ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Inde Gratianus, dist: 21. *Decretis* inquit *Romanorum Pontificum, & sacris Canonibus Conciliorum Ecclesiastica negotia determinantur.* 2.

Concil. Mileuit. Carthag: August. Hieron.

Theodor.

Prosper. Zozimus. Gratian:

PRÆTEREA. Per illum custoditur fides illibata in Ecclesia, qui nihil fidei contrarium docere potest. Atqui Papa nihil vnquam potest fidei aduersum docere publicè & ex Cathedra, atq; Ecclesiæ tenendum proponere, inde S. Bernard. epist: 190. ad Innocentium. *Oportet* inquit *ad vestrum referri Apostolatum pericula quæq; & scandala regni Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt; dignum namq; arbitror, ibi potißimum resartiri damna fidei, vbi non poßit fides sentire defectum, cui enim alteri sedi dictum est aliquando. Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?* Petrus etiam Chrysologus in epist: ad Eutychetem, in negotio fidei, iudicio Papæ, tanquam eius per quem vera fides custoditur, adhærendum docet. *Hortamur te* inquit *frater honorabilis, vt his quæ à Beatißimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quia Beatus Petrus qui in propria sede viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* 3.

INSVPER. Sententiam Papæ in dubijs fidei, tota Ecclesia audire & sequi tenetur, tanquam Doctoris & Pastoris, non minùs quàm Synagoga Pontificis, de quo Deutor. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris.* &c. Hinc S. Gregor. lib. 4. epist. 52. ad Episcopos Galliæ. *Si quam contentionem de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse* 4.

bietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate relatione sua, ad nostram studeat perducere notionem, quatenùs à nobis valeat congrua sine dubio terminari sententia. Et S. Cyprian: ad Cornelium Papam, quantopere in negotio fidei sit obediendum iudicio Papæ ostendit, d. *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur, cui si secundùm magisteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum Collegium quidquam moueret, nemo post Diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coëpiscoporum consensum, iudicem se, non iam Episcopi, sed Dei faceret, nemo dißidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsum foris nouam hæresim conderet.* Ergo per Papam principaliter in Ecclesia custoditur fides illibata.

5. DICES. 1. Per Concilia generalia principaliter custoditur, vera fides in Ecclesia. Ergo non per Papam, ANT: patet, quia ad hunc finem Concilia generalia fiunt, vt si quid dubij est in fide, ab ipsis determinetur. ℞. neg: ANT: nam Papa est supra Concilia generalia, qui authoritate sua confirmat acta Conciliorum, potestque solus infallibiliter propter assistentiam & directionem Spiritus sancti, sine generali Concilio dogmata fidei definire. Conuocat autem in hoc negotio generale Concilium, cùm ob multas causas, tùm verò etiam, vt decreta de fide faciliùs innotescant omnibus gentibus, cuiq; per suos Episcopos ad Concilium congregatos. Deinde Concilia etiam generalia sine Papa errare in fide possunt, vt patet de Ephesino secundò, de Ariminensi & alijs, Papa autem etiam sine Concilio generali dùm ex Cathedrâ definit, propter certam vt dixi assistentiam Spiritus sancti errare non potest.

Concil. Ephesin. Arimin:

6. INSTABIS. Si Concilia generalia errare possunt, Ergo multo magis Papa. Conseq. deducitur ex Concilio Africano in epist: ad Cœlestinum Papam, in qua asseritur minùs posse errare Concilium, Prouinciale in iudicio quàm Papam. Atqui generale adhuc minùs potest errare quam Prouinciale. Ergo multò minùs quam Papa. ℞. neg: Consequ. Ad prob. d. aliquando minùs potest errare Concilium Prouinciale quàm Papa, in iudicio facti, non iuris, de quo loquitur Concilium Africanum, de iudicio videlicet facti, in causis Episcoporum & Presbyterorum, qui de criminibus accusabantur: quanquam illud Concilium commotū sceleribus Apiarij, qui confugerat ad Romanum Pontificem, non parum excessit modum in verbis illius epistolæ.

Concil. African:

DICES. 2. Per hæreses custoditur fides vera in Ecclesia, Ergo non per Papam. ANT: patet ex illo 1. cor. 11. *Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* ℞. prosunt hæreses ad custodiam fidei, non per se aut directè, sed occasionaliter & per accidens; nam per se & ex intentione hæreses corrumpunt potiùs fidem quàm custodiunt, ait D. Thom: 2. 2æ. q. 11. art. 3. ad 2m. D. Thom: Per accidens autem & occasionaliter prosunt ad custodiam fidei, excitando pigritiam nostram ad inquirendum & euitandum quod est contrarium veræ fidei, nam vt S. August: lib. 7. Confess: cap. 19. dicit. *Improbatio hæreticorum, facit eminere quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina.* August.

8. DICES. 3. Occultum & incognitum per Papam custodiri non potest. Atqui fides in Ecclesia est occulta & incognita: nam quæ sit fides in me, vel alio aut tertio quis cognoscere potest? *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis qui in ipso est?* 1. cor. 2. Ergo Papa non potest veram fidem in Ecclesia custodire. ℞. Fidem dupliciter considerare possumus, vel quatenùs est in actu interno singulorum hominum, vel quatenùs est in actu externo confessionis Ecclesiæ, primo modo considerata fides est occulta & incognita: secundo modo est fides manifesta omnibus cognita, & sic per Papam in Ecclesia custoditur.

MEMBRVM II.

Quomodo per inferiores custoditur?

CErtùm est custodiri per Papam veram fidem in vniuersa Ecclesia per orbem terrarum distributa, sed vt veritas Corollarij fidem obtineat, quæritur vlteriùs quomodò etiam per inferiores custodiri dicatur. 9. Pro quo COLLIGITVR. Dantur certi modi, quibus per inferiores Papâ, id est per Episcopos fides in Ecclesia custoditur.

1. Quia illi cum Papa communicant, qui Cathedræ Apostolicæ primatum obtinens, suo ministerio fidem veram, in Ecclesia vniuersa custodit: cui nisi communicent cæteri, nullatenus fidem custodire dicendi sunt, quin potiùs contra fidem schismata facere. Vnde Cyprianus lib. 1. epist. 8. Cyprian. Spargere dicit colligentem alibi præter Cathedram Petri. Et ad Cornelium Papam, oborta schismata inde dicit, quia à Communione Papæ receditur. In quo vt se immunem conseruaret Paulus, communicauit cum illis qui co-

lumnæ esse dicebantur. Gal. 2. & maximè cum Petro, quem videre venit
August. Ierosolymam. cap. 1. & cum ipso conferre Euangelium, quod nisi fecisset,
Ecclesia illi non credidisset, vt August: dicit lib. 28. contra Faustum. cap. 4.

10. 2. Quia consilio iuuant Papam, & si quid dubij circa doctrinam fidei
apud eos exortum fuerit, ad Papam referunt, producentes etiam suarum Ec-
clesiarum consuetudines, quibus diligenter perspectis, Summus Iudex in ne-
gotio fidei pronuntiat sententiam. Illi quoq; in Concilijs ferunt suffragium,
iudicantes & definientes pariter omnes controuersias circa religionem, tan-
quam Pastores, ad quos pertinet pascere greges suos, iuxta illud Act: 20. *At-
tendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos rege-
re Ecclesiam DEI.* Et 1. Petr. 5. *Pascite qui in vobis est gregem DEI:* Et Ie-
rem: 3. *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, qui pascant vos scientiâ & doctrinâ.*
D. Thom. Nam præcipuum munus est Episcoporum doctrina & prædicatio, vt docet
Concil. D. Thom: 3, p. q. 67 art: 2. ad 1m. Et Concil. Trid. Sess. 5. cap. 2.
Trident. 3. Quia consulunt Papam in negotio fidei, & si quid ipsis certum visum
11. fuerit, petunt ab ipso suam sententiam probari: ita enim Polycarpus Ioannis
Polycarp. Apostoli discipulus Smirnæ Episcopus, Romam venit, vt Anicetum Pa-
Concil. pam de Paschæ celebratione consuleret. Patres Nicæni Concilij petierunt
Nicæn. à Syluestro Papa confirmari quæ in eo gesta fuerunt. Chalcedonenses à
Chalce. Leone. Tridentini à Pio quarto & sic de cæteris.
Trident.

12. 4. Quia definitionem articulorum fidei à Papa factam executioni man-
dant. Nam Ecclesiastica hierarchia similis est cœlesti. Atqui in cœlesti
hierarchia, alij sunt qui disponunt & ordinant, alij qui disposita & ordinata
exequuntur: pari ergo ratione in Ecclesiastica hierarchia, Papa tanquam
D. Thom. supremus ordinat & disponit articulos fidei, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q.
1. art. 10. inferiores mandant executioni.

DICES. 1. Pari ratione omnes Episcopi cum Papa custodiunt fidem in
13. Ecclesia. Ergo non tenentur ab ipso definita executioni mandari, tanquam
principaliter custodiente. ANT: patet in Concil. Ierosolymitano Act: 15. in
quo omnes Apostoli & seniores pari ratione conuenerant videre de oborta
difficultate ex parte circumcisionis. ℞. 1. neg: ANT: Ad prob. d. Pe-
trum primò & principaliter difficultatem definiuisse, Petri autem suffragi-
um secutus Iacobus & alij. ℞. 2. quanquam Apostoli in prædicatione
Euangelij, & fidei ædificatione pares fuerunt, qui omnes à Christo imme-
diatè missi erant, non tamen id ad eorum successores Episcopos transijt, qui

non à Christo immediatè, sed à Papa iurisdictionem accipiunt, proinde non sunt pares in fidei custodia Papæ, qui solus immediatè à Christo iurisdictionem accipit. Vnde cæteri Apostoli quanquàm æqualem authoritatem, in prædicando Euangelio & fide ædificanda habuerunt, & à Christo immediatè, quia tamen illa iurisdictio illorum delegata fuit. Solius Petri ordinaria, ideò transit ad Romanos Pontifices Petri successores, non verò ad alios Episcopos, aliorum Apostolorum successores.

Dices. 2. Paulus in ædificatione fidei restitit Petro, Gal. 2. Ergo etiam inferiores Papá in hoc negotio nec definita ab eo executioni tenentur mandare. ℟. Valdenses dicebant non teneri se obedire Romano Pontifici, eò quia viderunt ab eo suam professionem reiectam, vt Guido Carmelita in eorum hæresi refert, quorum contumaciæ libenter subscribunt nostri æui hæretici. Ast Summo Pontifici ea debetur ab omnibus obedientia, vt nullus possit licitè ei communicare, cui pro actibus suis ipse inimicus extiterit, nec in Ecclesia esse poterit, qui eius Cathedram deserit, ait Gratianus, distin: 93. Paulus autem restitit Petro, quia attinebat ad ædificationem fidei, hoc est ad officium Apostolatûs, in quo erant æquales Apostoli. Malè ergo infertur, inferiores Papá non teneri executioni mandare eius definitiones in causa fidei, cùm in hoc ei parificari non valeant. 14.

Valdens. Guido Carmelita. Gratian.

Dices. 3. Orientales Episcopi Iulij Papæ decreta & definitiones reiecerunt. Ergo ad custodiam fidei in Ecclesia, non tenentur reliqui Episcopi Papam consulere. ℟. Orientalium Episcoporum factum tanquam hæreticorum, nemo nisi hæreticus ipse laudare & imitari potest. S. Athanasium acerrimum propugnatorem fidei Catholicæ illi eiecerant, quem quia Iulius Papa restituit, ideo ipsius decreta contempserunt. 15.

MEMBRVM III.

An Papa sine Concilio Generali, possit sine errore dogmata fidei definire?

Alfonsus à Castro multis locis tenet, non solùm minorem esse authoritatem solius Papæ in negotio fidei, quàm Concilij legitimè congregati: verùm etiam Papam solum in definiendis dubijs fidei absq; Concilio errare posse, imò aliquando errasse Papam asserit, non solùm vt est Persona priuata, 16. lib. 1. c. 2.

& Doctor particularis, verùm etiam vt Papa, quod lib. 1. cap. 4. affirmat. Veruntamen in oppositum COLLIGITVR. Papam vt est publica persona, & Pastor Ecclesiæ Vniuersæ, dùm ex Cathedra res fidei definit, etiam sine Concilio Generali, nunquam errare posse. Id etiam in praxi Ecclesiastica manifestum est, totis illis trecentis annis priusquam Concilia Generalia celebrentur, quorum primum fuit Nicænum; tunc enim solus Papa res fidei definiebat, plurimasq; hæreses condemnauit, teste Bellarm: lib. 4. de Rom: Pontifice cap. 3. sine errore: iam verò sine Papa etiam Generalia Concilia errasse, vt Ephesinum secundum, & Ariminense, res ipsa loquitur.

PATET. 1. ex Patribus & Concilijs, à quibus infallibile iudicium Papæ
Bernard. in negotio fidei agnoscitur. Bernardus quidem epist: 190. ad Innocentium
Hieron. fatetur apud ipsum fidem non posse sentire defectum, Hieron: ad Damasum, agnoscit ipsum sedem & fidem Petri tenere, Petrus autem nunquam in fide
Luc. Pap. errauit. Idem testantur multi sancti Pontifices, Lucius Primus epist: 1. ad
S. Leo. Agatho. Episcopos Hispaniæ, & Galliæ, Leo primus, Serm: 3. de assumpt: sui, Agatho in epist: ad Constantinum Imperatorem, quæ in sexta Synodo est approbata. Idem Concilia omnia, quæ decretorum suorum de fide, petunt approbationem à Papa, quo recognoscunt iudicium eius esse infallibile. Etenim propter quod vnum quodq; est tale, illud ipsum magis est tale. Sed propter infallibilitatem iudicij Papæ, etiam Conciliorum iudicia infallibilia creduntur, quatenùs illis Papa apponit suam authoritatem, sine qua etiam Con-
Caietan. cilia Generalia errare posse, docet Caietanus in Apolog: parte 2. cap. 21.
Turrec: Bellarm. Turrecremata lib. 3. cap. 32. & seq. apud Bellarm: lib. 2. de authoritate Conciliorum, cap. 11. Ergo iudicium Papæ in definiendis dogmatibus fidei, magis est infallibile, quàm Conciliorum Generalium.

17. DEINDE. Papa non potest publicè aliquid contrarium fidei docere, cuius munus est totam Ecclesiam docere: docens autem totam Ecclesiam, infallibiliter habet assistentiam Spiritus sancti docentis veritatem & dirigentis, aliás tota Ecclesia cum capite suo fidem amitteret, si is cuius est eam docere, aliquid contrarium veræ fidei publicè doceret; nec posset Virgo casta exhiberi vni Viro Christo. Postremò vacillaret cum illa promissio Matth. 28. *Sum vobiscum omnibus diebus*, tùm illa cap. 16. *Portæ inferi non præualebunt ad-*
Origen: *uersus eam*, nam si portæ inferi inquit Origenes in hunc locum, præualerent aduersus Petram in qua Ecclesia fundata est contra Ecclesiam etiam præualerent, errante enim Pastore & Doctore, tota simul erraret. Ergo Papa

etiam sine Concilio generali, ex Cathedra res fidei sine errore definit.

Præterea. Ecclesia vniuersa in definiendis rebus fidei errare non potest, 18.
Ergo nec Papa ex Cathedra docens. Ant: est omnium Catholicorum; aliàs sponsa Christi haberet rugam & maculam. Conseq: patet, nam ex firmitate Papæ, pendet firmitas fidei Ecclesiæ, qui firmior est in fide; est enim de ratione causæ vt nobilior & perfectior sit suo effectu, ita enim S. Gregor: Gregor:
lib. 6. epist: 37. ad Eulogium. *Quis* inquit *nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam? cui dictum est. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iterum eidem dictum est. *Confirma fratres tuos.*

Insuper. Ecclesia agnoscit verum iudicium Papæ in rebus fidei, dùm 19.
definit ex Cathedra etiam sine Concilio generali; nam plurimas hæreses Papa condemnauit sine Concilio generali, vt Pelagij, Priscilliani, Iouiniani, Vigilantij & aliorum, quorum sectas & opiniones eo ipso pro hæresibus Ecclesia habuit, quòd à Papa damnatæ essent. Ergo.

Deniq; Sedes Apostolica nunquam errare potest in rebus fidei, vt plu- 20.
rimæ sanctorum authoritates affirmant. Ergo Papa definiens ex Cathedra res fidei, errare non potest. R. Castro lib. 1. cap. 8. nomen sedis Aposto- Castro.
licæ, non pro solo summo Pontifice accipi, cùm hic inquit in fide errare possit, sed Sedes Apostolica quæ nunquam errauit, comprehendit tàm collegium cuius consilio iuuatur Pontifex, quàm ipsum Pontificem. Sed Contra, quia Apostolica sedes pro Pontifice Romano accipitur, & ab omnibus Patribus, Romani Pontificis sedes, Apostolica sedes appellata est; & in Concil. Concil.
Chalcedon, Actione 1. dignitas Papæ vocatur Apostolatus. Et Actione 16. Chalcedi.
Sedes eius vocatur Apostolica, Hieron: lib. 2. contra Ruffin: Miror inquit Hieron:
quomodo Episcopi receperint, quòd sedes Apostoli (scilicet Papæ) condemnauit, Episcopi Galliarum ad Leonem. Det inquiunt Apostolatus vester nostræ veniam tarditati, Synodus Constatinop. Nos inquiunt Apostolicam Constant:
sedem sequimur & obedimus, Damasus ad Episcopos Orientales. *Quoniam* Damasus.
Apostolicæ sedi reuerentiam debitam, caritas vestra distribuit. &c. Id denique vsu & consuetudine antiqua confirmatur, vt qui ad Pontificem Romanum accedunt, ad sedem se Apostolicam accedere profiteantur. Sedes igitur Papæ semper Apostolica dicitur.

Dices. 1. Aliqui Pontifices errarunt in rebus fidei definiendis vt Liberi- 21.
us, Anastasius, Cœlestinus, inquit Castro loco proximè citato. Ergo sine Concilio generali, non est tuta Papæ de rebus fidei definitio. R. Falsum

est, Pontifices Romanos aliquando errasse in definiendis rebus fidei. Quantum ad Liberium, cum illo vniuersus orbis Christianus semper communicauit, & omnes pij Catholici testimonium sanctitatis eius perhibuerunt, vt S. Athanasius, qui vnâ cum cæteris Episcopis Alexandriæ congregatis ad eum epistolam misit, in qua illud positum est. Huius rei gratiâ vniuersalis vobis à IESV Christo commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, imò Liberius in defendenda fide Catholica contra Arianos, Athanasioq; tuendo fuit constantissimus; cui Constantius Imperator Arianus, vt est apud Theodoret. lib. 2. cap. 16. *Tantane* inquit *orbis pars Liberi in te residet, vt tu solus homini impio subsidio venire, ac pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas?* Quin etiam post fata, Liberium Magnus Basilius, Ambrosius, Epiphanius, & alij, beatæ memoriæ virum prædicant. Quantùm verò ad Anastasium, qui hæresis accusant hunc Pontificem, nullum ea de re antiquitatis testimonium proferunt, ait Sanderus lib. 7. monarch. De Cœlestino similiter tertio, nulla potest esse hæresis suspicio, cùm nullum decretum Apostolicum & ex Cathedra fecerit, in quibus accusatur, sed opinatiuè duntaxat locutus est, vt deducit Bellarm: lib. 4. de Romano Pontif. cap. 14. Præterea contrarium eius quod ille opinabatur, non fuit antea ab Ecclesia definitum, proinde opinio eius non potuit dici hæretica: illa enim est hæretica opinio, quæ contrariatur ei, quod iam definitum fuit ab Ecclesia.

(Margin: Athanas: Theodor. Basil: Ambros. Epiphan. Sander. Bellarm:)

22. DICES 2, Maior est authoritas Papæ cum Concilio simul, quàm sine Concilio. Ergo solus non potest infallibiliter res fidei definire, Conseq. quia ad hoc maxima authorithas requiritur, cùm sit opus maximum & grauissimum. ANT: Si solius Papæ tanta esset authoritas, quanta Concilij plenè & rectè congregati, frustra Concilia cogerentur, vel non essent necessaria. Atqui consequens est importunum. Ergo & Antecedens. R. neg: Ant: nam & supra Concilium & supra vniuersam Ecclesiam est Papa, proinde illi ex Concilio authoritas accrescere non potest, verùm ipse Concilio tribuit authoritatem, dùm approbat & confirmat. Nam Concilia etiam legitima & generalia non sunt rata, nisi à Papa confirmentur. Ad prob: d. Quamuis Papæ sit infallibilis authoritas in definiendis rebus fidei, non sequitur tamen frustra cogi Concilia: nam vel ideo coguntur, vt ab omnibus decreta fidei faciliùs cognoscantur & recipiantur, propter subscriptionem omnium Episcoporum, ex diuersis mundi partibus congregatorum; vel ne videatur Papa dominari cogendo & extorquendo fidem: vel vt ex relatio-

ne congregatorum Episcoporum appareat, quid antiquus Ecclesiæ sensus & consuetudo habeat, cui si quid fortè contrarium excitatum fuerit, pro hæresi iudicetur, habeatur & damnetur: nam hæresis est dogma nouitium, antiquo sensui Ecclesiæ contrarium.

DICES 3. Omne humanum iudicium est fallibile. Ergo & Papæ, dùm sine Concilio definit. ℞. Si Papæ definientis sine Concilio iudicium est fallibile, quia humanum est, pari ratione fallibile erit ex eodem fundamento, quamuis cum Concilio definiat, quia non minùs humanum, tunc etiam erit. Sed misso antecedente, quòd omne iudicium humanum vt sic, est fallibile. Consequens est negandum, neq; enim Papæ definientis ex Cathedra iudicium est merè humanum, sed quodammodo Diuinum, fit enim assistente & gubernante Spiritu sancto. 23.

COROLLARIVM 5.

Itaq; quisquis fundat fidem contra vel præter authoritatem Ecclesiæ Romanæ credenda proponentis, tantum abest vt aliquid credat, vt etiam sit potius ἄπιςος *censendus.*

SEcernit vltimum hoc Corollarium verè fideles ab infidelibus & hypocritis: vt enim illi verè fideles dicendi sunt, qui fidem suam ad Catholicam Ecclesiam Romanam transferunt, hoc est qui in credendis refugiunt ad authoritatem Ecclesiæ credenda proponentis, vt non aliunde quàm ex ipsius doctrina & sententia credendis assentiantur: ita illi verè infideles sunt iudicandi, qui spretæ authoritate Ecclesiæ Romanæ quæ est magistra fidei, alij medio inhærendo, fidem se habere gloriantur. Sed hic vltimò offerunt se aliqua discutienda. Sit proinde I.

MEMBRVM I.

An qui præter authoritatem Ecclesiæ Romanæ credit, sit infidelis?

MInor est difficultas de eo qui contra authoritatem, maior videtur de eo qui præter authoritatem Ecclesiæ credere se profitetur. Manifestum est

enim eum infidelem esse, qui opinatur contrarium authoritati Ecclesiæ, qui pertinaciter tuetur aliquod dogma, dogmatibus vniuersæ Ecclesiæ contrarium: prout patet inductione Photini, Arij, Samosateni, Eutychetis, Nestorij, Macedonij, Nouati, & aliorum, qui idcirco pro infidelibus & hæreticis habentur. Sed de eo difficultas est, qui præter missâ authoritate Ecclesiæ, alteri medio innititur in credendo, sitne dicendus fidelis vel infidelis? pro quo COLLIGITVR. Profitens omnes articulos fidei per aliud medium, quàm per authoritatem Ecclesiæ credenda proponentis, est infidelis.

D. Thom. Elicitur ex doctrina D. Thomæ. 2. 2æ. q. 5. art. 3. PATET 1. Qui detrectat in necessarijs communicare cum Ecclesia, sed sibi contra ipsam facit particulas, non est de Ecclesia, sed alienus est ab ea, Ergo qui non communicat in fide cum fidelibus, est infidelis. Sed qui præter authoritatem Ecclesiæ credenda proponentis, per aliud medium fidem profitetur, non communicat in fide cum fidelibus: omnes enim veri fideles in fide innituntur authoritati Ecclesiæ, eamq; appellant in negotio fidei tanquam matrem erudientem, de cuius ore præmolitum cibum doctrinæ salutaris & fidei recipiunt. Ergo.

2. DEINDE. Sicut scientia habetur per proprium medium, ita & fides. Sed qui assentitur alicui conclusioni sine propria causa, non habet de illa scientiam, Ergo qui profitetur articulos fidei præter proprium fidei medium, non habet fidem, Atqui proprium fidei medium, seu formale fidei, vt ait D. Thom: est veritas prima, seu reuelatio Diuina per doctrinam & authoritatem Ecclesiæ proposita. Ergo quisquis aliunde credit, quàm per authoritatem Ecclesiæ credenda proponentis, non credit per medium fidei, Ergo non habet fidem.

3. PRÆTEREA. Fides debet esse infallibilis, & certitudine superans omnem intellectum: & si sit fallibilis aut cum formidine, non erit fides. Ergo debet euidenter proponi ab eo, qui sit in testificando infallibilis. Sed præter Ecclesiam non potest in terra inueniri alius, qui sit in testificando infallibilis, vt eius authoritati veritas fidei quoad nos innitatur. Ergo qui præter authoritatem Ecclesiæ per aliud medium se credere præsumit, nullam fidem habet, etiamsi alius profiteatur omnia, quæ credenda sunt, semperq; cum formidine credendis assensum præstabit.

4. INSVPER. Opinari de rebus fidei secundùm propriam voluntatem, non est fide credere: fides enim requirit vt in captiuitatem redigamus omnem

intellectum. 2. cor: 10. Sed assentitur credendis per aliud medium, quàm per authoritatem Ecclesiæ, est opinari secundùm propriam voluntatem. Ergo.

Dices. Schismatici præter authoritatem Ecclesiæ credunt, non enim obediunt eius iudicio & definitioni, sed illi non sunt infideles: tùm quia sunt de Ecclesia, vt affirmat Alfonsus à Castro lib: 2. de iusta hæreticorum punitione, cap. 24. tùm quia habent fidem Catholicam, vt habet Bellarm: lib: 3. de Ecclesia militante cap. 5. nam omnia credunt, quæ sunt credenda fide Catholicâ. Ergo qui præter authoritatem Ecclesiæ credit, non debet infidelis iudicari. ℞. Schismatici sunt quoq; infideles vel ex eo quia discredunt authoritati Ecclesiæ in hærendum & obediendum esse, nam & hæc discredulitas integritati fidei aduersatur. Deinde eos non esse de Ecclesia, luce meridianâ clarius est. Hinc S. August: in lib: de fide & symbolo, cap. 10. *Hæretici & Schismatici, congregationes suas Ecclesias vocant; sed hæretici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant: schismatici autem discisionibus iniquis à fraterna charitate dissiliunt, quamuis ea credant quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam quæ diligit Deum, nec schismaticus quoniam diligit proximum.* Ergo schismatici si habent fidem Catholicam (per quam tamen non possunt illi propriè appellari Catholici, vt constat ex Augustino & Optato) id solùm quoad materiale sed non quoad formale fidei. 5. Castro. Bellarm: August. August. Optat.

Instabis. Potest alicui fieri à Deo vera, priuata tamen reuelatio. Ergo credens præter authoritatem Ecclesiæ Romanæ non erit infidelis. ℞. Cùm istiusmodi priuatæ reuelationes potiùs sapiant priuatum illum Spiritum, quàm veram à Deo inspirationem, regulariter iam non fiunt immediatè, sed quidquid est fidei, per Ecclesiam proponitur. Quod si fierent veræ priuatæ tamen reuelationes, etiam de eo fierent, quòd per authoritatem Ecclesiæ proponentis, teneri deberent. Etenim licet Cornelio Act: 10. quædam per Angelum fuerunt nuntiata, monitus tamen fuit ad authoritatem Ecclesiæ recurrere, & Petrum accersere, à quo fidem acciperet. Atq; ita placuit Spiritui sancto, non nisi per authoritatem Ecclesiæ nos fidem habere & in ea erudiri.

MEMBRVM II.

An fides Catholica requirat credere se iustum esse?

6. ALiter ita proponi potest; an de ratione veræ fidei Catholicæ & iustificantis sit, vt quis certò credat se iustum esse, atq; remissionem habere peccatorum? Et quidem hæretici, quia solâ fide infallibiliter iustificari docent, & non historicâ aut miraculorum sed speciali suâ, ex ista suppositione inferunt, eum qui credit, certum esse debere per fidem, de sua iustitia. gratia, & remissione peccatorum propter merita Christi, nec esse fidelem, qui hoc non credat. Ita Caluinus lib. 3. Institution. cap. 2. & passim Lutherani & Zwingliani. Quæstionem istam iam ventilant diligenter Catholici, & solide refellunt errorem hæreticorum, cum quibus contra hæreticos.

Caluin. Luther: Zwingl.

COLLIGITVR. Non est de ratione veræ fidei Catholicæ iustificantis, vt quis certò credat, & sibi persuadeat se esse iustum & in gratia. Collectio ista est secundùm mentem D. Thomæ. 1. 2æ. q. 112. art: 5. Et 2. 2æ. q. 1. art: 1. & 3. Videri poterit, Cardinalis Hosius. lib. 1. contra Brent: PATET. 1. Fides vera Catholica est de eo, quod est reuelatum à DEO, ita vt si non sit reuelatum à DEO de ipso vera fides Catholica esse non possit, ita enim D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 1. c. *Fides inquit de qua loquimur, non assentit alicui nisi quia est à Deo reuelatum.* Sed singulos fideles esse iustos, in gratia, & remissionem peccatorum consecutos, non est specialiter à DEO reuelatum: *sunt enim iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit,* vt d. Ecclesiast. 9, sciret autem si hoc specialiter à DEO reuelatum esset. Ergo de ratione veræ fidei Catholicæ iustificantis non est, certò credere se iustum non esse.

D. Thom. Hosius.

7. DEINDE. Fides est in summo gradu certitudinis, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 4. art. 7. quia innititur primæ veritati, quam mutari est impossibile. Sed homo non potest per certitudinem dijudicare, vtrùm ipse habeat gratiam, vel an sit iustus, vt ait S. Doctor. 1. 2æ. q. 112. art: 5. c. secundùm illud 1. cor. 4. *Neq; meipsum iudico, qui autem iudicat me, Dominus est.* Ergo vera fides Catholica & iustificans non requirit, vt quis certò credat se iustum esse & in gratia.

D. Thom.

8. PRÆTEREA. Veræ fidei Catholicæ non potest subesse falsum, vt deducit D. Thom: 2. 2æ. q. 1. art. 3. Atqui credere se iustum esse continet falsum; quod

quod patet, vel in illo Pharisæo, Luc. 18. qui credebat se iustum esse, cùm non fuerit, patet etiam in hæreticis qui carentes fide iustificante, credunt tamen se iustos esse.

Dices. Fides secundùm Augustinum Tract: 40. in Ioan: est, *credere quod non vides*, Ergo quod non videtur creditur. Atqui iustificatio & remissio peccatorum non videtur: nemo enim videt se iustum esse & in gratia. Ergo debet credere. ℞. Fallacia est non causæ vt causæ in argum. & illa conuertens. Ergo quod non videtur creditur, est falsa: neq; enim omne sub fidem cadit ex eo quòd non videtur, multa enim non videntur, quæ tamen sub fidem non cadunt, sed quia de ratione fidei est, quòd sit de non apparentibus, Hæbr. 11. ideo S. August: dicit fidei esse credere quæ non videntur. August. 9.

Dices. 2. Matth. 9. in Paralytico excitat Christus actum credendi remissa sibi esse peccata, d. Confide fili remittuntur tibi peccata tua, Luc: 7. in Maria Magdalena. *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ fide iustificari eam dicit. *Fides tua te saluam fecit.* Ergo credere certò remissa sibi esse peccata, est actus fidei Catholicæ iustificantis. ℞. in Paralytico excitat Christus actum credendi, quo crederet ipsum habere potestatem sanandi in anima & corpore. In Magdalena laudat actum credendi, quo credidit ipsum esse qui peccata dimittit, de quo murmurabant conuiuæ dicentes. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Deinde quidquid reuelatur à Deo credendum, sub fidem cadit, Paralytico, Magdalenæ & aliquibus, quia specialiter reuelata fuit remissio peccatorum, eatenus sub fidem cadebat. Sed hoc quod particulariter factum est, pro regula generali trahi non potest, vt quisq; certò credere debeat, remissa sibi esse peccata, quoduè ille actus eius quo sic credit, sit actus fidei Catholicæ. 10. D: Thom: 1. p. q. 32. art: 4. c.

Dices. 3. Actus credendi, resolubilis in articulos fidei, est actus fidei Catholicæ. Sed quo quisque credit certò sibi remissa esse peccata, resoluitur in illum articulum fidei. Credo remissionem peccatorum, Ergo actus iste, est fidei Catholicæ. ℞. Credere & certò sibi persuadere de iustitia & remissione peccatorum, non potest resolui in illum articulum symboli. Credo remissionem peccatorum, in quo nihil de remissione peccatorum in particulari, sed solùm generalis reuelatio & promissio proponitur de dono remissionis peccatorum in Ecclesia. 11.

MEMBRVM III.

An Lutherani & Caluinistæ aliquid credant?

12. Arius. Macedon. Sabellius. Nestorius. Luther. Caluin.

APtissimè a quodam Theologo proditum legi, Faciliùs inquit cognoscimus quid non credant hæretici, quàm quid credant; nam Arius non credidit Filium DEI verum DEVM, Patri consubstantialem, Macedonius non credidit Spiritum sanctum verum DEVM, Sabellius non credidit tres personas in DEO realiter distinctas. Nestorius non credidit MARIAM semper Virginem veram CHRISTI DEI Matrem, Lutherus non credidit aliquam actiuitatem liberi arbitrij hominum, vt refert Castro lib. 9. titulo Libertas. Caluinus non credidit realem præsentiam corporis Christi in Eucharistiæ sacramento, & sic de cæteris. Porrò quid isti crediderint, quis edisserat? Vnde specialiter de Lutheranis & Caluinistis hîc quæritur, an possit deduci ad notitiam hominum quid illi credant? pro resolutione.

COLLIGITVR. Lutherani & Caluinistæ, sicut omnes alij hæretici, nihil prorsus fide Diuinâ credunt; sed si quid tenent sua voluntate, & persuasione humana tenent. PATET. 1. Nemo fide diuinâ credit, qui non ab Ecclesia fide imbui petit, cùm extra Ecclesiam non inueniatur: nam & Catechumeni ante baptismum, non ab alio quàm ab Ecclesia fidem petunt. Sed Lutherani & Caluinistæ non petunt ab Ecclesia fidē, Ergo nihil credunt fide Diuina. (D. Thom: 2: 2æ: q. 5. art. 3. ad 1m.)

13. DEINDE, Si Lutherani & Caluinistæ fide diuina aliquid crederent, vel fide formata crederent, vel informi. Sed neutrum est dicendum, Ergo absolutè nihil prorsus fide Diuina credunt, MAI: patet ex sufficienti diuisione fidei Diuinæ, quæ vel est formata charitate, vel sine charitate, qualis est in peccatoribus, MIN: declaratur, non enim habent fidem charitate formatam, qui ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ recedunt. *Quomodo enim habent vel exiguam charitatem, qui non amant vnitatem?* ait S. August: (August.) Non habent fidem informam: nam fides informis etiam, qualis est in Catholicis peccatoribus, est vnus & idem habitus cum formata, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 4. art: 4. (D. Thom:) & pendet ex prima veritate manifestata in scripturis & doctrina Ecclesiæ, tanquam ex formali sua ratione, Lutheranorum autem & Caluinistarum fides non pendet ex ista integritate formalis rationis, in cuius obsequium nolunt in captiuitatem redigere intellectum suum.

14. INSTABIS. In dæmonibus est fides, vt dicitur Iacobi 2. Dæmones credunt

& contremiscunt. Ergo in Lutheranis & Caluinistis est aliquis habitus fidei Diuinæ ne fortè grauitate peccati superent ipsos Dæmones, cùm infidelitas sit grauissimum omnium peccatorum, vt docet S. August: Tract: 89. in Ioan: Ergo vel aliquem habitum Diuinæ fidei habent, vel saltem cùm dæmonibus &c. neque cum dæmonibus fidem habent communem Lutherani & Caluinistæ; quia dæmones, tùm ex naturali sua perspicacitate, tùm ex euidentia signorum credunt doctrinam Ecclesiæ à Deo profectam esse, quod Lutherani & Caluinistæ credere contemnunt. Quòd verò S. August: dicit infidelitatem esse grauissimum peccatorum, comparat peccata hominum inter se, non peccata hominum cum peccato dæmonum, quod quia aliquo modo est causa omnium peccatorum hominum, ideo grauiùs illis.

August. D. Thom: 1. p. q. 114. art: 3.

Præterea. Fides diuina non fit ministerio diaboli, At Lutheranorum & Caluinistarum per ministerium diaboli primordia sumpsit; fides enim eorum est, nullum esse sacerdotium externum in noua lege: Missam non esse sacrificium & similia. Porrò Lutherus in lib. de Missa angulari seu priuata, gloriatur sibi argumenta à diabolo suppeditata, quibus Sacerdotium, Sacrificium, & communionem sub vna specie euerteret, vti grauissimi referunt authores, Cardinalis Hosius lib. 1. contra Brent: Sanderus lib. 7. Monarch. circa annum 1503.

15. Luther. Hosius. Sander.

Insuper. Qui discredit vnum articulum fidei, de nullo fidem Diuinam habet, vt docet D. Thom: 2. 2æ. q. 5. art: 3. Atqui Lutherani & Caluinistæ plurimos articulos discredunt. Ergo de nullo fidem Diuinam habent. Mai. declarat S. Doctor, quia omnium articulorum est vnum medium, scilicet veritas prima in scripturis & doctrina Ecclesiæ proposita, Ergo qui ab hoc medio decidit, discredens vnum articulum, totaliter fidem de nullo habet, quia medium istud in atomo datur, Min: omnibus manifesta, discredunt enim illi sacrificium Missæ, discredunt inuocationem sanctorum, purgatorium & plurima alia.

16. D. Thom.

Deniq; Vt quis credere dicatur, oportet inhæreat doctrinæ Ecclesiæ, sicut infallibili & diuinæ regulæ: doctrina enim Ecclesiæ procedit ex veritate prima in scripturis manifestata, Ergo qui non inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infallibili & Diuinæ regulæ, ille non habet habitum fidei. Atqui Lutherani & Caluinistæ non inhærent doctrinæ Ecclesiæ: illi enim de his quæ Ecclesia docet, quæ volunt tenent, & quæ nolunt, non tenent. Ergo fide Diuina nihil credunt, quorum assensus circa res fidei, opinio quæ- 17.

dam eſt ſecundùm propriam voluntatem, non verò fides.

18. DICES 1. Lutherani & Caluiniſtæ nihil contrarium opinantur, plurimis myſterijs fidei, vt myſterio SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. nam & confitentur vnum DEVM in eſſentia, trinum in perſonis, confitentur Filium DEI hominem factum, Ergo iſta fide diuina credunt. ℞. 1. neg: ANT: nam illi multis in locis Arianizant & Atheizant, Lutherus quidem in lib: contra Latomum profitetur. d. Anima mea odit vocabulum Homouſion, quâ voce Catholici oſtendunt æqualitatem Filij cum Patre: deleuit etiam ex epiſtola Ioannis illa verba. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Ex ſchola quoq; Lutheri prodierunt, vt teſtatur Card. Hoſius lib: 1. contra Brent: Ioannes Campanus, & Michael Seruetus, qui libros de Trinitate plenos erroribus & blaſphemijs ediderunt. Vorſtius Caluiniſta de Deo abſolutè Atheiſta fuit, negans ipſum infinitum & vbiq; eſſe. ℞. 2. neg: Conſequ: nam vt quis credat fide diuina aliquem articulum, non ſufficit nihil contrarium ipſi opinari, ſed oportet ipſi per proprium fidei formale adhærere: ſicut ad ſcientiam habendam de aliqua concluſione, non ſufficit contrarium illi non opinari, ſed oportet eam tenere per propriam cauſam, quæ eſt medium demonſtrationis ſcientiam generantis. Porrò Lutherani & Caluiniſtæ, myſterio SS. Trinitatis non inhærent per formale fidei, vt iam dictum eſt: proinde ea quæ ſunt fidei alio modo tenent quàm per fidem, ſcilicet propria voluntate.

Luther.

Hoſius.

19. DICES 2. Vera membra Eccleſiæ habent fidem Diuinam, quâ credunt, ſed Lutherani & Caluiniſtæ ſunt vera membra Eccleſiæ. Ergo habent fidem diuinam quâ credunt. MIN: Recipere ſcripturam & ſymbolum Apoſtolicum quod eſt breuis & compendioſa fidei regula, vt S. Leo dicit, Serm: 11. de Paſſione Domini. Et S. Auguſt: cap. 56. Enchiridij, & lib. 1: de Symb: ad Catech: cap. 1. eſt verorum Eccleſiæ membrorum. Atqui Lutherani & Caluiniſtæ recipiunt ſcripturam & Symbolum Apoſtolorum. Ergo ſunt vera Eccleſiæ membra. ℞. neg: MIN: Ad prob: d. 1. ex maiori particulari nihil ſequi in modis directis primæ figuræ, d. 2. Lutherani & Caluiniſtæ, non integrè recipiunt ſcripturam, cùm plurima mutilent ſuo proprio arbitrio, vt ſupra dictum eſt. Deinde eſto reciperent verba tàm ſcripturæ quàm Symboli Apoſtolorum, ſenſum verum non recipiunt, proinde fidem veram non habent, nec poſſunt aut debent inter membra Eccleſiæ numerari. Hâc enim ratione omnes illi antiqui hæretici fideles eſſent, & inter

S. Leo.
Auguſt.

& inter membra Eccleſiæ numerari deberent, ſiquidem verba ſymboli recipiebant, vt Ariani, Nouatiani, Neſtoriani & alij.

DICES 3. Qui tenet aliquam concluſionem per medium demonſtrationis, habet de illa ſcientiam. Ergo pari ratione, qui tenet aliquod credendum per medium fidei, habet de illo fidem. Atqui Lutherani & Caluiniſtæ multa credenda tenent per medium fidei, ſcilicet per primam veritatem. Ergo de illis habent fidem. MIN: nam idcirco nihil aliud recipere volunt niſi quod ſcriptum eſt, quia firmiter adhærent primæ veritati in ſcripturis propoſitæ. ℟. neg: MIN: nam vt quis dicatur primæ veritati inhærere, ſeu per primam veritatem aliquid tenere, oportet doctrinæ Eccleſiæ inhærere: & niſi doctrinæ Eccleſiæ in qua prima veritas proponitur, inhæreat, nec ipſi primæ veritati inhæret. Lutherani autem & Caluiniſtæ non inhærent doctrinæ Eccleſiæ, proinde nec primæ veritati. Deniq; paritas illa in MAI: poſita non tenet, nam quælibet cõcluſio in aliqua totali ſciẽtia, habet ſuum peculiare medium per quod tenetur, diſtinctum à medijs aliarum concluſionũ, in eadem ſcientia totali, iam verò omnium credendorum vnum eſt medium, vna ratio formalis fidei, veritas prima, per quam omnia tenentur, quæ ſub fidẽ cadunt. 20.

D. Thomas 2. 2æ. q. 5. art: 3. ad. 2m.

INSTABIS. Myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Salutis reparatæ per Chriſtum, & ipſum futurum Iudicem viuorum & mortuorum, Lutherani & Caluiniſtæ tenent per primam veritatem in doctrina Eccleſiæ propoſitam, nempe, ita ſemper Eccleſia docuit. Ergo iſta myſteria credunt fide diuina. ℟. Qui vnum credendorum non tenet propter authoritatem Eccleſiæ teſtificantis, ſeu propter primam veritatem propoſitam in doctrina Eccleſiæ, nullum tenet. Ratio, quia omnium pariter credendorum, vnum eſt illud medium, vt iam dictum eſt. Cùm itaq; Lutherani & Caluiniſtæ, non vnum ſed plurima credenda non teneant propter primam veritatem propoſitam in doctrina Eccleſiæ teſtificantis, iam nullam tenent, nec fide diuina aliquid credunt, ſed opinione duntaxat propria. 21.

ROGABIS Vltimò, Hi Sectatores nouorum dogmatum ſuntnè Chriſtiani? ℟. Iam confundantur, & reuertantur ad cor per deteſtationem erroris, in quem inciderunt per apoſtaſiam miſeri, de quibus exploratum eſt apud omnes, nominetenùs duntaxat eos eſſe Chriſtianos, re autem ipſâ aut formaliter minimè. Nominetenùs inquam, ſeu æquiuocè, ſicut mons quidam eſt taurus, aut ſidus cœleſte canis. Ita enim S. Auguſt: in lib: quæſt: Euang: in Matth: cap. 11. Hæretici inquit non ſocietate vnius Eccleſiæ vel

Pſal. 84. Auguſt:

vnius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani in hoc mundo permiſcentur bonis. Etenim ille re & formaliter Chriſtianus eſt, qui pertinet tanquam membrum ad Eccleſiam Chriſtianam, & omnes ſectas ab ipſa alienas damnat. Huiusmodi autem non pertinent tanquam membra ad Eccleſiam Chriſtianam vllo modo, ne fide quidem, quam non habent, vt proximè de Luthe-
Matth. 26. 60. ranis & Caluiniſtis, vt nouiſſimis falſis teſtibus monſtratum eſt. Nam Chriſtiana Eccleſia eſt, quam ipſe Chriſtus & non alius fundauit, Pſal. 86. Ipſe fundauit eam Altiſſimus, in Petro autem fundauit cui dixit. Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Deinde idem eſt Chriſtianus qui & Catholicus,
Pacian: ita enim Pacianus, Chriſtianus inquit mihi nomen eſt, Catholicus autem cognomen, illud me nuncupat, iſtud oſtendit; cùm illi non ſint Catholici, vt eſt extra controuerſiam, profectò nec Chriſtiani. Tandem id conſtat ex definitione Chriſtiani, quam ex doctrina antiquorum Patrum colligit in ſuo Ca-
Caniſius. techiſmo Doctor Caniſius. Dicit enim Chriſtianum eſſe illum, qui Chriſti doctrinam in eius Eccleſia profitetur, ſanè vt quis ſit Chriſtianus, doctrinam Chriſti neceſſe eſt in eius Eccleſia profiteatur, nec aliâs Chriſtianus eſſe poteſt.
Tit. 3. Iſti autem cùm non profiteantur doctrinam Chriſti in eius Eccleſia, à qua deſciuetunr propriò iudicio condemnati, quis eos Chriſtianos ampliùs eſſe dixerit? Sed fortaſſis inficiaberis. Ergo etiam illi; qui propter aliqua delicta per ſententiam excommunicationis ab Eccleſia excluduntur, non ſunt Chriſtiani ampliùs, quia non profitentur doctrinam Chriſti in eius Eccleſia, extra quam per anathema ſunt poſiti. ℞. Longè diuerſa ratio iſtorum ab hæreticis, iſti enim, quamuis ex Eccleſia Chriſti propter aliqua delicta ſunt eiecti: tamen ſunt Chriſtiani, quia doctrinam Chriſti in eius Eccleſia profitentur, nam authoritati Eccleſiæ in doctrina fidei innituntur, quod hæretici non fa-
Tertull. ciunt. Deniq; id continet doctrina Patrum antiquorum. Tertulianus in lib: de pudicitia, nullos hæreticos Chriſtianos eſſe concedit. Si hæretici inquit
Lactant. ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, idem Lactantius lib: 4. cap. 30. Cùm Marcionitæ & Ariani nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti no-
Hieron: mine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt, S. Hieron: contra Luciferianos circa finem. Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſti, non à Domino IESV CHRISTO, ſed à quodam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes ſiue Campates, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed
Cyprian. Athanaſ. Chryſoſt. Auguſt. Antichriſti eſſe Synagogam. Idem S. Cyprian: lib: 4. epiſt: 2. Athanaſ. Serm: 2. contra Arianos, Chryſoſt: in Epiſt: ad Hæbr: Auguſt: in lib: de

gratia Christi cap. 11. & alij vno ore hæreticos à Christianitate excludunt.

Dices 1. Nomine Christianorum veniunt omnes ritè baptizati. ℟. Sicut nomine veniunt, ita nomine solo sint contenti. Nam qui retinent, veram & integram fidem, quam in baptismo professi sunt, verè Christiani censentur, qui repudiant & labefactant, ampliùs non sunt Christiani, quantumuis baptismum habeant. Habent illi baptismum, sed sicut desertor characterem, ait S. August: in fine lib: 1. de Symbolo ad Catechum: desertor autem non est verè miles, nisi redeat ad castra, Ergo nec illi Christiani, nisi redeant ad Ecclesiam; quod vt faciant compellendi sunt, dicit D. Thomas. Et baptismus quidem tantùm ostendit fuisse christianos, sicut character fuisse militem. Deinde ex nomine non necessariò infertur substantia rei, dum est nomen polisemum. August. D. Thom. 2.2æ q 10. art. 8.

Dices 2. Illi sunt Catholici reformati, Ergo Christiani. ℟ Qui asserit esse aliquos Catholicos reformatos, asserit dari chymeras in rerum natura. Tam enim partes sunt incompossibiles antiquum & nouum, ex quibus constat Catholicus reformatus, quàm sunt partes incompossibiles leo, capra & serpens, ex quibus chymera coalescit: Equidem recta est ista consequentia, Est Catholicus, Ergo Christianus: sicut ista, Est animal risibile, Ergo rationale. Sicut enim risibile fluit ex rationali, ita Catholicum ex Christiano. Et sicut rationale constituit essentiam hominis, risibile verò est proprietas quarti modi, quod omni, soli & semper conuenit; ita Christianum est essentia verè fidelis, Catholicum est proprietas quarti modi, habens illa tria, Vniuersitatem, Antiquitatem, & Consensionem, vt Vincentius Lyrinen: cap. 3. dicit. Et hoc Catholicum ostendit verè fidelem, vt ait Pacianus supra allegatus. Recta inquam est consequentia, Est Catholicus, Ergo Christianus. Sed ista cauillosa, Sunt catholici reformati, Ergo christiani; cauillosa inquam consequentia: si enim aliqui sunt catholici reformati, non sunt veri catholici, nec christiani. Nam vis ipsa nominis & ratio Catholici importat antiquitatem, vt id sit propriè Catholicum, quod semper seu antiquitùs, vt Lyrinensis dicit, Reformatum autem nec semper, nec antiquum, sed nouum, ex reformatione ortum, & hoc ipsa ratio reformationis indicat, quæ propter nouitatem, hoc sortitur vocabulum. Implicat ergo aliquem esse Catholicum reformatum, sicut implicat antiquum esse nouum. Itaque si aliqui catholici sunt, antiqui sunt, si verò reformati nominantur, noui esse conuincuntur, vt eis Lyrinen. Pacian.

Tertull. à Tertulliano dicatur, Vos qui estis? vnde venistis? vbi tam diu latuistis?

Dices 3. At Euangelici sunt, Ergo Christiani, cùm Euangelium sit Christianorum, ℞ 1. negan: consequ. nam pari ratione etiam alij Apostolicos se arrogantissimè, vt ait S. August. de hæresibus, vocabant, nec tamen ex isto antecedente, colligi poterat illa consequentia, quod essent christiani, falsâ vsurpatione nominis Apostolici. Quis igitur etiam de istis, ex hoc antecedente, *Sunt Euangelici*, rectè colligat istam consequentiam, *Sunt Christiani*? Quantùm ad antecedens, ℞ 2. Ita passim isti Euangelio glorientur, illudque sibi inuicem præripiunt, cùm tamen per præuaricationemEuangelij Christum inhonorent. Qui si Euangelicos se vocare volunt, eâ duntaxat ratione possunt, quia ex Euangelij sermone procreati sunt, vt olim S. Augustin: dixit, quia verò paucis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur, non sunt Euangelici, nam & truncant Euangelium, medietatem sibi ejus arrogantes, alteram repudiantes. Euangelium siquidem integrum, non solùm scripturam, sed traditiones etiam complectitur, quas cùm reijciant, dimidiam partem Euangelij reijciunt, quomodò verò Euangelici dici possunt? Etsi corticem Euangelij, externam scilicet aliquo modo literam glubunt, ad medullam tamen, verum scilicet & germanum ejus sensum non pertingunt, quia hic in sola Ecclesia custoditur illibatus. Denique cùm sit viuum Euangelium, vt verissimè Cardinalis Hosius circa finem lib. 3. contra Brentium dicit, Isti autem sunt desertores Ecclesiæ, exinde desertores Euangelij, quis non videt quàm ineptè sibi Euangelicorum titulo blandiantur? Postremò non credunt Euangelio: nam Euangelium dicit Devm suâ absolutâ potentiâ posse plura facere quàm facit, potest enim ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, & tamen non facit, potest facere vt camelus transeat per foramen acûs, & tamen non facit, potuit plusquàm duodecim legiones Angelorum exhibere Christo, & tamen non exhibuit. Quam potentiam quia rident caluinistæ, quàm insani! quomodò credunt Euangelio? quales sunt Euangelici. Atque His ita dictis, iam

(Margin: August. — Hosius. — Matth. 3. Matth. 19. Matth. 26.)

CON-

CONCLVDAMVS.

VISIBILEM Ecclesiam Romanam semper Pontificiam, esse Ecclesiam magnam, Ecclesiam populi DEI, Ecclesiam antiquam, Ecclesiam Orthodoxorum, verè fidelium, Ecclesiam quam sibi CHRISTVS exhibuit non habentem maculam aut rugam peruersæ & pestilentis doctrinæ, Ecclesiam Sanctorum, de qua illud. Ps. 148. *Laus eius in Ecclesia Sanctorum*, Ecclesiam Catholicam. Porrò Ecclesia Lutherana & Caluiniana in angulis sedens est noua, per Lutheri & Caluini reformationem ædificata, deformis, ignominiosa, sub pallio iustitiæ imputatæ vlcerosa, leprosa, erroribus scatens. Ab ea exulat verus DEI cultus, pietas non est, fides nulla, de qua illud Psal. 25. *Odiui Ecclesiam malignantium*. Atq; istæ duæ, Ecclesia Catholica & Reformata, tanto interuallo à se inuicem separantur. quantùm intersit spatij inter cœlum & infernum, lucem & tenebras, veritatem & mendacium, quæ nunquam conciliari possunt. Nunc pro Alma Matre nostra fideles filij, Patri luminum supplici mente dicamus.

DEfende quæsumus Domine, Beata MARIA semper Virgine intercedente cum Sanctis cœli curialibus, tuam ab hæreticorum furore, & hostium cunctorum insidijs Ecclesiam; atque toto terrarum orbe diffusam, ab omni clementer aduersitate tuere. Per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritûs sancti DEVS, Per omnia sæcula sæculorum, Amen.



Index rerum in hoc opere.

In quo Syllaba *Not*: significat notabile. *Con*: significat Conclusionem. *Cor.* Corollarium. Litera *N.* significat numerum sub quo in notabili, Conclusione, vel Corollario res quærenda. Literæ etiam alicubi adduntur *P. M. F.* nam Litera *P.* significat quærendum circa principium numeri. Litera *M.* circa medium. *F.* circa finem.

A

Ab Ecclesia debent proponi articuli fidei. Not: 6. n. 1. p

Aberrant multi à vera Ecclesia cur? con: 3. n. 9.

Abrogata Ecclesia veteris testamenti impropriè dicitur. con: 4. cor: 3. n: 34.

Abundare in suo sensu quomodo intelligendum. con. 4. cor. 2. n. 29. f

Abusus Sacramentorum apud hæreticos. con. 3. cor: 3. n. 10. & sequ.

Accidentia ostendunt quod quid est, con. 2. n. 28. m

Accidentia qualia, ex quibus sumuntur notæ Ecclesiæ, con. 2. cor. 1. n. 6. f

Alacritas patiendi non est nota Ecclesiæ con. 3. cor. 5. n. 11. & sequ.

Alexandrina Ecclesia hæreticos habuit. con: 5. cor: 3. n. 1. p

Aliud videmus, aliud credimus. con. 1. cor: 4. n. 1. p & 7.

Altaria in monasterijs non probant schisma. con: 5. cor: 1. n. 5. m

Amplitudo Ecclesiæ non requirit vt simul sit in omnibus locis & gentibus. con: 1. n. 23. f

Anima vna quid in Ecclesia. not: 1. n. 5. f

Antiquitas in Ecclesia Romana custoditur. con: 5. cor. 3. n. 1. & seq.

Antiquitatis hostes hæretici. con: 1. cor: 5. n. 11. m & con. 5. n. 15.

Analogia inter naturalia & moralia. con: 2. n. 6. p

Anacletus Papa. con: 5. cor: 1. n. 14. f

Antio-

Antiochena Ecclesia hæreticos habuit. con: 5. cor: 3. n. 1. p
S. Andreas Apostolus in Missa offerri sacrificium docuit. con: 5. n. 65.
Anastasius defenditur. con: 5. cor: 4. n. 21.
Apostolicum nota Ecclesiæ. con: 4. cor: 3. n. 64. & sequen.
Apostolica Ecclesia vnde dicitur. ib. n. 67. & 68. & sequ.
Apostolica Ecclesia non est, quæ discrepat ab ea, quæ supra Petrum ædificata est. ibid. n. 67.
Apostolica doctrina. ibid. & n. 68. m
Apostolis an omnia fidei mysteria reuelata in die Pentecostes. con: 5. cor: 1. n. 23. & sequ.
Apostoli plenissimè instructi de mysterijs fidei, pares in potestate quomodo. con: 2. cor: 4. n. 16.
Apostoli & Prophetæ reuelationes immediatè à Deo acceperunt. con: 2. cor. 4. n. 36. m
Apostoli omnes quomodo pares. con. 5. cor: 1. n. 22. p
Apostolica sedes pro Pontifice Romano accipitur. con: 5. cor: 4. n. 20. m
Ariani sinceritatem verbi Dei sibi arrogabant, con: 2. cor. 4. n. 67.
Ariani sophismatibus argumenta sua infarciunt, con: 1. cor: 3. n. 12.
Ariminense conciliabulum, con: 2. cor: 4. n. 13. m
Arrogantia hæreticorum, con: 4. cor: 2. n. 10. m
Articulus fidei ponitur de Ecclesia con: 1. cor: 3. n. 1. & sequ.
Articulorum fidei omnium, vnum medium, con: 5. cor: 5. n. 16. m
Articuli fidei vnde habentur, not. 6. n. 1. p
Aspectabilitas Ecclesiæ est ratio formalis petendi notas eius ex qualitatibus, con. 4. n. 1. & sequ.
Auditus verbi Dei, signum coniecturale electionis, con: 5. n. 31. p
Audire prædicationē commune omnibus sectis, ibid.
Authoritas Ecclesiæ, non est purè humana, con: 1. cor: 2. n. 13. m

B

Baptizari cāpanas, calumniā infert Catholicis Bretius, con: 2 cor. 4. n. 65
Baptismi vsum legitimum sibi anabaptistæ vendicabant, con: 2. cor: 5. n. 1. p
Baptismus primum fidei Sacramentum, con. 4. cor: 3. n. 39. m
Baptizati qui ad Ecclesiam pertinent, ibid. f
Basilius Imperator non esse sui iuris iudicare

iudicare de rebus religionis agnouit, con. 4. cor: 2. n. 46. m.
Beatorum hostes hæretici, con: 5. n: 30. p
Bonus nullus apud hæreticos, con: 4. cor: 3. n: 49. m

C

Caluinus, quid de cognitione Ecclesiæ sentiat, con: 3. n: 12.
Caluini secta diuisa, con: 5. n. 26. f
Canon scripturæ perfectus, & ad omnia sufficiens quomodo, con: 4. cor: 2. n. 35.
Caput & corpus homogenea, con: 1. n: 13.
Catholicum quid hæreticis & quid catholicis, con. 2. cor: 4. n. 68.
Catholicũ tria continet, con. 1. n: 23.
Catholicum propria nota Ecclesiæ. con: 4. cor: 3. & quid sit, n: 51. & sequ: Et con: 5. n: 63. & sequ.
Catholica Ecclesia vt sit, quid requiritur, con: 4. cor: 3. n. 54. & n. 59
Catholica Ecclesia fuit die Pentecostes, con: 4. cor. 3. n. 54. m
Catholicum non conuenit vllo modo hæreticis, con: 4. cor: 3. n: 55.
Catholica Ecclesia vnde dicitur, con: 4. cor: 3. n: 58. & sequ.
Catholicæ Ecclesiæ non obest apostasia regnorum, con: 4. cor: 3. n. 59.
Catholicorum omnium consensus in doctrina fidei, ibid.
Catholicum vni duntaxat conuenit, con: 2. cor: 4. n. 68.
Cathedra Petri fundamentum Ecclesiæ, con: 5. cor. 1. n. 16. & 17. & sequ.
Cathedra Petri cum vniuersa Ecclesia recurrit, con: 4. cor: 5. n: 8. Est vnitatis origo, ibid: n: 11. m Et con: 5. cor: 1. n. 1. p
Cathedra Petri vbi Ecclesia, con: 3. n. 22. Et con: 4. cor: 3. n: 37.
Chalcedonense Consilium, con: 5. n: 84. m
Christus caput Ecclesiæ etiam veteris testamenti, con: 4. cor: 3. n. 28.
Christus quomodo influit in corpus Ecclesiæ vt caput ipsius. con: 1. n: 13
Circulus quid, con: 1. cor: 2. n. 1. & sequ.
Circulus non est, Ecclesiam per scripturam & vice versa demonstrare, ibid.
Clauium traditione Petrus summus iudex & gubernator constitutus, con. 4. cor: 2. n. 40. m
Clauium traditione Petro quid significatur, con: 5. cor. 1. n: 17. f
Clauis excellentis potestatis in Petro,

in Paulo sapientiæ, con: 5. n. 85.
Cœlestini Papæ sententia, con: 5. cor: 3. n. 1.
Cœtus in definitione Ecclesiæ, Not. 1. n. 1. & 5
Communio sub vtraque Specie, con: 5. num. 51. p
Communio paruulorum, ibidem m
Concilia generalia quomodo errare possunt, con: 5. cor: 4. n. 5. f
Confessio auricularis, con. 5. n. 51. f Et con: 2. cor: 4. n. 65. f
Consilium est de perfecta paupertate con: 5. n. 52.
Consensus populorum, con. 5. n. 60. f
Concilia generalia conuocare, con: 5. n: 84. p Ad quid necesse con. 5. cor. 4. n. 5. m
Constantinopolitanum concilium, con: 5. n. 84. m
Consilio plurium particulares Ecclesiæ gubernabantur, con: 5. n. 86.
Cornelius Papa, con: 5. cor: 1. n. 1. m
Constantinopolitana Ecclesia hæreticos habuit, con: 5. cor: 3. n. 1.
Cognoscitur Ecclesia quantùm ad immediationem & firmitatem ex essentialibus, con: 4. cor: 5. n. 4.
Concilia confirmat Papa, con: 4. cor: 2. n. 41. m
Constantinus Imperator, con: 4. cor: 2. n. 46. m & con: 5. n. 84. m
Contritio hæretica quæ, con 3. cor: 5. n. 9.
Corporis duplices partes con: 5. n. 49
Corpus duplices partes continet, con: 1. n. 15.
Cognitâ Ecclesiâ, facillimè vitantur hæreses, con: 1. cor: 1. n. 9.
Creaturæ quomodo cadunt sub fidem, con: 1. cor: 3. n. 5.
Credit seipsam Ecclesia, con: 1. cor: 3. n. 6.
Credenda per authoritatem Ecclesiæ recognoscimus, con. 3. n. 8.
Credere se iustum esse, non est actus fidei catholicæ, con: 5. cor: 5. n. 6. & sequent.
Credo remissionem peccatorum, quomodo accipiendum, con: 5. cor: 5. n. 10. & 11.

D

Damnantur hæreses & schismata ab Ecclesia, con: 1. n. 8.
Dauid ieiunauit pro mortuis, con: 5. n. 71.
Demonstratio quid, con. 3. cor: 1. n. 2.
Diaboli peccatum causa aliquomodo omnium peccatorũ hominum, con: 5. cor: 5. n. 14.
Differentia præteriti & futuri non inducit

inducit diuersitatem confessionis, con: 2. cor: 4. n. 55.
Differentia hæreticorum & schismaticorum, con: 5. cor: 5. n. 5.
Discessus ab Ecclesia, hæretici nota, con: 4. cor: 3. n. 15. & 16.
Dissensio Catholicorum in ijs quæ non pertinent ad fidem, non obest vnitati Ecclesiæ, con: 4. cor: 3. n. 18.
Diuulgatio Euangelij facilior Româ, con: 5. cor: 1. n. 12. f
Doctrina Ecclesiæ infallibilis regula fidei con: 5. cor: 5. n. 17.
Doctrina vera in sola Ecclesia, con. 2. cor: 4. n. 26.
Doctrina Christi scriptis comprehendi non potuit, con: 4. cor: 2. n. 39.
Dogmatum religionis plenitudo in Ecclesia Romana con: 5. cor. 2. n. 1. & sequent.
Dogmata etiam non scripta ad salutem necessaria, ibid. n. 6. & sequ.
Donatistæ legitimum vsum baptismi sibi arrogabāt, con: 2. cor: 4. n. 67
Dubitare dupliciter contingit, con: 3. cor: 3. n. 8.
Duplici modo Christus docebat, con: 4. cor: 2. n. 39.
Dupliciter consideratur secta Lutheri & Caluini, con: 5. n. 20. m

E

Ecclesia quid nominis, not. 1. n. 1.
Ecclesiæ vocabulum vnde sumptum, ibid.
Ecclesiæ nomen quandoq; Ethnicis tribuitur, ibid.
Ecclesia propriè & vsitatè significat populum Christianum, ibid.
Ecclesia noui & veteris testamenti eadem, not. 1. n. 2. & con: 4. cor: 3. n. 22.
Ecclesiæ nomen quandoq; significat locum in quo continetur cœtus, not. 1. n. 3.
Ecclesia quandoq; significat Senatum Ecclesiasticum, ibid.
Ecclesia quid rei, ibid. n. 4.
Ecclesia in die Pentecostes omnes gentes continebat, ibid. m
Ecclesiæ tales notæ conueniunt qualis ipsa, not. 2. n. 1.
Ecclesia inuisibilis hæreticis, ibid. & con: 1. n. 1. p item cor: 5. n. 1. & sequent.
Ecclesiam quam fingit Lutherus, not. 2. n. 1.
Ecclesia in quibus sit, ibid. n. 3.
Ecclesiæ quæ notæ secundum hæreticos, not. 3. n. 1.
Ecclesia debet proponere articulos fidei,

dei, not: 6. n. 1.
Ecclesia ex prædestinatis & præscitis, con. 1. n. 15.
Ecclesiam ad ãgulos redigere qui hæretici conati, con: 1. n. 17.
Ecclesia amplissima, con. 1. n. 20.
Ecclesia corpus appellatur, cur? con. 1. n. 33.
Ecclesia ens per se, quomodo? con. 2. n. 7. quomodo cognoscatur, n. 13.
Ecclesia vniuersa errare non potest, con: 2. cor. 4. n. 7.
Ecclesia sine Sacerdotibus esse non potest, con 2. cor: 4. n. 61.
Ecclesiã non esse visibilem quia creditur, est sophisma à dicto secũdùm quid, ad dictum simpliciter, con: 1. cor: 3 n. 12. f
Ecclesia discernitur per intrinseca quoad firmitatem, per extrinseca quoad claritatem, con: 3. n. 2.
Ecclesia vna ab initio mundi ad finem, con: 4. cor: 3. n. 22.
Ecclesia omnibus temporibus manet, con: 4. cor: 3. n. 62. Ad finem mundi, ibid. n. 63.
Ecclesiam esse aliquam in genere non sufficit ad credendum, con: 5. n. 1. & sequen.
Ecclesiæ an in die Pentecostes omnia mysteria fidei reuelata, con: 5. cor: 1. n. 23. & sequent.
Electus canonicè successionem continuat, con: 4. cor: 3. n. 69. f
Episcopi custodes fidei, con: 5. cor: 4. n. 9. & sequent.
Error facti cadit in prudentissimos, con: 4. cor: 3. n. 69.
Errare ab Ecclesia vnde prouenit, con: 4. cor: 5. n. 12:
Error Ecclesiæ in fide, tribueretur Christo & Spiritui sancto, con: 2. cor: 4. n. 29.
Erratur grauius de Ecclesia quàm de Christo con: 1. cor: 1. n. 8. p
Error Corinthiorum & Galatarum non fuit hæresis con: 2. cor. 4. n. 8
Errarintne Apostoli in fide, con: 2. cor: 4. n. 10.
Essentia Diuina diuersimodè supponit, con: 1. cor: 3. n. 12. m
Essentiale & accidentale in Ecclesia con: 2. n. 3.
Essentiæ quomodo cognoscuntur sine adminiculo accidentium, con: 2. cor: 3 n. 9.
Eucharistia sub vna specie sumenda, con. 2. cor: 4. n. 65. m
Euidens quatenus proprietas vna notarum quid significet, con: 3. cor: 1 n. 10. m
Euidens quid, con: 1. n. 38.

Euidenter verum, not: 8. n. 1. & con: 3. cor: 1 n. 10. m
Euangelium viuum Ecclesia, con: 1. cor: 1. n. 7.
Explicandi difficultates quæ sit norma in Ecclesia, con: 4. cor: 2. n. 30. & sequent.
Explicare difficultates non est omnium, con: 4. n. 44. & 45.
Exire à Catholica Ecclesia est hæresis, con: 5. n. 15.
Extra Ecclesiam non est communicatio Sanctorum, nec quis acceptus Deo, not. 1. n: 4.

F

Fallacia consequentis, con: 2. cor: 4. n. 1. p
Fallacia est peccatum contra syllogismum quomodo? con: 3. cor: 3. n. 4
Fallacia à dicto simpliciter ad dictũ secundùm quid, con. 5. cor. 1. n. 39.
Fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, con. 1. cor. 3. n. 12. f
Fides perficit sensum & rationem, con. 1. cor. 4. n. 1. & sequent.
Fides quomodo imperfecta dicitur, con 1. cor. 4. n 6.
Fides & scientia de Deo con. 2. n. 17.
Fides vera inseparabilis ab Ecclesia, con. 2. cor. 4 n. 1. & seq. Propria Ecclesiæ, n. 14. Eius formale, n. 16.
Fides in excommunicatis quæ, con. 2. cor. 4. n. 19. In dæmonibus quæ, n. 20.
Fides non est nota Ecclesiæ, con. 2. cor. 4. n. 21.
Fides ex effectibus non potest certò cognosci, con. 2. cor. 4. n. 24.
Fides comparatur paruulo, con: 2. cor. 4. n. 45.
Fides vna Ecclesiæ & Synagogæ, con. 2. cor. 4. n. 47. & sequ. fructificat in omnibus gentibus, con. 3. n. 26.
Ad fidem dupliciter aliquid pertinet, con. 4. cor. 1. n. 4.
Fides vera non iudicat de Ecclesia vera, sed contra, ibid. n. 5.
Fides eadem in Ecclesia Romana, con. 5. cor. 1. n. 4.
Fides Petri fundamentum Ecclesiæ, con. 5. cor. 1. n. 16.
Fidei custos Papa principaliter, con. 5. cor: 4. n. 1. & sequent.
Fides dupliciter consideratur, ibid. n. 8.
Fides non est sine authoritate Ecclesiæ proponentis, con. 5. cor. 5. n. 1

non extra Ecclesiam, n. 12. Eius medium quod, ibid. n. 13. f
Fides formata & informis quæ, ibid. dæmonum quæ, ibid. n. 14.
Figura & figuratum quomodo concordant, con. 1. n. 26.
Figura Ecclesiæ noui testamenti, quomodo fuit Ecclesia veteris testamenti, con. 4. cor. 3. n. 36.
Fines sophistarum, con. 1. cor. 3. n. 13.
Firmitas Ecclesiæ pendet ex firmitate Papæ, con. 5. cor. 4. n. 18.
Fundamentum Ecclesiæ æqualiter omnes Apostoli quomodo? con. 5. cor. 1. n. 18.

G

Gladio Salomonis comparatur scriptura, con. 4. cor. 2. n. 8. m
Gloriatur Lutherus spiritu priuato ibid. n. 20. Item alij hæretici n. 23.
Gratia gratis data, est interpretatio sermonum, ibid. n. 27. f
Gradus Ecclesiastici septem, con. 5. n. 36.
Gratia Spiritus sancti docet vitare impedimenta salutis, con. 4. cor. 2. n. 28.
Gratia martyrij peculiaris Ecclesiæ, con. 3. cor. 5. n. 13.
Gersonis dictum. con. 5. n. 52. m
Gratianus, con. 5. cor. 4. n. 14.
Gubernationis genus, forma reipub. con. 5. n. 17.

H

Habere temporalia licet Ecclesiæ, con. 5. n. 52.
Hæretici consulunt Romanam Ecclesiam, con. 5. cor. 2. n. 4. m
Hæresis nunquam vna & eadem, con. 1. n. 24.
Hæresis quid? con. 5. cor. 4. n. 22. f
Hæretici semper nouatores, con. 1. cor. 5. n. 11. Solos iustos & prædestinatos esse in Ecclesia dogmatizant, con. 5. n. 47.
Hæreticorum dogmata, con. 1. cor. 5. n. 15.
Hæretici non seruant numerum Sacramentorum, con. 2. cor. 4. n. 73. Et vtuntur eis tanquam non suis ibid.
Hæresis in angulis, con. 3. n. 21.
Hæresis sarmenta con. 4. cor. 3 n. 17
Hæretici semper errant, con. 4. cor. 3. & cor. 4. n. 1. p
Hæretici student diffamationi Catholicorum, con. 4 cor. 3. n. 5. m
Hæretici volunt dici Catholici, ibid. n. 53. cur? ibid. n. 66.

Hæresis nulla originem suam ab Ecclesia in die Pentecostes orta ostendere potest, con: 4. cor: 3. n. 55. f
Hæreticorum secta nulla agnita omnibus gentibus, ibid. n. 61.
Hæreticum esse quid sit, con: 4. cor: 1. n. 1. m
Hæreticum dogma ibid. n. 3.
Hæretici nec purum Dei verbum, nec legitimum vsum Sacramentorum habent, con: 3. cor. 3. n. 5. & seq.
Hæretici moderni suscitãt antiquos iã dudum damnatos, con: 5. n. 20. m
Hæretici non habent successionem, ibid. n. 21.
Hæretici fatentur Ecclesiam Romanam esse Catholicam, con: 5. n. 61.
Hæretica opinio quæ? con: 5. cor: 4. n. 21. f
Hæreses prosunt ad custodiam fidei, quomodo? con. 5. cor: 4. n. 7.
Hæreticus nullus bonus, con: 4. cor: 3. n. 49.
Hæreticorũ signũ cõ. 5. n. 5. & n. 24.
Hæres & testator quomodo idem? con: 1. cor: 1. n. 5.
Heluidij perfidia, con. 5. cor: 2. n. 13
Honorius vindicatur ab impostura con. 1. cor. 5. n. 15.
Hus delirium, con: 1. n. 15. p
Hussitæ impugnant temporales Ecclesiæ possessiones, con: 5. n. 52.

I

S. Iacobus Apostolus liturgiam celebrabat, con: 5. n. 65.
Iacob Patriarcha, ibid. n. 68. p
Iaphet figurabat Ecclesiam ex gentibus, con. 4. cor: 3. n. 22. m
Idem homo secundùm diuersa pertinet ad corpus Christi & diaboli, con. 1. cor: 5. n. 8.
Ierusalem quomodo figurabat Ecclesiam, con: 1. n. 6.
Ierosolimitana sedes habuit hæreticos con: 5. cor: 3. n. 1. p
Ieiunare pro defunctis con: 5. n. 71. p
Illyricus ægrè fert vix aliquos inueniri puros Lutheranos cõ: 5. n. 25. f
Incõstãtia hæreticorũ in assignãdis notis Ecclesiæ, con: 4. cor: 4 n. 1. f
Inuocationem Sanctorum, nituntur abolere hæretici, con: 5. n. 30.
Inuocatio Sanctorum quare dogma Catholicum? con. 5. n. 67. & seq.
Intercessio B. V. Mariæ ibid: n. 68. m
Inuisibilem Ecclesiam qui hæretici dicunt, con: 1. n. 1. p
Inexcusabiles qui Christum non receperunt, con: 1. cor: 1. n. 4.
Inuisibilis Ecclesia nulla, con: 1. cor: 5. n. 1. & seq. Noua est, ibid. n. 3.

Inuisibilem Ecclesiam cur fingũt hæretici, con: 1. cor: 5. n: 11. Non habet vllum locum, n: 16.
Intentio requiritur in sacramentorum administratione, con. 2. cor: 4. n. 70.
Intellectus nostri debilitas, con: 3. n. 10.
Inuenta Ecclesia statim cognoscitur, con: 3. n. 14.
Inueniendæ Ecclesiæ quis locus? ibid. n. 22.
Intrinseca rei, quatuor proprietatibus notarum carent, con: 3. cor. 2. n. 1. m
Ioannes fœmina, fabula, con: 4. cor: 3. n. 69.
Ioannes Cantius inter claros miraculis, con: 5. n. 50. f
Iudicis quod officium? not: 6 n. 1. m
Iudiciũ Ecclesiæ infallibile, ibid. n. 2.
Iudicat Ecclesia scripturam quomodo, con: 1. cor: 2. n. 13. De legitimo vsu sacramentorum, con: 2. cor: 4. n. 66. m
Iudicat Ecclesia de puro Dei verbo & sincera prædicatione Euangelij, con: 2. cor: 5. n. 2.
Iudicare scriptura de Ecclesia non potest, con: 4. cor: 2. n. 1. & sequ.
Iudicare quid sit, ibidem.
Iudicium de doctrina ab Ecclesia petendum, con: 4. cor: 2. n. 2.
Iudicium Papæ ex cathedra infallibile, con: 4. cor: 2. n. 47.
Iudicium Papæ ex cathedra definientis non est purè humanum, con: 5. cor: 4. n. 23.
Iurisdictionem ordinariam solus Petrus à Christo accepit cæteri Apostoli delegatam, con: 5. cor: 4. n. 13. f
Ius summum interpretandi dubia fidej penes Papam, con: 4. cor: 2. n. 40. & sequent.

L

S. Laurentij mart: inuocatio, con: 5. n. 68. f
Leges in eadem repub. possunt mutari ex certis circumstantijs, con: 4. cor: 3. n. 29.
Leontius, con: 5. n. 84.
Lex vetus & noua quomodo differunt con. 2. cor: 4. n. 52. m
Lucius Britannorum Rex, con: 5. n. 59. m
Lutheri secta in plures diuersas dissecta, con: 4. cor: 3. n. 14.
Lutheri spiritus priuatus quid? con: 4. cor: 2. n. 20. m
Lutherus quomodo abstrahebat Eccle-

siam con: 3. n. 25.
Lutherani & Caluinistæ antiquos hæreticos imitantur, con: 3. cor: 4. n. 1.
Lutherus hæreticus, con: 5. n. 15.
Lutherus non fuit missus ad reformãdam Ecclesiam, ibid. n. 16. Nec à Deo datus, ibid. cor: 3. n. 10.
Lutherani seu qui sunt à Luthero, non erant ante Lutherum, con: 5. n. 20. f
Lutheranum esse Christianum est non esse, con: 5. n. 74.
Lutherani & Caluinistæ reijciũt traditiones, con: 5. cor. 2. n. 6.
Lutherus seditiosus con: 5. cor: 3. n. 8.
Lutherani de legitimo vsu Eucharistiæ cum Caluinistis dissentiunt, con: 2. cor: 4. n. 67.
Lutherani & Caluinistæ nihil credunt, con: 5. cor: 5. n. 12. & sequ.
Luthero diabolus suppeditabat argumenta, con: 5. cor: 5. n. 15.
Lutherus Arianizat, ibid. n. 18.
Lutherus & Caluinus in antiquis hæresibus suas sectas fundarunt, con: 5. n. 20. m
Lutheranos puros non inueniri ægrè fert Illyricus, con: 5. n. 26. f Non esse Christianos ibid. cor: 5. n. 22.
Lux reciproca corpori lucenti, con: 4. n. 15.

M

Macula & ruga quid significant? con: 4. cor: 3. n. 48.
Mali in Ecclesia quomodo sancti? ibid n. 49.
Martyrio falso se iactant hæretici, con: 3. cor: 5. n. 11.
Martyrij gratia peculiaris Ecclesiæ, con: 3. cor: 5. n. 13. m
Martyrem non mors sed causa facit, ibid.
Martyres circa Lugdanum, con: 5. n. 59. m
Martyres non baptizati erant in Ecclesia Romana, con: 5. n. 76.
Martyrium sitne nota Ecclesiæ? con: 3. cor: 5. n. 14.
Martianus Imperator con: 5. n. 84 m
Maximè necessarium cognoscere Ecclesiam, con: 2: cor: 2. n. 5. m
Mediante Ecclesiâ explicatio credendorum, con: 2. cor: 4. n. 33. m
Mediator primarius Christus, con: 5. n. 30.
Medium fidej integratur ex prima veritate & Ecclesiæ authoritate, con: 5. cor: 5. n. 20.
Medium non datur inter substantiam & accidens, quomodo? con: 2. cor: 1. n. 1.

1. n.1. m
Melchisedech panem & vinum obtulit, con: 5. n. 64. & sequ.
Meridies cantic: 1. quid significet? con: 1. n. 39.
Metaphoricæ locutiones non in omnibus seruant similitudinem, con: 5. n. 49.
Ministros Ecclesiæ mittere, non est populi. con: 5. n. 51. m
Miracula in Ecclesia, con: 5. n. 50.
Missæ actione verum sacrificium contineri, dogma Catholicum, cur? con: 5. n. 64. & sequ.
Mœstitia interna non est nota Ecclesiæ, con: 3. cor: 5. n. 5. & sequ.
Morborum causas vnde explorant Medici, con: 2. cor: 3. n. 2.
Mutantur perpetuò hæreses, con: 5. n. 26. m
Mysteriorum fidej an omnium in die Pentecostes acceperint Apostoli reuelationem? con: 5. cor: 1. n. 23. & sequent.

N

Negantes Christum inexcusabiles, con: 1. cor: 1. n: 4.
Nicænum Concilium, con: 5. n: 84.
Nilus hæreticus errorem in fide obijcit S. Petro, con: 5. cor: 1. n. 38.
Notæ Ecclesiæ secundùm hæreticos, Not: 3. n: 1. Et con: 3. cor: 1. n. 1.
Notæ Ecclesiæ duplices, Not: 4. n. 1. & 2.
Notarum quæ sunt requisitæ, Not: 5.
Notæ Ecclesiæ vnde sumantur, Not: 7. Et con: 2. n: 22. & cor: 1. n: 2. & 3. Et con: 4. n. 9.
Notæ quomodo ostendant Ecclesiam, Not: 8.
Nota non ex sola reciprocatione, con: 2. n. 29
Notæ ab essentia cur non ducuntur? con: 2. cor: 2. n. 1. & sequen.
Nota sui nihil esse potest, con: 2. cor: 5. n. 16. & sequ.
Notarum quis finis, con: 3. corol: 1. Ecclesiam debent sufficienter indicare, n: 1. & sequ.
Notæ quâ necessitate sufficienter demonstrant Ecclesiã, con: 3. cor: 1. 3.
Notæ aliter ostendunt Ecclesiã, quàm medium demonstrationis conclusionem, con: 3. cor: 1. n: 4.
Notæ quatuor proprietates debent habere, con: 3. cor: 1. n: 5. & seq.
Notæ tales, qualis Ecclesia, con: n: 3. cor: 1. n. 8.
Notæ Ecclesiæ determinatæ, con: 4. cor: 4. n. 1. & sequ.
Notæ Ecclesiæ pro stabilitate eius immu-

immutabiles, ibid: n. 2.
Notæ diuersæ, sub diuersis imaginibus Ecclesiam exhibent, con: 4. cor: 4. n. 4.
Notæ omnes à Catholicis numeratæ, ad quatuor reuocantur, ibid: n. 5. & sequ.
Notæ reducibiles ad quatuor, quæ? ibid: n: 7.
Notæ clarissimè & facillimè ostendunt Ecclesiam, con: 4. cor: 5. n. 1. & sequ.
Notarum vsus, con: 4. cor: 5. n: 2.
Notæ debent esse reciprocæ cum Ecclesia, ibid: n: 5. & sequ.
Notæ singulæ ex illis quatuor sufficienter ostendunt veram Ecclesiam, con: 4. cor: 5. n: 10. & sequ.
Notæ inuicem se inferunt, ibid.
Notæ omnes simul firmius ostendunt veram Ecclesiam quàm singulæ, ibid: n: 13.
Notæ Ecclesiæ, debent ipsam visibiliter ostendere, con: 4. n. 14.
Notas Ecclesiæ variè tractant Catholici quare? con: 3. cor. 4. n. 5.
Notas Ecclesiæ cur alias hæretici assignant quàm Catholici, con: 3. cor: 4. n. 6. & sequ.
Notarum Ecclesiæ alius sensus apud hæreticos quàm apud Catholicos, con: 3. cor: 4. n: 9. m.
Nota vera ab Ecclesia inseparabilis, con: 3. cor: 5. n. 10.
Nota Ecclesiæ, conjunctio cum Romano Pontifice, con: 5. n. 22.
Notæ quatuor in Concilijs positæ Ecclesiæ Romanæ conueniunt, con: 5. n. 42.
Notis de quibus potissimum in hoc tractatu agatur, not: 4. n 2 & not: 5. n. 3.
Notior simpliciter Ecclesia, quàm scriptura, con: 1. cor: 2. n. 6.
Nouos articulos non condit Ecclesia, con: 5. cor: 3. n. 9.
Nouum dogma quid efficit? con: 4. cor: 1. n. 2.
Nouum dogma est hæreticum, con: 5. n. 15. m.
Noua conuenticula sunt hæreticorum receptacula, con: 5. n. 19.
Noua nomina dant suis hæretici ibid. n. 15.
Nouè docetur in Ecclesia, sed nihil nouum, con. 5. cor: 3. n. 3.

O

Objectum materiale fidei Catholicæ, con: 5. cor. 5. n. 6. m
Obscura reuelatio con: 2. cor: 4: n. 28
Obscuritas de ratione fidei con: 3. cor. 2. n. 1.

2. num: 1. m
Obscura scriptura, con: 4. cor: 2. n. 11. Et cur? ibid: n. 16.
Obscurum nihil clarè indicat, con: 3. cor: 5. n. 5.
Obscuritate omni vacare debent notæ, con: 2. cor: 2. n. 5. & seq:
Oderunt hæretici veritatem, con. 3. cor: 4. n. 7.
Omnia in scripturis quomodo? con: 4. cor. 2. n. 35. f
Opinio hæretica quæ, con. 5. cor: 4. n. 21. f
Opus non est, vt Ecclesia omnia decreta sua scripturæ authoritate confirmet, con. 4. cor. 2. n. 37.
Opus imperfectum Chrysostomi, con. 3. cor. 1. n. 11.
Ordinare symbolum fidej est Papæ, con. 2. cor. 4. n. 30.
Oratio non est nota Ecclesiæ, con. 3. cor. 5. n. 1. & sequ.
Origenes ad Fabianum Papam, con: 5. n. 59. m
Orientales Episcopi, ibid.
Ordinis sacramentum quomodo necessarium Ecclesiæ, con. 2. cor: 4. n. 61. f
Ordo inter docentes, con. 4. cor. 2. n. 44. f
Osij Cordubensis Episcopi præclarum responsum, con. 5. n. 84. p
Ouile appellatur Ecclesia non hædile, con. 5. n. 48.

P

Papæ est definire controuersias & dubia fidej, Not: 6.
Papa errare potest in iudicio facti non juris, con: 5. cor: 4.
Papa declarat quid credendum, con. 4. cor: 2. n. 41.
Papam vsurpare jus mutandi doctrinam Christi, & cultus à Deo institutos, calumniantur hæretici, con: 5. n. 53.
Papisticum & Pontificium denominari non est malum, con: 5. n. 73.
Papam audire tota Ecclesia tenetur, con: 5. cor: 4. n. 4.
Papa sine Concilio Generali potest definire infallibiliter dogmata fidej, ibid. n. 5. & n. 16. & sequ.
Papa non potest aliquid contrarium fidej publicè docere, con: 5. cor: 4. n. 17.
Papa damnat hæreses sine Concilio Generali, ibid: n. 19.
Papæ authoritatem an augeat Concilium? ibid. n. 22.
Papias regnum Christi in terris mille annis post resurrectionem putauit, con:

con: 5. cor: 2. n. 14.
Patiani dictum con: 4. cor: 3. n. 52. f
Patriarchales Ecclesiæ nouitia dogmata professæ, con: 5. cor: 3. n. 1. p
Paulus quomodo persecutus Christum con: 1. art. 1. Cur Ierosolimam venit ad Apostolos, con: 4. cor: 2. n. 25. m
Peccatum duplex mortale & veniale, con: 4. cor: 3. n. 48. p
Petitio principij quid? con: 1. cor: 2. n. 7.
Petunt principium hæretici, con: 4. cor: 3. n. 57. m & con: 3. cor: 3. n. 1. & sequen.
Petri Ecclesia firma fide, con. 4. cor: 3. n. 64. m
S. Petrus Romæ passus, con: 4. cor: 5. n. 9. Super illum fundata Ecclesia, con. 5. n. 44. p
Petra Matth: 16. quid significet, con: 5. cor: 1. n. 15. & sequ.
Persecutionibus Ecclesia crescit, con: 4. n. 17. m
Peregrinationes ex vniuerso orbe attestantur Romanæ Ecclesiæ, con: 5. n. 59.
S. Petrus Diuino iussu sedem transtulit in vrbem Romanam, con. 5. cor: 1. n. 14. Super illum ædificata Ecclesia, con: 5. cor: 1. n. 15. & sequent.
Petra & Petrus idem, ibid. n. 17. p
Petrus principaliter definiuit controuersiam de legalibus, Act. 15. con: 5. cor: 4. n. 13. Quomodo reprehensus à Paulo, con. 2. cor: 4. n. 11. & con. 5. cor. 1. n. 29. & cor: 4. n. 14.
Polycarpus, con: 5. n. 59. Romam venit ad Anicetum, ibid, cor. 4. n. 11.
Pontificia Ecclesia cur dicta? not. 9. n. 2. [n: 7.
Pōtifex caput Ecclesiæ visibile, cō: 1.
Portæ inferi, con. 5. n. 43.
Priuato spiritui an credendum, con. 4. cor. 2. n. 26. Non sufficit ad dirimendas difficultates ibid. n. 20. m
Priuatum dupliciter dicitur, ibid.
Priuatum iudicium, inuentum hæreticum, con: 2. cor. 4. n. 34.
Præueniuntur vocatione qui sunt in Ecclesia, Not: 1. n. 1. m
Problema, con: 5. cor: 1. n. 4.
Proficit Ecclesia in fide quomodo? con: 2. cor: 4. n. 37. & con: 5. cor: 1. n. 23. & sequ.
Propositio de Omni, con: 4. cor: 5. n. 6. m
Promissiones Ecclesiæ factæ, con: 4. cor: 2. n. 30. m

Pronomen HANC Petram, quid denotet, con. 5. cor: 1. n. 20.
Proficere quid sit, con: 5. cor: 3. n. 2
Propositio immediata respectu conclusionis, con: 2. cor: 1. n. 8. & 9.
Publicum Ecclesiæ magisterium quid significat, con: 4. cor: 2. n. 36. m
Purum Dei verbum constituit essentiam Ecclesiæ, con: 2. cor: 5. n. 6. & sequ.
Pusillus grex vnde dicitur, con: 1. n. 25.
Pusillanimitas vitium, con: 3. cor: 5. n. 7.

Q

Quadragesimale ieiunium & quatuor temporum, con: 5. cor: 2. n. 13. f
Quæstiones de religione ad Papam delatæ, con: 5. n. 59.
Qualitates ex quibus petuntur notæ, conuertibiles cum ipsa Ecclesia, con: 4. n. 10. & sequ.
Qualitates diuersæ hominum, non distinguunt diuersas Ecclesias, con. 1. cor: 5. n. 9.
Quatuor notæ in Concilijs positæ, conueniunt Romanæ Ecclesiæ, not: 9. n. 1.
Quatuor proprietates sunt de ratione notæ, con: 3. cor: 1. n. 5. & sequ.

R.

Raptus Pauli in cœlũ, cõ: 5. c: 1. n. 36.
Recursus ad Papam in difficultatibus con: 5. cor: 4. n. 2.
Reformare Ecclesiam non potuit Lutherus vel Caluinus, con: 5. n. 15.
Reformata conuenticula sunt angularia, con: 5. n. 24.
Reformatio Lutheri & Caluini iam interijt, ibid. n. 26. m
Reformata secta, fœdior Synagogâ Iudæorum, ibid: n. 27.
Refugium innocentum Romana sedes, con: 5. cor: 1. n. 10.
Religiosorum denominationes diuersæ ab hæreticorum con: 5. cor: 1. n. 5.
Repudiata non est Ecclesia veteris testamenti sed renouata, con: 4. cor: 3. n. 35.
Respectu diuerso idem potest dici heres & testator, con: 1. cor: 1. n. 5.
Respectu diuerso de eadem re potest esse fides, scientia & aspectus externus, con: 1. cor: 3. n. 11.
Reuelatio Diuina nobis innotescit per Ecclesiam, con: 2. cor: 4. n. 26.
Reuelationes nouæ articulorum fidej iam nunc non fiunt, ibid. n. 44.
Reuelatio immediatè tantùm Prophetis & Apostolis facta, ibid. n. 36.
Romana Ecclesia cur dicitur, Not: 9. n. 1.

n. 1. Vera Christi Ecclesia, con: 5. n. 33. & sequ.
Romana Ecclesia principalis à Petro & Paulo fundata, Not: 9. n. 1.
Romæ Cathedra Petri, con. 5. n. 62. & 81.
Romana Ecclesia non potest errare, Not: 9. n. 2. f
Romanorum Pontificum nullus à fide aberrare potest, con: 4. cor: 5.
Romanus Pontifex caput Christianitatis, con: 5. n. 39. m
Romanam Ecclesiam solam Christianam agnoscunt etiam pagani, ibid.
Romanæ Ecclesiæ conueniunt promissiones veræ Ecclesiæ factæ in scripturis, con: 5. n. 41.
Romana Ecclesia stabilis in fide, con. 5. n. 43. m
Romanus Pontifex in totum orbem mittit prædicatores con: 5. n. 45. f
Romana Ecclesia antiquissima, con: 5. n. 60. Eadem Apostolica, ibid. & n. 62.
Romanus ciuis Paulus, con: 5. art: 4.
Romana Ecclesia semper Pontificia con: 5. n. 80. semper eadem, ibid. cor: 1.
Romanum Concilium con: 5. n. 84. f
Romæ sedes Ecclesiæ quàm congruè, con: 5. cor. 1. n. 6. & sequ:

S

Sacramenta cujus signa? con: 2. cor. 5. n. 13.
Sacramentorum vsus ab Ecclesia inseparabilis, con: 2. cor. 4. n. 57. & sequ. Organa gratiæ, n. 58. Quomodo necessaria, n. 63. Non est nota Ecclesiæ, n. 66. & sequ. Propria Ecclesiæ, n. 69. & sequ. In sola Ecclesia ritè celebrantur, n. 72.
Sacramentorum numerum nulla secta constanter seruauit, con: 3. cor: 4. n. 73. m
Sacramentorum legitimus vsus attingit essentiam Ecclesiæ, con: 2. cor: 5. n. 10.
Sacramentorum vsu connectuntur membra Ecclesiæ, ibid: n. 11.
Sacramentorum vsu, quomodo Ecclesia distinguitur à sectis ib: n. 14. f
Sacramenta vetera ad eundem finem tendebant cum nostris, con: 4. cor: 3. n. 29.
Sacramenta extra Ecclesiam non prosunt, con: 2. cor: 4. n. 72. & 74. f & con: 4. cor: 3. n. 46. f
Sacramentorum quis effectus apud hæreticos, con: 3. cor: 3. n. 11. Numerus apud eosdem, ibid. n. 12.

Sacramentum quid iuxta Lutherum, con: 5. cor: 3. n. 3.
Sanctitas totius Ecclesiæ euidens, con: 3. cor: 3. n. 45. & con: 3. cor: 2. n. 8. m
Sanctitas nota Ecclesiæ, con: 4. cor: 3. n. 41. & sequ.
Sanctitas doctrinæ in sola Ecclesia, con: 4. cor: 3. n. 42. & 44.
Sanctitas in Ecclesia duplex, ibidem n. 45.
Sanctitas vitæ extra Ecclesiam nulla ibid. n. 46. & 47. f
Sancta Ecclesia vnde, ibid. n. 47. & sequent.
Sanctitati Ecclesiæ non derogant peccata malorum, con: 4. cor: 3. n. 48. m
Sanctitati muneris non derogat delictum vitæ, ibid. n. 50.
Sardicense Concilium, con: 5. n. 84. f
Schismatici sunt extra Ecclesiam, con: 5. cor: 5. n. 5. Quomodo habent fidem Catholicam, ibid.
Scientia quid requirat, con: 5. cor: 5. n. 18. f
Scripturam non integrè accipiunt Lutherani & Caluinistæ, ibid. n. 19.
Scriptura obscura, con: 4. cor: 2. n. 11.
Scriptura si non esset, quid agendum in difficultatibus fidej, con: 4. cor. 2. n. 31.
Scriptura sola non est regula fidej, con: 4. cor: 2. n. 38.
Scripturæ non continent totam doctrinam fidej, ibid.
Scripturas mutilant hæretici, con: 3. cor: 3. n. 6.
Scriptura sine sensu, cortex sine medulla, ibid. n. 7.
Scholastici non dissentiunt in rebus fidej, con: 5. cor: 1. n. 5. f
Scriptura non est iudex controuersiarum fidej, Not: 6. n. 1. & con: 3. cor: 3. n. 1. m
Scriptura de Ecclesia quàm de Christo clariùs loquitur con: 1. cor: 1. n. 1.
Sensus verus scripturæ tantùm in Ecclesia, con: 4. cor: 2. n. 32.
Sem Iudeos genuit cō: 4. cor: 3. n. 22.
Sensu suo abundare quidē con: 4. cor: 2. n. 29.
Seculares non possunt regere Ecclesiam Dei, con: 5. n. 28.
Sectarum nulla, vera Ecclesia, con: 5. n. 40.
Sedes Apostolica pro quo accipitur, con: 5. cor: 4. n. 20.
Signum vera Ecclesiæ semper visibilem esse, con: 5. n. 25. & quod omnibus apparet, con: 4. n. 5.

Sophisma accidentis, con: 1. cor: 3. n. 2. m
Spirituale duplicitev dicitur, con: 1. n. 16.
Spiritus Ecclesiæ est spiritus Christi, con: 2. cor: 5. n. 9.
Spiritus priuatus quid, con: 4. cor: 2. n. 20. & sequ.
Sponsa Christi Ecclesia, con: 2. n. 15.
Stephani Papæ decretum, con: 5. cor. 3. n. 1. m
Successio, con: 3. n. 24. & con: 4. cor. 3. n. 12. & 65. & sequen.
Successio particularium Ecclesiarum cur minùs accuratè descripta, con: 4. cor. 5. n. 9.
Successio in Romana Ecclesia certissima, ibid.
Symbolum Apostolorum per traditionem habemus, con: 5. cor: 2. n. 8. Quare sic dictum, ibid.
Synagoga quare dicitur, Not: 1. n. 2. Vmbra Ecclesiæ cur? con: 2. cor: 4. n. 56.

T

Tabernaculum ideale, con: 1. cor: 5. n. 10.
Theodoricus Rex, con: 5. n. 84. m
Theodosius Imperator, ibid.
Temporis differentia non inducit diuersitatem fidej, con. 2. cor: 4. n. 55.
Temporales dominatus Ecclesiæ con. 5. n. 52.
Traditiones cur adduntur scripturæ, con: 2. cor: 5: n. 8. m Et con: 3. cor: 3. n. 9.
Traditiones reijciunt hæretici, con: 5. cor: 2. n. 6. & sequ.
Traditiones multò fuerunt ante scripturam, con: 5. cor: 5. n. 10.
Traditiones in sua integritate à Deo conseruantur, ibid. n. 11. f
Traditiones abrogatas falsò dicunt hæretici, ibid.
Traditiones Apostolicæ quæ? ib: n. 13.
Transubstantiatio ostenditur, con: 5. cor: 3. n. 3.
Tribus modis quis redditur certus in dubijs fidej, con: 4. cor: 2. n. 33.
Truncant hæretici verbum Dei, con: 5. cor: 2. n. 2. m

V

Valentiniani Imperatoris dictum, con: 4. cor: 2. n. 46.
Valdenses hæretici cō: 5. cor: 4. n. 14
Verbum Dei purum non est nota Ecclesiæ, con: 2. cor: 5. n. 1. & sequ.
Verbi Dei intelligentia non est extra Ecclesiam, ibid: n. 7. m

Verbum Dei per Ecclesiam loquentis æqualis authoritatis cum scriptura con: 5. cor: 2. n. 5.
Vigilij Pontificis fides & constantia Apostolica, con: 4. cor: 5. n. 9.
Visibilis Ecclesia, con: 1. n. 1. & seq.
Visibilem semper esse, signum veræ Ecclesiæ, con, 5. n. 25.
Visibilem Ecclesiam etiam hæretici agnoscunt, con: 1. n. 11.
Visibilis Ecclesia, partim cadit sub externos oculos, partim sub fidem internam. con: 1. n: 12. f.
Videri non posse quod creditur, sophisma est, con: 1. cor: 3. n: 12. & sequ.
Virtus superior perficit inferiorem. con 1. cor: 4. n: 1. m
Visibilem Ecclesiam conuincunt Sacramenta visibilia, con: 1. cor: 5. num: 2.
Virtus spiritualis quomodo est in corpore. conclus. 3. corol: 3. n: 15.
Virginitatis hostes hæretici, con: 5. num: 20.
Videntur ea, quæ per se mouent intellectum, con: 1. n: 12.
Vnitas hæresi non conuenit, con: 1. num: 24.
Vnitas permanentiæ, con: 4. coroll: 3. num: 1. p
Vnitatis origo Cathedra Petri, con: 4. coroll. 5. num: 11. m Et con: 5. cor. 1. num: 1. p
Vnitas vbiq;, Not 1. num: 1.
Vnus pastor Ecclesiæ, ibid:
Vna res visibilis est & intelligibilis, con: 1. cor: 3. n. 9.
Vna est Ecclesia, con: 1. corollar: 5. num: 1.
Vnitas Ecclesiæ tribuenda, con: 4. cor: 3. n: 1. & sequ:
Vna Ecclesia ex vnitate formæ, con: 4. cor: 3. n: 4.
Vnitas alia transcendentalis, alia moralis, con: 4. cor: 3. num: 5.
Vna Ecclesia in diuersis locis & gentibus, ibid. num. 6.
Vnitas Ecclesiæ qualis, ibid: n. 7.
Vna Ecclesia visibili & inuisibili capite quomodo? ibid: n: 8.
Vna Ecclesia ex bonis & malis, ibid: num: 9.
Vna est Ecclesia dum semper proficit in fide, ibid: num: 10.
Vnitas nota Ecclesiæ, con: 4. coroll: 3. num: 11. quæ illa vnitas, ibid. num: 16.
Vnius gubernatio, ibid: num: 12. m
Vnitas discernit veram Ecclesiam à falsis, ibid: num: 14.
Vnitatem Ecclesiæ non minuit discessio

sio schismaticorum & hæreticorum, con: 4. cor: 3. n. 17. f
Vnitas hæreticorum alia, atque alia Ecclesiæ, con: 4. cor: 3. n. 19.
Vnitas hæreticorum quid? ibid.
Vna Ecclesia ex diuersis populis quomodo, con: 4. cor. 3. n. 27.
Vna vnde dicitur? ibid. n. 37. & seq.
Vnitas Ecclesiæ duplex, ibid.
Vnum regimen in Ecclesia, ibid.
Vnitas Ecclesiæ in Petro, ibid.
Vnitas Ecclesiæ quomodo ex vnitate baptismi, ibid. n. 38.
Vnus iudex summus, con: 4. cor: 3. n. 42.

X

Xisti Papæ decretum de antiquitate. con: 5. cor. 3. n. 1. m
Xauerius inter claros miraculis, con. 5. n. 50. f

Z

Zephyrinus, con: 5. n. 39. m
Zozimus Papa, con: 5. cor: 4. n. 2.
Zwinglius ad se Lutheranos traxit, con: 5. n. 26.
Zwingliani circa Eucharistiæ Sacramentum errant: con: 3. cor: 3. n. 12:
Zwinglius duo tantùm Sacramenta agnoscit, ibid.
Zwinglius dissentit à cæteris, con: 4. cor: 2. n. 21. m





Errata corrigenda.

Monitum te velim, Lector erudite, in corrigendis erratis, non omnia me notare, quæ ſint in typo corrigenda, leuiora ſponte pertranſeo, non dubitans, quin prudens tuo maturo iudicio reliqua aduertas, quibus chartam onerare nauſea fuit. Hæc autem ſolùm notaui.

Folium.	Verſus.	Erratum.	Correctum.
2.	3.	&	vt
2.	5.	cuncta	cunctæ
Ibidem	14.	Prædeſtinati ſint Eccleſia.	Prædeſtinati ſint in Ec- (cleſia.
12.	18.	ſint alieni?	ſint alieni,
15.	23.	in ſola	in ſole,
22.	33.	hymn.	hinni,
23.	10.	prædicantur	prædicuntur
24.	9.	tantum principijs	tanquam principijs
27.	22.	ad hoc à Deo	qui ad hoc à Deo
38.	7.	quidquid derogat	quidquam derogat
39.	17.	inſtrui	inſtructi
42.	18.	Creatoris	creaturis
46.	19.	viſibilia	viſibilem
55.	16.	cognoſcuntur	cognoſcatur
59.	11.	remedium	re medium
73.	16.	ſubſtincto vocabulo	ſubſtituto vocabulo
		ὁμοούσιος	ὁμοιούσιος
83.	16.	in nota	immota
85.	10.	in dilatione	in dilutione
90.	11.	conſtituerunt	conſtituantur
91.	24.	maximo	maxima

Folium.	Versus.	Erratum.	Correctum.
93.	6.	confusionem	confessionem
100.	20.	Constantiam	Constantium
125.	5.	euidenter	euidentes
Ibidem	9.	idem æqualia	eidem æqualia
126.	20.	nihil esse objectum	nihil esse possit objectũ
133.	11.	credit	cudit
Ibidem	16.	in eos	inter eos
134.	8.	pari	parati
Ibidem	9.	vt hæretici	at hæretici
Ibidem	14.	debēt, decertantur	debeat, decernatur
135.	10.	matris	natis
136.	9.	videt	ridet
151.	3.	Ecclesiam Christipropheta	Ecclesiam Christi? propheta
153.	2.	innotescere debent	innotescere debet
156.	18.	vt testamentum	vt testimonium
Ibidem	28.	verbum vt	verùm vt
158.	17.	sophista	sophisma
165.	14.	voluisse	noluisse
166.	19.	Iam præcepti	Iam præceptum
181.	11.	porrò autem	Petro autem
182.	20.	caperent	cuperent
186.	25.	potissimi	potissimum
189.	7.	apud vos est ei,	apud quos est ea,
193.	11.	confusionibus	confessionibus
194.	2.	Iren. 4.	Ierem. 4.
195.	4.	constrinctionem eius.	continuationem eius.
198.	26.	id ipsum dicatis omnes, vocem esse oportet:	id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Hinc Chrisost. In Ecclesia vnam vocem esse oportet:
199.	4.	atq; omnia	atq; anima
200.	6.	per ordinem succedenter	per ordinem aliquos succedentes
Ibidem	18.	schismatum	schismaticum
Ibid.	29.	cum vna	cur vna
202.	1.	Ecclesia	Ecclesiæ
205.	18.	Vt sanctificaret vel per proprium	Vt sanctificaret per propriũ

207.

Folium.	Verſus.	Erratum.	Correctum.
207.	13.	ſanctam ſanctorum	ſanctum ſanctorum
Ibid.	22.	profectione	profeſſione
210.	21.	Catholica ſit	vt Catholica ſit
211.	14.	vt conuenit vti	vt conuenit rei
223.	23.	quæ Eccleſia	quâ Eccleſia
Ibid.	27.	præcipere	præripere
232.	14.	Crepon. Gramm.	Creſcon: Gramm.
234.	33.	in terris	niteris
236.	28.	ſocietates	ſocietas
239.	3.	audeant ordinem	euoluant ordinem
241.	7.	ſignum odit	ſignum edit
245.	10.	quæ multos	quæ nullos
246.	28.	à Neſtorio	à Nectario
249.	28.	explicandæ	explendæ
254.	2.	vſq; ſacerdotalis	vtq; ſacerdotalis
255.	13.	dominationes	denominationes
256.	29.	vbi etiam nunc	vti etiam nunc
257.	24.	nos populi	mos populi
258.	20. & 24.	Neſtorio	Nectario
260.	vltimo	congregatum	congregatam
264.	25.	Cagem	Regem
265.	20.	quæ ad vocem	quâ ad vocem
267.	12.	nihilo ſecus	nihilo ſeciùs
269.	vltimo	illi ſe vltro	illi qui ſe vltrò
271.	33.	religione domina	religione diuina
288.	22.	mente Chriſti	morte Chriſti
298.	17.	ad poſtores	ad poſteros
303.	vltimo	exortam	exortum
304.	3.	inferiorum	inferorum
313.	23.	ſpretæ	ſpreta
324.	12.	paucis	prauis
Ibid.	20.	cùm ſit via	cùm Eccleſia ſit via



